DE

ARTE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE

ARTE MEDICA,

LIBRI DUO AD TIRONES.

LIBER PRIMUS,
PARS PRIOR.
DE INFLAMMATIONIBUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.

1838.

Medicina Temporis filia.

COMMILITONIBUS SUIS

S. P. D.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

Saepenumero mirari soleo magnum BOERHAAVII *ingenium, qui cum esset jam ineunte juventute patre, fideli studiorum duce, orbatus hancque Leidam nostram petiisset et ibi primum litteris, tum disciplinis mathematicis, deinde theologiae, denique medicinae operam dedisset, tanto studio singulis his tum disciplinis, tum doctrinis incubuit, ut quamcunque tractaverit, eam solam tractare videretur. Nec ut polyhistor aliquis rivulos consectatus est, sed ipsos rerum fontes adiens, quemadmodum in studiis theologiae a patribus ecclesiae orsus juxta seriem seculorum descenderat, sic veterum pariter medicorum lectionem aggressus est secundum temporum, quibus vixerunt rationem, initio facto a Medicinae parente Hippocrate. Atque has tantas eruditionis copias in unum coegit doc-*

trinae medicae corpus duobusque compendiis comprehendit: altero theoretico, practico altero.

Solet vulgo Boerhaavii *disciplina ex his compendiis aestimari. Sed perperam. In compendiis enim generalia tantum habentur, et haberi poterant ejusdem principia. Quodsi aveatis praeclaram viri summi disciplinam cognoscere, compendiorum pervolvite commentarios ab* Hallero, Haenio, Swietenio *discipulis editos, legite librum de morbis nervorum, quem discipulus pariter* Jacobus van der Eems *edendum curavit. Quos legentes stupendam mirabimini praeceptoris eruditionem, mira suavitate et hilaritate conditam. Quanta exemplorum vis, quantae observationum et experimentorum copiae, quam ingens scriptorum medicorum cognitio, quanta in docendo perspicuitas, in explicando simplicitas, in demonstrando veritas, ut hunc omnem tenere omnium aetatum memoriam hujusque ingenio demum et natam esse et perfectam hanc medendi scientiam existimaveris.*

Tali autem tamque praeclara institutione Academia nostra communis facta est doctrinae medicae in Europa sedes et seminarium, ad quod ab omni terrarum parte discentes tendebant et

ex quo viri summi prodibant et aliarum et nostrae Academiae ornamenta totiusque orbis medici lumina. Quapropter merito celebratur Boerhaavius *tanquam emendatae institutionis medicae auctor et per hanc emendatam totius scientiae medicae reformator.*

Quaerentibus nobis, qui tot tantisque rebus non solum inchoandis, sed vel maxime perficiendis sufficere potuerit Boerhaavius, *occurrit Boerhaavianum illud:* simplex veri sigillum, *ex quo omnis* Boerhaavii *ratio, doctrina, ingenium, brevi totus* Boerhaavius *noscitur.*

Erat ille vir candidus, simplex, veritatis cultor integerrimus. Haec in scriptis, moribus omnique vita eminebat simplicitas, amabilis veritatis comes. Hanc ut in vita, ita in studiis, institutione, doctrina, unam sequebatur ducem. Omnium auctorum nulli magis placuere, quam simplex Hippocrates *et candidus* Sydenhamus. *Caeteros legere, hos sibi socios, amicos, familiares adjungere cupiit. Ex omnibus disciplinis nulla magis arrisit, quam pura mathesis. Ab indoctis discipulis laudari, iis prodesse, eorum in usum scribere, eos sibi amicos comparare, quam doctorum extolli encomiis, maluit*

vir vere Socraticus. Omnes lustravit librorum medicorum copias, non ut GALENI *adinstar, eruditionis variae pompa doctum indoctumque percelleret orbem, sed ut suam adsereret medicinae simplicitatem eamque puram sisteret, omni ornatu carentem. Anatomica partium fabrica humorumque motus principia sunt, quibus tota ipsius doctrina nititur. His si addatis demonstrationem mechanicam ac selectas veterum praesertim observationes et recentiorum pauca, sed certa inventa ac dogmata, fundamenta habebitis totius medicinae Boerhaavianae. Quod quidem simplicitatis in tanta doctrinae ubertate studium, increscente viri aetate ingeniique maturitate, increvit, qua aetate et auctoris boni titulum recusavit et summo sibi duxit honori, naturae servulum vocari suamque ignorantiam cum fateretur artisque imbecillitatem, naturae divinam praedicavit potestatem, cujus opera omni sunt arte superiora, cujus vires solae morbis medentur, cujus obsequio omnis medicina nititur. Scilicet animo, ut erat modesto, ab omni ostentatione alieno, ita hanc animi modestiam omnibus anteponere virtutibus solebat.*

Talis erat ille, quem colimus, quem hujus Scho-

hac nostrae conditorem veneramur, cujus animi luce hic circumfundimur, Boerhaavius.

Is cum ante seculum e vita excessit, peritum doctumque Aphorismorum suorum interpretem nactus est Swietenium, *qui Commentariis ipse suis monumentum exegit ingenii Boerhaaviani, aere perennius. Haec commentaria, quo tempore edita sunt, eam referebant scientiae medicae practicae faciem, qualis tunc erat. Quantopere ab eo inde tempore mutata sit rerum medicarum conditio, norunt omnes, quicunque illam aetatem cum hac nostra comparaverint.*

Foret igitur, ut huic institutioni Academicae satisfieret, vel nova paranda eaque emendata compendii Boerhaaviani, aut Commentariorum Swietenianorum editio, vel novus conscribendus edendusque liber. Prius nemo exspectabit, nisi qui stationariam *optet institutionem medicam, nec ipse hercle laudasset, si viveret,* Boerhaavius. *Quamobrem ego, vobis prodesse cupiens, laborem hunc, tanquam ab eo nobis relictum ac mandatum, suscipiam, neque ut alter* Boerhaavius, *sed ut homuncionum unus, quae potero, faciam. Nec brevitatem laconicam* Boerhaavii, *nec dictionis uberta-*

tem Swietenii *sectabor, sed quandam inter utrasque mediocritatem, ne tantos viros videar velle imitari. Illud autem in primis spectavi, ut vobis traderem institutionem medicinae practicae accommodate ad nostrorum temporum rationem, unde et a quibus initiis ducta sit et quibus nitatur fundamentis ars medica, cognosceretis.*

Caeterum Boerhaavii, *medici Batavi summi, tanquam domestico exemplo proposito, illud animis infixum tenete:* simplex veri sigillum.

Scribebam in villa die 6. post
Calend. Jul. a. 1837.

DE INSTITUTIONE AD ARTEM.

Medicos nomine multos esse, re autem et opere perpaucos, veteris jam Hippocratici vox est: quodque de medicis ille, de omnibus omnino aliarum artium scientiarumque professoribus deque hominibus universe affirmari posse existimamus. Scilicet bonus esse, quam videri malebat SOCRATES eaque propter hominum sapientissimus a Deo est judicatus. At quam nulli fere sunt huic persimiles, quam multi, qui rem a semet optime gestam putant, si hominum vulgo boni videantur, Dei non admodum curantes judicia. Hi sunt, qui crebris vulgi sermonibus celebrari, aut diariis etiam et novellis nomina sua circumferri amant, aliarum laudum obtrectatores, suarum praecones, quosque ut sunt, ita adpellamus agyrtas, doctoris quamvis titulo insignes. Hi quemadmodum medici non sunt, sed medicorum simulacra, sic artem non ve-

ram exercent, sed vanam quandam artis speciem amplectuntur et quum symptomata ipsos morbos esse credant, haec sola venantur et ad haec remedia sua dirigunt, non cum morbis, sed cum umbris morborum pugnantes, atque empiricam prorsus et symptomaticam secuti artis rationem. Non dormivit aeger, igitur opium dandum est, alvum non dejecit, purgandum est igitur. Febricitat, igitur febris oppugnanda. Non sudat, ergo proliciendi sudores. En horum medicorum praxin! Non fabula vobis narratur; vidimus, et videbunt nepotes, ut viderunt parentes et avi et proavi, qui hoc modo jus occidendi impune per totam terram exercebant, quia noverant purgare, venam secare, opium dare aut corticem febrifugum et formulas praescribere sesquipedales.

Quam dispar huic artis simulacro est ea, quae vere dicitur *Medicina*, quae profecto nec levis est ipsa, nec facili opera addiscenda, neque omnibus comparabilis. Est scilicet ex quam plurimis studiis doctrinisque collecta, naturam hominis cognitam ponens, animantium perfectissimi, et rerum externarum scientiam comprehendens et vitae historiam et leges et omnium aetatum et locorum observationem

complexa naturaeque res gestas, id est therapeuticen naturalem.

Haec spectans et communem cogitans mentis humanae imbecillitatem, eam huic tantae cognitioni sibi comparandae vix parem esse sentio. Eccui enim memoria tam capax, tam tenax, tam prompta, ingenium tam perspicax, judicium tam acutum, ut ingentes illas rerum diversissimarum copias recipere, ut retinere, ut revocare, ut comprehendere, ut comparare, ut discernere eas possit. Quodsi his adjungo, medici officium actionem exigere magnamque saepenumero ingenii celeritatem, dubito equidem, an ars ulla hac ipsa gravior reputari possit, nec miror in tanto medicorum numero eam bonorum medicorum paucitatem. Animum tamen sublevat cogitatio, esse in homine medicum (*) qui artem facientibus fert opem, naturamque morbis mederi, quae una medicorum principum vox est. Hanc vulneratas, laesasque partes sanare, insalubria amovere, nocitura expellere, aut mitigare, dolores lenire, turbas componere, habi-

---

(*) Cff. Greiner *der Aertzt im Menschen*, Altenburg 1827. Jahn *die Naturheilkraft*, Eisenach 1831.

tum instaurare, valetudinem vitamque custodire, hujusque observatione, imitatione artis summam contineri. Itaque praeclare nobiscum actum est; quod in tanta rerum cognoscendarum multitudine, hac mentis humanae imbecillitate, ipsam naturam habeamus artis magistram, quae viam medentibus indicat, errores corrigit, siquid peccatum sit, emendat, siquid neglectum sit, restituit nobisque in omni opere adstat. Quare naturae res gestas notare, medendi methodum discere, vires cognoscere, exemplar sequi, medicum in opere versantem inprimis decet. Quod ut rite fiat, naturam observare discat, tum sensuum ministerio summaque mentis contentione, tum diligenti summorum medicorum studio. Utrumque auxilium jungendum est. Altero docemur, quo sit modo observandi studium colendum idque optimis docemur summisque praeceptoribus, altero horum ad exemplar naturam observamus ipsi. Exinde quae ratio, qui usus sit eruditionis practicae, perspicitur et quemadmodum nullus magnus poëta, aut pictor, aut statuarius extitit, quin aliorum sive praeceptis, sive exemplo magnorum virorum conformatus ad artem accederet, sic nullus magnus medicus, qui non in

ejusmodi naturae observandae exemplar intuens illud imitandum sibi proposuerit. Tali enim virorum magnorum studio iiscum vivere, ab iis artem discere cumque iis artem facere nobis videmur et quod nostris observationibus nostraeque experientiae deest, compensamus.

Etiam naturam interpretari medicum oportet, quod ingenii opus est. Hoc donum naturae neque doctrina, neque usu comparatur eoque qui careat, ad summam in arte laudem pervenire nunquam poterit. Quo nomine nasci, non fieri medicus dicitur quodque de Lucullo narrat Tullius, medicum quemvis ad artem natum spectat. Hoc nititur ea mentis felicitas, qua rerum caussas et reconditas morborum sedes detegere atque ex ingenti remediorum suppellectile unum aptissimum huicque casui unice adcommodatum seligere, qua e longinquo eventum praevidere, qua tanquam occasionis inventor opportune intervenire, qua obscura quaevis instinctu quodam divinare medicus novit. Ad hanc ingenii felicitatem si accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tunc nescio quid praeclarum existere solet, quod in summis viris miramur.

Quae in medico requiruntur corporis animique dotes, permultae sunt et variae. Corpus sit satis robustum, sensus integri, neque infirma valetudo eaque ingenii felicitas, quae ad scientias artesque excolendas idonea sit, isque animi habitus, qui pulcri, veri, honesti sensu ducatur (*). Medicus vir bonus sit medendi peritus, nil humani a se alienum putans, sit liberalis, benevolus, ab omni ostentatione, vanitate, adrogantia, invidia alienus, sui suarumque rerum non tam amans, ut alios contemnat ejusdem artis professores, aut aegrotantium tyrannus existat; nec tam humilis, ut sibi diffidat aegrisque serviat, sed eo animi habitu, ut magis in laudando aliorum merita, quam in vituperando aliorum vitia sibi placere videatur utque benevolentia, humanitate, caritate aegrotantium sibi animos devincire, fiduciam conciliare inprimis conetur eamque vita exprimere honesti atque decori formam, qua hominibus commendatur maxi-

---

(*) Cff. de omni hoc loco Ludov. Herm. Friedlaenderi *de Institutione ad Medicinam, Libri duo, Tironum atque Scholarum caussa editi*, Halae 1823. et John Gregory *Lectures on the duties and qualifications of a physician*, Edinb. 1805.

me homo. Et his quidem potissimum ars illa vivendi continetur, quae uti medicum liberaliter institutum ab inculto discernit, sic tum demum infucata esse et ab omni fraude et malarum artium suspicione libera poterit, quum a generis humani caritate tanquam fonte sit ac principio ducta.

Neque ad artem faciendam accedat medicus, nisi mente studiis theoreticis rite praeparata. Morborum curatio morborum scientiam cognitam ponit. Quamobrem pathologia medicinae practicae praemittenda, quia nexum morborum cum caussis, quae morbos creant et symptomatibus, quae morbos sequuntur, una indicat pathologia. Observatio sola huic consilio neutiquam sufficit. Etenim morbos non observamus, sed morborum symptomata. Morborum natura nimis recondita esse solet, quam quae sensibus pateat. Haec investiganda est et perquirenda non sensibus, sed intellectu atque ratione. Itaque praxin rationalem quicunque facere cupiant (cupient autem omnes) theoretica studia non prius dimittant, quam artis theoriam probe calleant. Scholas enim practicas frequentare, per aegrotantium lectulos oberrare, formulas praescribere medicinales, prius quam anatomes, physio-

logiae, pathologiae, materiei medicae rectam habeant neque vulgarem cognitionem, est intemperanter abuti et otio et tempore.

Apes cernimus per hortos volantes, ut florum nectar legant, quod domi subigant inque mel convertant optimum. Accedat igitur oportet librorum lectio et rerum, quae in scholis audiuntur, domestica commentatio. Nam sine doctrina et eruditione nemo medendi scientiam sibi comparare potest.

Nec tamen doctrinam et eruditionem laudans istos librorum helluones cogito, quorum nullis scriptorum copiis satiatur voracitas, sed talis mihi probatur doctrina et eruditio elegans, quae maximorum in arte virorum cognitione continetur, quorum numerus profecto non ita magnus est. Neque unus post alterum scriptor legendus est, in quem quisque primum incidat, quo fit, ut brevi eorum, quae prior docuerit, vos capiet oblivio, cum ad alterum accesseritis, sed a generali quodam disciplinae conspectu incipiendum est, quo rei summam teneatis, qualis habetur in opere eleganti pariter et docto Viri Clarissimi Jacobi Gregory, quod inscribitur: *Conspectus Medicinae*

Theoreticae, qui liber tanquam isagoge, sive introductio ad medendi disciplinam spectari potest.

Hoc libro perlecto ad alios scriptores poteritis vos conferre, quos suo singulos loco citabimus.

Scilicet vespertino tempore domi ea commentantes et cogitatione repetentes, quae tum vidistis, tum audivistis, quaeque memoratu digna videbantur, notantes atque scriptores laudatos pervolventes et conferentes secum invicem, et parvam vobis comparabitis optimorum auctorum de morbis singulis Bibliothecam et Adversariorum simul medicinalium habebitis initium. Ut autem auctores cum fructu consulere possitis, requiritur, ut sciatis, quo tempore vixerint, quali medicinae conditione, quonam regnante et dominante genio litterario, cui consilio Scholas Historicas adcommodavimus: quas tum practicas, tum historicas scholas qui frequentant et domesticis studiis commentantur, sine quibus nullam afferre possunt utilitatem, continuo et constanti litterarum cultu sensim sensimque eam sibi comparabunt doctrinam, qua ad artis exercitium erunt satis instructi, dimensoque hoc cursu Academico mirabuntur, se tot potuisse addiscere, tam brevi tempore. Nam bona methodus

laboris est compendium optimum et dimidium facti, qui bene coepit, habet.

Nec tamen studio definitur et domestica commentatione haec ad praxin medicam institutio, sed cum utrisque conjungi debet rerum usus, i. e. aegrotantium observatio et curatio morborum.

Primum est aegrotantis examen, ut quo morbo laboret, medico innotescat. In quo quidem examine quoniam a senioribus etiam medicis peccatur, hoc autem ad morbi dignotionem et curationem plurimi facit, pauca vobis hac de re praecipere animus est.

Medico homines curandi sunt, non lapides: et homines quidem morbo afflicti. Idcirco prima cura sit medico, ut homines sibi observantia ac benevolentia devinciat. Quapropter quemvis aegrotantem hilari vultu compellet. Est autem quisque suo compellandus modo: aliter homo agrestis, rusticus, aliter urbanus, aliter juvenis, senex, vir, femina, puella, puer, quod majoris est, quam vulgo creditur artis magnamque requirit hominum, vitae, morum, notitiam.

» Nec (sunt verba Celsi) periti medici est, protinus ut venit, adprehendere manu brachium, quia

sollicitudo aegri dubitantis, quomodo illi se habere videatur, pulsum mutat, sed primum residere hilari vultu percunctarique quemadmodum se habeat et siquis ejus metus est, eum probabili sermone lenire, tum deinde ejus carpo manum admovere."

Aeger vero, siquidem id fieri potest, ipse sui narret morbi historiam. Interea temporis observet medicus narrantis vultum, vocem, habitum: ob quam caussam (ita CELSUS) neque in tenebris, neque ex capite aegri debet residere; sed illustri loco adversus eum,"

Inquirat porro in vitae genus, aetatem, studia, mores, morbos, qui antecesserunt, parentum, avorum valetudinem, praesentis denique morbi originem. Advertat quae corporis actiones, quae partes aegrotent, undenam inceperit valetudo, quomodo increverit, quae primo, quae deinceps laesa sint organa, quid idiopatheiae, quid sympatheiae tribuendum, morbus in quo stadio versetur, quae fuerint ipsius caussae, qualia seminia, quales prophases, quae data sint medicamina, quid juverit, aut nocuerit. Horum quo plura noverit, eo facilior erit morbi diagnosis, quae scilicet evidentia

morali, inductione, ratiocinio analogico, comparatione nititur. Nec tamen haec omnia simul et semel quaerenda. Nam saepe vel aeger debilis est, aut impos, vel morbus obscurus nimium, aut complicatus tumque partitis vicibus instituatur examen oportet, id quod praesertim in morbo chronico eoque vetustiori tenendum est. Neque etiam cuncta, aut eadem semper percunctari oportet, sed suum quisque morbus et aeger examen postulat, qua in re tanta est varietas, ut nulla sive praeceptorum, sive exemplorum vi exhauriri possit. Non sufficit denique communia scire, sed vel maxime propria cognoscenda sunt. Non sufficit scire, v. c. dolere aegrotantem, sed doloris prima origo, ratio, sedes, gradus, vicissitudines perquirendae sunt, ita quidem ut in omni hoc examine praeluceat anatomes, physiologiae, pathologiae scientia. Atque ex his summa religione notatis (agitur enim de vita hominis, quae res sacrosancta) plena tandem surgit morbi historia, quae scripto mandanda, ne pereat observationis et experientiae fructus.

Ea autem morbi historia, quomodo conscribenda sit, agite jam paucis videamus.

Est historia, id est rei factae narratio: est historia phaenomenorum naturalium. Pertinet igitur ad historiam naturalem, cujus praestantia in primis graphica describendi arte cernitur. Idcirco ejusmodi historia vera esse debet et simplex rei narratio, fida imitatio naturae, ut pictura, ipsis coloribus ac lineamentis naturam exprimens. Non scribatur in laudem curationis, ad celebrandam artificis peritiam, aut probandam, cui adhaeret ille doctrinam, commendandumve remedium, sed talem perfecte referat vultum naturae, ut qui legant, ipsi aegrotanti adsidere, ejus querelas audire, rebusque, quae referuntur interesse sibi videantur. Hoc incomparabile naturam depingendi artificium petatis velim ab HIPPOCRATE quique HIPPOCRATEM imitati sunt tum veteris, tum recentioris aetatis Hippocraticis, legatis historias aegrotantium in Epidemiorum libro I et III, quarum nonnullas in Chrestomathia Hippocratica protulimus: legatis aureum ZIMMERMANNI de Experientia Medica librum et juvenis praestantissimi HENR. GUL. WAARDENBURG, discipuli quondam atque amici mei, de *ratione historiae morbi scribendae* dissertationem, quae ut virorum doctorum suffragia tulit, ita ipsius auctorem

nobis magis ostensum, quam datum esse dolemus. Scilicet non ita pridem praematura morte, si mortalibus ita loqui fas sit, nobis artique nostrae ereptus est WAARDENBURGIUS. Speraveram fore, ut ille ex eorum esset numero, qui antiquam vindicarent hujus scholae Boerhaavianae gloriam. Nec spem fefellerant vitae practicae initia. Gaudebam et optima quaevis augurabar, quum ecce tristis mihi affertur nuntius, amicum ex gravi morbo decumbere, quem brevi alter subsequitur, ipsum occubuisse. Sic ille ut flos ante diem flebilis cecidit, flebilis omnibus; nulli flebilior, quam mihi.

Lugemus WAARDENBURGIUM optimae indolis juvenem, indefessum medicinae cultorem, amicum integerrimum, nec tamen ei fortunatam invidemus sortem, qui hisce vitae aerumnis ereptus ex mortali factus est immortalis. Nobis in hac terra degentibus in illius exemplar intueri ingeniique imaginem nobis ob oculos ponere, dulce erit doloris solatium.

Erat nempe in WAARDENBURGIO indoles praeclara, ad artem hanc mirifice facta. Vultus et oculi animi candorem, alacritatem, hilaritatem exprimebant, quibus omnes ad se alliciebat meque prae-

sertim, qui discipulos mihi cupio amicos et cui vultus ille Waardenburgii nescio quid boni praesagire videbatur. Nuper Professoris munus susceperam eoque magis gratum erat, ejusmodi mihi obtingere discipulos (plures tunc erant) qui ingenii felicitate et morum comitate animum meum erigerent ac sublevarent. Observandi studium maxime in eo adparebat, quod saepius miratus sum, cum mecum de commilitonum suorum ingenio, moribus, studiis sermones misceret, non obtrectandi, aut redarguendi caussa, hic enim minime illius mos erat, sed laudandi maxime gratia. Verum tum potissimum eluxit hoc observandi studium, quum in Nosocomio hoc nostro aegros observare et artem facere coeperat. Jam tum ad praxin eum esse natum perspexi. Etenim tanto ardore his practicis exercitationibus incumbebat, ut non tantum historias eorum aegrotantium perscriberet, qui sui ipsius curae erant traditi, sed omnium omnino, quotquot huc affluxerant. Quas historias spontaneo animi motu perdiligenter exaravit mihique exaratas dedit.

Intelligens itaque ego, quorsum natura ferebat et magna inde voluptate affectus, quoniam excellen-

tem fore artificem praevidebam, illud studium alui, atque ubi ad cursus Academici metam pervenerat, ei auctor fui, ut hoc sibi sumeret conscribendae dissertationis argumentum, quod quomodo perfecerit, egregius ipse testatur libellus. Vos igitur amicissimi juvenes! hunc vobis imitandum proponite hujusque ad exemplar hanc quoque officii vestri partem diligenter explete, quod facientes mihi lenietis WAARDENBURGII mei, tam cari capitis desiderium.

Examen aegrotantis sequitur morbi curatio atque eventus futuri praesensio. Haec perperam vulgo negligitur, ab empiricis praesertim, quamvis ab ea demum, a Graecis Asclepiadis culta, ars vere salutaris nata sit atque esse desierit rudis periclitatio. Ita scilicet artem colendo, ut observarent: quid natura faciat aut ferat; quemque eventum res habeat, quae signa mortem, quae salutem praenotarent, quid sperandum, quid metuendum sit quotque morbi singuli modis terminentur, quid in unoquoque casu expectare oporteat, πρόνοιαν praesertim sectati sunt, id est providentiam, sive praescientiam medicam, qua poterit medicus et aegrotantium sibi conciliare fiduciam et curandi rationem

quam optime dirigere: illud quum futura apud aegros praedixerit omnemque exposuerit morbi decursum; hoc quum mens futuri praescia ita instituerit medendi methodum, ut quaevis e longinquo praevidisse videatur. Ita enim, quemadmodum recte Asclepiadarum ille princeps HIPPOCRATES, justam sibi admirationem bonique medici famam comparabit: quod qui negligant, medicis Cnidiis persimiles sunt, qui bene quae vel ignarus potuerit ex ore aegrotantis excipere tenebant, at quae non dicente aegro praecognoscere medicum decet, ignorabant: ita ut non miremur a multis vel nulla praesagia, vel stulta edi.

Est igitur operae pretium, hanc divinandi sive praesagiendi artem magno studio colere, auctore maxime et duce HIPPOCRATE, quod uti tam medico, quam medicinae magnam tribuit dignitatem, ita illud maximum commodum habet, quod monstret, quomodo morbi sponte sanescant naturaeque in hoc opere sit succurrendum. Scilicet eadem illa vis, quae corporis vitam sustentat, etiam corporis morbis medetur, cujus rei perspicuum habemus in vulneribus exemplum, quodque qui in opere aliquamdiu fuerit versatus, latere neminem

potest. Νούσων φύσιες ἰητροι: auctor Hippocraticus testatur naturamque morbis mederi, praeclara medicorum principum vox est. Eo scilicet nomine a mechanismo differt organismus, quod jam bene viderat STAHLIUS, magni vir ingenii, quod hic motibus ipse suis se tuetur atque sustentat adeoque licet putredini obnoxium, tam diu putredini resistat. Ars igitur ad hoc praeclarum naturae exemplar se componens naturae fit sui ipsius conservatricis et medicatricis imitatrix. Sane optandum foret, ut legum naturalium haberemus Codicem quendam, secundum quos singuli morbi naturae beneficio sanari observantur, cujus Codicis fragmenta quaedam debemus medicis Graecis et sacrae quidem Asclepiadarum genti nobisque alia undique conquirere fert animus.

Atque sic sponte ducimur ad ultimam medicinae partem, quam therapeuticen vocant. Ad hanc caeterae quaecunque medicum praeparant: diagnostice, qua morbus qualis sit, cognoscitur, prognostice, qua morbi praesentitur eventus, illud spectant potissimum, ut mens praescia futuri ad cognitam morbi naturam ipsam artem dirigat.

Primo consilium medendi, indicatio dicitur, inveniendum est, utrum scilicet de corpore detra-

hendum, an corpori addendum, an denique mutandum, seu alterandum sit, de qua quidem parte optime meruerunt Cl. VOLTELEN et PARADYS, nostrates, ille indicationum doctrinam exponens, hic therapeutices universalis explicans rationem. Scilicet regulae quaedam notandae sunt, quas inter medendum sequi oportet, ipsaque medicatio et remedia non tantum morborum, sed corporum etiam naturis adcommodari debent. Qua in re saepe et a multis peccatur, tum quia non satis distinguunt inter morbi et corporis aegri phaenomena sicque morbum oppugnare credentes, affectiones sympathicas oppugnant, tum quia communia licet auxilia probe noscentes, eorum adhibendorum tempora et modum nesciunt. Quid febrium et inflammationum plerarumque curatio aliud est, quam symptomatum curatio activorum, sympathicorum, qua renisum vitalem temperamus, interdum vero, malis aegrotantium rebus, extinguimus: quae quidem caussa est, cur plures aegri vel audacter detracto sanguine, vel copiose ingesto cortice febrifugo, etiamsi inflammationis symptomata quieverint, etiamsi siluerit periodica febris, a morbo tamen non sint liberati; quod saepius eveniret, nisi natura homine sapientior opem ferret.

Alterum medicorum delictum spectat remediorum adhibendorum tempora et modum. Nam recte Boerhaavius: nullum se cognovisse remedium dixit, nisi tempestivo usu tale fieret, quo magis miror, a nuperis etiam magnae famae medicis nullo ordine adhiberi remedia: depletiones topicas loco generalium, purgantia loco emeticorum, tonica, adstringentia loco excitantium, analepticorum, quae profecto testantur, quam parum teneant hanc technicam medicinae partem, a veteribus jam, nec sine fructu, excultam.

Medendi consilio invento, quaerenda sunt et componenda remedia. Morbi autem curantur victu, medicamentis, manu, unde tres ducuntur medicinae partes: diaetetica, quae victu, therapeutica, quae medicamentis, chirurgia, quae manu curat: de quibus singulis videndum.

Diaetam tanti faciebant veteres, ut eam in curatione morborum vel solam, vel praecipuam saltem adhibuisse videantur, quod si cognoscere velitis, praeclarum quaeso legite Hippocratis librum, qui inscribitur de *Victu Acutorum.*

Therapeutice ab Arabibus medicis praesertim exculta nostroque tempore a Germaniae medicis potissimum perfecta est.

Chirurgia primum una cum medicina culta, deinceps Alexandriae ab ea separata, nuper multum increvit virorum in eam incumbentium industria, ut hodie ex omnibus medicinae partibus maxime florere videatur. Et profecto singularem requirit anatomes praesertim topographicae peritiam magnamque dexteritatem, quae non nisi magno usu atque plurimo exercitio comparantur et suam sibi vindicant studiorum rationem practicamque encheiresium chirurgicarum cognitionem, ita ut Chirurgus quamvis non fiat, sed nascatur, tamen peculiari institutione atque adsiduo anatomes cultu ad eam informandus sit in arte praestantiam, quam principes in arte viri sunt adsecuti.

Ad therapeiam pertinet etiam ars obstetricia, quam ego quidem non tam a viris, quam a feminis optarem praesertim factam, quo arti sacrae et decus et sua servaretur simplicitas et minus virilis audaciae temeritatisque poenas luerent feminae.

Quemadmodum hae partes sunt therapeiae earumque cognitio ad omnes omnino spectant, sic praeter doctrinam et studia domestica, quae nemo impune negliget, publica etiam ad lectulos aegrorum exercitia, quae promittit Clinice, accedant

oportet. Nam hisce ad artis usum conformantur juvenes et ipsa medicum in opere versantem quomodo rem gerere oporteat, docet: sicque a studiis Academicis ad vitam practicam facilem praebent transitum.

Ad haec exercitia clinica etiam referimus corporum ex morbis mortuorum inspectionem: ita ut anatome, optima tironum magistra, veteranorum etiam adjuvet studia et fidelem se praestet medicinae practicae administram ac sociam. Ea non temere, sed prudenter adhibita, quam feliciter morborum caussas et sedes indaget, ostendit ante alios Jo. Bapt. Morgagnus, magnus magni Valsalvae discipulus inque nostra patria praeclarus Anatomicorum summi alumnus, Eduardus Sandifort, quem Cruveilhierius, peritus sane judex, iconographiae pathologicae parentem adpellavit. Vos igitur juvenes! Morgagni Epistolas, ex saluberrimo Paradisii nostri praecepto, nocturna versate manu, versate diurna. Sunt enim plenae sapientiae medicae: hisque adjungite recentiorum auctorum scripta, ex quibus ut magis usque proficiant medici nostrates, vehementer optamus.

Habetis meam de institutione ad artem sententiam, quam si sequi cupiatis, hanc ipsam in se-

quentibus exponentem me audiatis, quam ita tradam, ut siquidem ad ejus usum inprimis vos ducere animus est, morborum theoriam, quam in scholis pathologicis explicui, jam ad artis fructum adhibeam sicque animos vestros ad medicinam faciendam praeparem, eo potissimum fine, ut non imparati prorsus ad artem accedatis.

DE MORBORUM CLASSIFICATIONE OPERISQUE RATIONE.

Classificatio morborum eum praesertim usum habet, ut morbi natura adfines juxta se invicem collocentur communique nomine ac genere comprehensi unoque sub conspectu positi facilius dignoscantur. Sunt ejusmodi classificationes tanquam rerum naturalium catalogi, quae quo magis referant vultum naturae, eo majoris existimandi sunt pretii. Equidem eam caeteris antepono, quae et ab intellectu facilioribus et simplicioribus ad composita et difficiliora intellectu procedat et anatomicis nitatur ac physiologicis principiis. Quapropter initium faciam a congestionibus, quae valetudinum genera

simplicissima, minus quam reliqua distant a sanitate, quin immo cum hac ipsa confluunt et sponte sua ad inflammationum genus ducunt, quarumque omnium minime composita est medendi ratio, ut simplicior etiam natura est.

Praeterea monendum est, me de arte scribentem non de omni arte scribere voluisse, sed quandam cogitasse juventutis erudiendae artisque medicae sacris initiandae methodum atque in omnibus quaesivisse, quod maxime in votis et desideriis est, methodum et systema naturae.

Quemadmodum Initiis Disciplinae Pathologicae, apud Luchtmansios ante quadriennium editis, morborum theoriam interpretari conatus sum, sic hoc opere, illius tanquam complemento, morborum curandorum artem exponere conabor. Duobus autem libris rem comprehendam: altero inflammationes et febres, maxime cognatas, cujus sectio altera, quae febres explicabit, hac priore longe minor, propediem vobis tradetur; altero, reliqua valetudinum genera complectar, quae veteres chronicorum nomine adpellaverunt.

INDEX CAPITUM.

DE CONGESTIONIBUS.

Disciplinae tradendae ratio ea optima videtur, quae a simplicioribus incipit, ad magis composita procedit, quam ut probabat, ita in practicis institutionibus sequi solebat magnus Boerhaavius. Illius ad exemplar a simplicioribus incipiemus, nec tamen ab elementis morborum, ut ille, quod pathologiae munus est, sed ab ipsis morbis, quod therapeutices specialis est, initium ducemus.

Ita comparatum est corpus vivum, ut etiamsi omnes et singulae partes eodem vitae principio animentur, alia tamen sit alio tempore in singulis vitae partitio cumque vitae physicae perpetuo mutetur scena, suis singula aetate organis primae tribuantur partes. Has vitae humanae vicissitudines comitatur mutata circulatio in vasis minimis, quae maximarum sunt mutationum officina. Scilicet sanguis universum quidem permeat corpus, sed alias tamen prae aliis majori unda alluit partes, prouti suo quaevis tempore sese explicant rur-

susque marcescunt suaque munera aut obeunt, aut otiantur. Itaque jam sanguinis plenae turgent et rubent, jam sanguine orbatae pallent, collabuntur, quo alterno fluxu atque refluxu sanitatis lege temperatis vitae aequabilitas constat. Hi motus si naturae modum excedant, morbi fiunt ex parte nimio sanguine obruta, quos, quia congeritur sanguis, ejusdem adpellant *congestiones*. Sic unus est a prospera valetudine ad valetudinem adversam transitus, quasi altera in alteram confluerct. In hac, ubicunque increscit vita, congestio evenit. Quocirca partem efficiunt congestiones omnium morborum activorum: inflammationum, haemorrhagiarum, profluviorum, spasmorum, febrium, neque ullus ferme morbus est, quem nulla praecedit, comitatur, aut sequitur congestio, ut ideo medici practici plurimum intersit, earum naturam rite perspectam habere, quam vitae scientia explanabit.

Congestiones sanguinis sunt morbi vasorum capillarium dynamici, in quibus haec ita praeter modum sanguine repleta turgent, ut legitima turbetur functionum exercitatio. In hisce partes atque organa non tantum justo copiosiorem recipiunt sanguinem, sed retinent etiam. Rubores fugaces, qui levioribus inducuntur stimulis, sanitatis lege et fiunt et evanescunt, quodsi in partibus sanguine turgidis subsistant vitaeque munera mutent, significant congestiones morbosas.

Externarum congestionum signa sunt partis rubor, tumor, calor et sensus ponderis aut tensionis, reliquis cum ea consentientibus sive vicinis, seu remotis, pallentibus, frigentibus. Partium internarum congestiones prioribus signis non indicantur, quia a sensu remotae sunt, quapropter dubia magis atque incerta earum significatio est, a sensu ponderis, tensionis, ardoris interni perversoque munere partium petenda et simul animadvertendus habitus corporis morbique origo.

Uti munere differunt partes, ita differunt congestionum signa et sequelae. Ex capitis congestione somnolentia, torpor, paralysis, ex pectoris pulmonumque dyspnoea, anxietas, ex abdominis obstructio, infarctus, alvi adstrictio, aut segnities.

Habitus corporis aut plenus plethoricus, aut teneritudine, gracilitate conspicuus, aut capitis, pectoris, abdominis inaequali evolutione a symmetria deflectens, hujus morbi seminium exprimit. Quodsi videas nunc rubere, nunc pallescere vultum, tactuque cutim nunc ardere, nunc frigescere sentias sique rubores isti caloresque fugaces alia aliaque loca pervadant rursusque linquant, de hoc seminio nullum superesse dubium potest.

Notanda etiam aetas est et sexus, quae naturam corporis mutant. Congestionibus utitur natura ad notabiles illas magnasque perficiendas metamorphoses, quas ipsa hominum vita requirit. Recens natis ad cutim congestio fit, provectioribus,

dentitionis periodo, ad mucosas, pueritia prima, excitato cerebro, rationis organo, ad caput; adolescentiae tempore ad pectus et genitalia, aetate virili ad abdomen. In feminis catameniorum, aut graviditatis tempore uteri plethora topica nascitur, post foetum exclusum ad mammas sanguis fluit, quae si naturae modum non servent, congestiones fiunt morbosae, organorum munera laedentes. Hisce nascendis occasionem praebent nimiae partium contentiones turbatumque vivendi genere actionum naturalium aequilibrium. Quapropter aut praecox, aut nimius Musarum cultus capitis congestiones provocat, quae homines litteratos cerebrum inquieta cogitatione et nocturnis studiis defatigantes saepenumero funesta interimunt apoplexia, qua litterarum illud lux lumenque WYTTENBACHIUS extinctus est et praeclarus Zoologus DAUBENTONUS, cujus e vita excessum in *Nosogr. philos.* narravit PINELLIUS, Tom. III. pag. 60 sqq.

Origine tenus a vitae incitatione, a spasmo, ab atonia esse solent, unde triplex quoque discernitur earum genus: activum, passivum, atonicum. Nempe quodcunque vitae in parte incrementum major comitatur sanguinis in ipsam impulsus; quamobrem irritamenta loco cuidam admota illuc sanguinem alliciunt, id quod rubefacientia manifestant, quorum in arte usus hoc principio nititur. Spasmus congestionem movet, communi lege anta-

gonismi, qua si ab alia parte spasmo constricta sanguis repellatur, in aliam etiam remotissimam impellitur. Rem declarat terror, quo facies pallet, friget et contrahitur cutis, corde a sanguine congesto palpitante. Ab atonia quae fiunt congestiones, fiunt hoc modo: sanguis cum ad partes quasvis adpellat, vasorum contractionibus ita protruditur, ut aequilibrium sit inter vim sanguinis distendentem et vim renitentem vasorum. Quodsi haec vasorum vis debilior ab altera illa sanguinis vincatur, vasorum lumina augeri, tonum relaxari majoremque sanguinis copiam in vasa relaxata recipi necesse est: unde congestio oritur, non ab impetu sanguinis, neque a spasmo, sed a laxitate vasorum repetenda. Qualis congestio in tunica oculorum adnata post crebram inflammationem superest, uti ostendunt vasa minima ibi loci sanguine rubro tincta. Qualis in faucibus cernitur saepius antea inflammatis. Qualis etiam partium a laesione mechanica commotiones ex fracto vasorum robore sequi solet. Harum specierum alteram phlogisticae naturae ad synocham, alteram cum erethismo neurosium similiorem ad typhum, tertiam cum vitae torpore ad paralysin revocavit Reilius. Quarum prior activa perfectam morbi vasculosi ideam exprimit, altera hujus cum morbo nervorum complicationem, tertia natum ex aliis morbum secundarium.

Ratione sedis distinguuntur praecipue congestio-

nes ad caput, pectus, abdomen; quarum priores ut plurimum arteriosae, hae venosae magis esse feruntur. Congestiones ad caput pulsatione valida carotidum, temporalium, sudore capitis, facie rubra, calida, vultuosa, scintillis ante oculos, aurium tinnitu, vertigine, cephalalgia, convulsione, delirio, somnolentia, sopore manifestantur. Quae pueritiae tempore, nisi narium haemorrhagia solvantur, praenotant hydrocephalum acutum, aetate provectiori, apoplexiam. Congestiones ad pectus sudores et sensus caloris hoc loco, dyspnoea, anxietas, cordis palpitatio subindicant atque ad peripneumoniam, sanguinis sputum, phthisin pulmonalem viam sternunt. Congestionibus abdominis proprius sensus ardoris in imo ventre et pulsatio, dolores colici, adstrictio alvi: in feminis mensium fluxus parcior, aut illius retentio, suppressioque utque fugaces sunt, sic saepe sedem mutant, nunc abdomen petentes, nunc pectus, nunc caput, id quod in spastico genere sexuque femineo potissimum animadvertitur.

Brevi eunt redeuntque, inflammationibus hoc nomine dispares, vel nullo servato ordine, vel certis adstrictae periodis, annuis, menstruis, aliis, sive simplices, sive cum febre, quae activarum ratio, sive cum ecchymosi, quae passivarum, ex commotione, laesione mechanica originem ducentium, compositae.

Eventus futuri praesensio bona, mala, a tem-

pore, sede, indole, caussis petitur. Si diutius subsistant, aut saepius revertantur, habituales factae, metuenda inflammatio, haemorrhagia, laesio organica, vitae plasticae aberratio. Activis pejores passivae, pejores capitis, pectoris, quam abdominis, a caussis organicis, quam dynamicis, ab internis, quam externis, quae singula ponderanda cumque habitu corporis, aegri viribus, aetate, sexu, morbi gradu conferenda, ut ex aequo aestumari possint. Nihil enim horum perpetuum est, nisi ad hanc normam exigatur. Tolluntur congestiones naturae viribus, sive restituto aequabili humorum circuitu, sive sanguine ex parte, quae congestionem patitur, aut vicina effluente. Hae haemorrhagiae activae, salutares, perniciosae. In pueris epistaxis ad tollendam capitis plethoram saluberrima: in adolescentibus haemoptysis, haemorrhagia pulmonum, discriminis plena; in viris haemorrhoidum fluxus, haemorrhagia intestini recti eventus dubii. Plura sunt in scriptis Hippocraticis loca, quae salutarem illam haemorrhagiarum indolem praedicant (*).

Curationis finis duplex est: alter ut depleatur pars plethorica, alter ut a parte depleta derivetur sanguinis cursus. Priori fini respondent sanguinis depletiones, quae ad morbi magnitudinem, aegri

---

(*) Aphor. Sect. VI, 10, 11. V, 33. IV, 60. 25. VI, 21.

vires et universi corporis conditionem aptari debent. Si magnus morbus, robustus aeger et valida firmaque corporis compages, audacter vena secanda est. Si minor morbus, aeger debilior, corpore gracili, tenero, aut parca venaesectio, aut depletio topica est facienda.

Secundum finem spectant, quae sanguinem a parte affecta avocant, quorsum pertinent, praeter sanguinis evacuationes, alvi purgationes, semicupia, manuluvia, pediluvia calida, rubefacientia, sinapismi. Praeterea ad caussas respiciendum est. Quae vitae sequuntur ab aetate mutationes, prudenter moderandae et ad naturae modum reducendae. Quae a pravo fiunt vivendi genere, praeter auxilia universalia, etiam mutatum postulant vitae genus. Litteratorum studia ita regunda, ut gymnastice cum musice jungatur. Spasticae vasorum stricturae antispasmodicis solvendae sunt auxiliis, ex ea remediorum classe, quae antiphlogistica adpellari solent: pulveres e nitro, pulv. salin. comp., fomenta, balnea, frictiones huc pertinent. Amovenda denique sunt irritamenta, congestionum caussae occasionales. Inprimis vero ad tempus remediis opportunum adtendendum est. Incipiendum igitur a sanguinis detractione primo universali, deinde topica, tum denique ad caetera revellentia, derivantia, deveniendum. Quodsi in passivam naturam vergat, saepiusve recurrat, relaxato vasorum tono, pedetentim transeundum

ad tonica adstringentia, inter quae ante alia recenseri debent acida, praesertim mineralia, medio quodam loco inter antiphlogistica atque adstringentia posita, propter virtutem refrigerantem, orgasmum humorum reprimentem, ita tamen, ut ubicunque phlogistica subsit diathesis, noceant. Hoc enim tempore nitrum est refrigerans. Cum acidis mineralibus virtute adstringente convenit aqua gelida, nivis, glacies, quibus corpori admovendis congestio repellitur, cujus curationis haec exempla adposuit Reilius (*Fieberl.* III. p. 21.). Aeger cordis palpitatione, anxietate, syncope, aphonia, artuumque tremoribus pulsuque vacillante affectus, credebatur vitio cordis aut vasorum organico laborare, at psychrolousia morbus plurium annorum paucis diebus sanatus est. Eodem modo Reilius sanavit puerum vehementi palpitatione, dyspnoea et corporis atrophia afflictum, idque brevi temporis spatio (p. 22.).

Refrigerantibus illis utiliter adjunguntur revellentia auxilia. Oportet denique diaeta et aegrotantium et convalescentium indoli morbi et curationi therapeuticae respondeat.

Haec ut generalia sunt, ita singulis propria auxilia etiam subjungere oportet. Itaque quibus in caput sanguis congeritur, capite erecto sedere, cruribusque declivibus, proderit, animo corporeque quiescentibus, in conclavi subobscuro, frigidiusculo, cibo uti parco et potione refrigerante. Post

sanguinem detractum fotus frigidi, ex aqua cum aceto, fronti temporibusque imponendi, venae crurum pediluviis laxandae, crura pedesque fovendi, perfricandi, alvus leni purgatione eccoprotica, salina clysteribusque solvenda, aut cienda emesis, si ciborum reliquiae aut venenum ingestum subfuerint. Sin vero mensium, aut haemorrhoidum fluxus suppressus morbum concitaverint, hi revocandi sunt.

In spastico genere posca, in passivo Elix. Halleri, frigida potio, lavatio utilis; convalescentibus abstinentia a mero, cerevisia generosa, cocciolata, coffea, motus corporis in aprico, cibus parcior praecipienda.

Quum pectus congestiones patitur et diaeta paullo tenuiori utendum est et ab omni abstinendum pulmonum pectorisque exercitatione graviori. Sub ipso paroxysmo praeter sanguinis detractiones, in quibus repetendis modus servandus est, manuluvia, nisi catameniis sistentibus, prae pediluviis, diuretica prae purgantibus seligenda sunt. Cum abdomen sit congestionum sedes, victu tenui, vegetabili plethora abdominalis tollenda, eccoproticorum cum sulphure usu alvo prospiciendum et libero sanguinis per abdomen motui. Et hic modica corporis exercitatio, temperantia, regimen frigidum magis, quam amara tonica morbi recursum praevertent. Exemplum curationis vid. ap. DUNCAN, *Casus Medicin.* quod hoc loco citare perop-

portunum videtur. Vir robustus, arte olitor, 47 aet. annum agens et colorem habens in facie floridum, in Valetudinarium admissus d. 21 Januarii 1777 de assiduo ac valido circa anum dolore queritur, qui quando ambulat, vel alvum deponit, augetur. Post unamquamque sedem sanguis plerumque sequitur, fere semper purus ac liquidus; externe circa anum observantur tubercula, parva, leviter inflammata, ex quibus dolorem et sanguinem provenire existimat. Pulsus, calor, appetitus, alvus naturales. Octodecim circiter abhinc mensibus pruritu in tota corporis superficie et dolore capitis cum levi vertigine afficiebatur. Haec symptomata per aliquot septimanas durarunt et evanuerunt, quando hic morbus, cujus nullam aliam caussam agnoscit, se manifestavit. Paucis tantum medicamentis, quae nonnisi parum profuerunt, usus est. Praescriptum est medicamen ex fl. sulph. crem. tart. unc II et syr. q. s. f. Elect., cujus capiat dr. 1. 3 dd. Die 1 Februarii medicamentum illud alvum leniter movit, aliquis dolor adhuc circa anum restat, sed is multum remisit et ex quo medicamento uti coepit, parum sanguinis ejecit. Die 8 Februarii ab omnibus symptomatibus liber dimissus est. (IX. p. 83.)

Convalescentium cura inprimis idonea diaeta continetur, quae tum animum, tum corpus spectat, quare nec negligenda illius medicina est, quam medicos Thraces praesertim adhibuisse, So-

CRATES apud PLATONEM auctor est. Haec animi affectus regere perversosque sanguinis motus ratione componere docet, cujus quanta sit potestas, Socratis exemplo apparuit, quem eam, quam a natura acceperat pravam indolem praeclara hac vivendi arte, ita emendasse legimus, ut ea potiretur animi serena tranquillitate, quae in ipso vultum illum semper eundem effecit, qualem Xantippe in marito praedicare solebat.

Alia animi medicina est, qua alterum affectum altero tollimus. Qua in re divinam miramur sapientiam, quae quum homines animi affectu magis, quam ratione moveri noverit, optimam religionem cum optimo animi affectu, amore scilicet ex summorum recordatione beneficiorum nato, ita conjunxit, ut quo quis gratum magis habuerit animum, eo magis pium sit habiturus.

Altera pars curationis, quae corpus spectat, primo jubet plethoram minuere, tum aequabilem sanguinis cursum servare, denique fractum vasorum robur emendare. Minuitur plethora victu tenui, vegetabili, inprimis corporis exercitio, ad vires adcommodato, somnoque breviori. Aequabilis sanguini servatur cursus aequabili moderatoque omnium vitae munerum exercitio, sua singulis tempora constituendo, ut nunc mens exerceatur, nunc corpus ejusque varii motus tam animales, quam organici, neque uni nimium detur, sed omnibus suae concedantur agendi par-

tes. Tum quoque in vestiendo corpore cavendum est, ne aliae partes nimis tectae calescant, aliae fere nudae, quas tectas esse oportebat, refrigescant, aut ne crebro mutata vestiendi ratione, nunc foveantur, nunc objiciantur intemperiei aëris. Cavendum praesertim a pedum, abdominis, pectoris refrigerio est et cutis perspirationi prospiciendum.

Denique emendatur vasorum tonus frigore, cum *psychrolousia*, i. e. frigidis cutis lotionibus, frictionibus, aquae frigidae potione, tum aëris purioris, frigidioris, rusticani usu. Et ab harum quidem rerum prudenti moderamine congestionum perfecta curatio jure sperari potest; quum quas aetas profert, ipse sanabit ut plurimum vitae cursus.

Praecipue autem caveat medicus, ne sanguinis aliave profluvia, quibus ad sublevandas istas plethoras topicas utitur natura artifex, temere cohibeat, ne tum quidem, quum e locis minus tutis eveniant. Etenim a suppressa narium haemorrhagia cerebri inflammationes, congestiones, apoplexias lethales, a suppressa incaute haemoptysi, haematemesi, haematuria, haemorrhoidum, uteri fluxu tectas pulmonum inflammationes, phthises, abdominis, vesicae, uteri morbos organicos natos esse, scio: quare in haemorrhagiis illis sistendis medicinam adstringentem non salutiferam, sed vere mortiferam esse arbitror.

Caeterum de congestionibus conferri utiliter poterunt:

Georg. Ern. Stahl, *Theoria medica vera.*

Ludov. Choulant, *Lehrbuch der Specielle Pathologie und Therapie des Menschen*, 2 Aufl. Leipz. 1834. §. 171 sqq.

DE INFLAMMATIONE.

Est quaedam morborum familia maxime naturalis: inflammationes vocant, quae communi cognationis vinculo inter se continentur utque communes habent characteres, sic communibus oppugnantur auxiliis.

Rubor, tumor, calor, dolor inflammationem in parte externa praesentem indicant. Communis horum symptomatum sedes est in genere vasorum capillarium unaque ex sanguine origo. Stimulus cuicunque loco admotus sanguinis in eum affluxum concitat ex eoque pars stimulo irritata, sanguinis plena rubet, tumet, calet, dolet. Haec signa quamdiu subsistunt, tamdiu inflammationem subsistere declaratur, quam primum vero remittunt et hanc decrescere cognoscimus. Capillarium genere sanguine quo turgebat liberato atque aequabili circulationis motu restituto, inflammatio *lysi* aut resolutione terminata dicitur, qui

certe optimus est maximeque optabilis inflammationum praesertim internarum eventus.

Alter non lysi aut resolutione, verum secretione fit in aliis partibus alia alioque inflammationis gradu, sive lymphae plasticae in membranis serosis praecipue, pleura, peritonaeo, arachnoidea, membranis synovialibus caet. inflammatione mitiori, sive puris in tela cellulosa inprimis, aut in aliis etiam partibus, inflammatione graviori, sive muci crassioris, puriformis in membranis mucosis, inflammationis gradu nec summo, nec infimo ut plurimum, sed medio quodam. Hunc exitum vulgari suppurationis vocabulo quidam denominaverunt.

Tertius eventus in mortem partis transitus est, gangraenam et sphacelum hunc vocant, in quo sanguis ex vasis ruptis effusus, circulationem eo loco suffocans vitam partis inflammatae extinguit. Id factum cognoscitur tumoris subsidentia, coloris in nigrescentem aut lividum mutatione, doloris calorisque absentia, phlyctaenis in cute adparentibus.

Quartus eventus induratio est, ubi partis structura mutata duriorque facta est propter lympham plasticam in partem, quae inflammationem passa est, effusam cumque ea concretam. Hanc tumor indolens, neque renitens, loco prius inflammato relictus denotat.

Habetis quae signa, quos eventus huic morbi

generi obtingere medicorum observatio diligens notavit.

Differunt praeterea inflammationes ratione locorum, aetatum, sedis, decursus, compositionis, ut aliae sint regionum frigidarum, aliae calidarum, aliae infantum, puerorum, juvenum, seniorum, aliae membranarum, viscerum, vasorum, glandularum, nervorum, aliae acutae, aliae chronicae, aliae simplices puraeque aliae complicatae, impurae atque munerum laesiones partium discrimina sequantur.

Caussas quod attinet, universas uno stimulorum nomine licet comprehendere, qui sive externi, sive interni, sive psychici, sive physici, sive idiopatheia, sympatheia concitata, morbum provocaverint, semper partes vita praeditas irritando lacessiverunt. De singulis aptior dicendi locus erit, ubi singulas inflammationes exponemus.

Praesagia inflammationum ducenda sunt cum ab his ipsis, ab earum caussis, gradu, sede, impetu, tempore, tum ab aegro, ejus natura, aetate, vitae genere.

Inflammatio gravior, ex caussa non amovenda, in viscere nobiliori eaque aut summo impetu vigens, aut in suppurationem, gangraenam, indurationem sive tendens, sive terminata, in aegro debili, cachectico, infante, sene, vitae genere lautiori, aut pravo parvam profecto relinquit salutis recuperandae spem. Quarum conditionum quo

plures abfuerint, quoque plures praesto sint contrariae, eo magis fausta erit eventus futuri praesensio. Itaque inflammatio levior, aut nascens, ex caussa tollenda facile, in parte ad vitam minus necessaria, corpore aegri florente, puro, integro, robusto, juvenili, nec voluptatibus vitaeque deliciis fracto, bene sperare faustumque eventum praedicere jubent.

Inflammationum curatio adparatu et regimine antiphlogistico continetur, quo processum phlogisticum cohibere, id est irritationem vasculosam sanguinisque concrescendi nisum refraenare, turbatum denique generis vasorum nervorumque aequilibrium restituere, medicus conatur. Hoc fit et copiam sanguinis tum in corpore universo, tum in parte aegra minuendo et mutando sanguinis indolem inflammatoriam per ea medicamina, quae plasticam ejus crasin uti solvunt, ita pariter concrescendi nisum inhibent atque genere vasorum depleto sanguinisque phlogistici mutata natura, impediunt, quo minus effraenatus ille generis vasorum impetus nervorum genus aut percellat, aut opprimat sicque restituunt turbatum utriusque generis aequilibrium.

Atque haec, quo universum horum morborum genus cognosceretis dicta sufficient: pleniorem hanc vobis cognitionem efficietis, si singulas inflammationum species lustraveritis easque compa-

raveritis et quae pluribus communia, quae singulis propria sunt, secreveritis.

DE INFLAMMATIONIBUS.

Ut quae inflammationibus omnibus communia, quae singulis propria sint cognoscamus, juvabit primo adumbrare inflammationum historiam in singulis organismi textibus, ut sic veniamus ad scientiam et theoriam inflammationis, quae basis chirurgiae theoreticae est et medicinae practicae illius partis, quae morbos acutos inflammatorios horumque secundarios chronicorum complures complectitur. Incipiamus igitur a specie simplicissima maximeque cognita, ea in parte, quae elementum organicum primum et habetur et dicitur.

DE PHLEGMONE, SIVE INFLAMMATIONE CELLULOSAE.

Cellulosae inflammatae signa sunt: rubor, calor, tumor, dolor isque pulsans, sive cum pulsatione. Rubor semper increscere et notabilis esse, nec admodum circumscriptus solet; tumor durus, renitens, media parte protuberans, tensio magna, do-

lor tandem cum pulsatione, cum pruritus sensu, aut etiam pressionis alte penetrantis.

Raro solvitur, plerumque in suppurationem transit, saepenumero etiam in gangraenam.

Haec externa cellulosae inflammatae signa sunt. Anatome docet, inflammatione ipsam duplici privari, qua instructa est, dote, altera, qua distendi se facile patitur, altera qua elatere contrahitur distensa. Nam auctoribus Bichato et Gendrino dura fit simulque fragilis inque ejus areolas effusa conspicitur materies rubra, homogenea, opaca, gelatinosa, nec abluenda. Ab hoc inde loco textus cellulosus minus opacus, humore madidus, ruber et ad limites inflammationis effusio est serosa, oedematosa, renitens. Hoc loco vasa turgent. Serum citrinum effusum reperitur. Adeps gravi inflammatione decomponitur in liquamen rubrofuscum, qui detritus adipis dein cum pure confunditur et eliminatur. Si levior inflammatio, resorbetur adeps: unde macies partis ab inflammatione, quae tollitur postea, adipis secretione restituta. Injecti liquores non replent capillaria cellulosae inflammatae, sed ad limites ejusdem subsistunt.

Instante suppuratione minuitur rubor, facta fere evanescit. Tum cellulosa fit textus spongiosus, humore purulento gravis. Sub hoc tempus adparent filamenta alba, gelatinosa, semidiaphana, cellulosae adhaerentia primum, deinde ab ea sejuncta

cumque pure ejecta (*bourbillons*) quae ab eadem, qua pseudomembranae lympha plastica proveniunt. Pus vel ex cellulosa exprimitur, vel colligitur in abscessus. Ad limites inflammationis textus cellulosus crassior, albus, non pellucidus invenitur. Abscessus reconditur cavo membranaceo ex cellulosa densa et rubra. Interdum pus venis resorberi atque inflammationes facere metastaticas videtur: pulmonum, intestinorum, hepatis, ex quibus pereunt, quos erysipelas phlegmonodes interimit, aut abscessus magni magnaque vulnerum suppuratio.

Bichati observatio, cellulosam partes ambientem hasce a reliquis secernere et morborum esse repagulum, musculos spectat eaque loca, ubi cellulosa densa est et laminosa. Caeterum tenendum est, cellulosam semel inflammatam tarde admodum ac difficulter ad statum sanum redire.

Ab inflammatione acuta differt inflammatio cellulosae chronica, eo quod nunquam verum pus creatur, sed humor tenuis, saniosus, id est serosus, puriformis, qualis in ulceribus est. Praeterea albescit cellulosa, sed simul crassescit fitque impervia. Est haec, quam volumus, induratio alba, saepe tamen cum rubra mixta, unde marmoris instar adspectum habet variegatum. Nimirum in ea, quae dicitur induratione, lympha coagulabilis in areolas hujus textus cellulosi effusus cum eo concrevit unumque duntaxat et integrum factum est; quae indurationes com-

muni, improprio licet nomine *scirrhi* comprehenduntur. Chronica etiam cellulosae inflammatio est post abscessum. Tum haec suscitata format cystidem, pus cavo suo membranaceo includentem.

Gangraena propter excessum inflammationis fit, quum sanguis e vasis ruptis effunditur, et suffocato circuitu, sanguine coagulato reliqua vasa obstruuntur. Est effectus suffocatae, oppressae circulationis, obliterationis et rupturae vasorum. Nempe vasa minora capillaria rumpuntur, effunditur sanguis, reliqua vasa premit, in quibus sanguis coagulatur. In textu, in quo gangraena fieri incipit, absorbtio nulla fit, magna vero ad limites escharae: quam absorbtionem praesentia saniei gangraenosae in venis aliaque phaenomena testantur. Absorbtio in cellulosa inflammata longe tardior et minor est, quam in cellulosa sana. Sed valida ad superficiem vulnerum et ulcerum.

Ab ea, quae inflammationis vehementiam sequitur, differt altera gangraenae species, quam sanguinis humorumque corruptela infert, sive ex contagio, sive ex alia caussa. Ejus, quae a contagio oritur exemplum est in pustula maligna, cujus casum Vid. apud Gendrinum (*) et in gangraena nosocomiali (ibid., pag. 41.). Quod autem sanies gangraenosa in ipsa vasa deferatur, docet

(*) N. A. Gendrin, *Histoire Anatomique des Inflammations*, Paris et Montpellier 1826. Tom. I. pag. 39.

haec ejusdem observatio, ibid. pag. 113 sq. » Mulier gravida propter placentam uteri orificio insertam haemorrhagiam patitur intra septimum et octavum mensem graviditatis medium. Foetu verso partus absolvitur. Nec tamen quae ante partum prehenderat febris, stetit, verum increvit et gravissimi exorti sunt dolores, quo loco nervus ischiadicus incipit, quos sequebantur tumor lividus, laxus, prostratio virium et mors quadragesima a partu hora. In cadavere et alia reperta sunt morbi indicia et liquamen foetidum faecibus humanis persimile in vena cava inferiori ejusque ramis. Exempla pustulae malignae habet etiam PINEL *Nos. phil.* II. pag. 192 sqq. De gangraena Nosocomiali Cf. nostras Celeb. BRUGMANS in *Actis Societatis Harlem.* Tom. VII. Pars II. pag. 7 sqq. Amstelod. 1814. (*).

Circa omnes illas gangraenae species animadvertendum est, eas non ab ipsa inflammatione, verum a proprio fieri in corpore principio contagioso ideoque hujus loci non esse, verum peculiarem requirere et explicationem et curationem.

Est peculiaris tribus inflammationum: furunculosas vocant, quae ad cellulosam cutis pertinent, qua comprehenduntur: furunculus, hordeolum, anthrax, quorum hordeolum est furunculus palpe-

---

(*) Cf. A. N. GENDRIN *Histoire Anatomique des Inflammations*, Tom. I. initio.

brae, anthrax furunculus confluens, in quo prae tumore cellulosae vita suffocatur quique optime sectione cruciata tollitur.

Pustula maligna alia est, gangraena circumscripta, alia, gangraena diffusa, alia, affectis simul visceribus et sanguine, De furunculo et pustula maligna cum fructu consuletis P. Rayerum Tom. II. Operis quod inscribitur: *Traité theorique et pratique des Maladies de la Peau* 1835. Edit. alt.

Curatio phlegmones antiphlogistico adparatu continetur, cujus etiam in congestionibus mentio facta est. Ideo hoc loco ea tantum notabimus, quae phlegmonem propius spectant. Ejus partes praesertim duae sunt: altera, quae copiam sanguinis et impetum in partem aegram conatur minuere; altera, quae dotes et crasin sanguinis emendare studet.

Minuimus et copiam et impetum sanguinis tum deplendo corpus et partem ipsam, tum aliorsum avocando sanguinem, tum tollendo irritationis caussas.

Itaque primo stimuli amovendi sunt, qui partium phlogosin suscitaverunt. Illud tamen non semper tuto fieri potest, quemadmodum docent laesiones mechanicae, luxationes verbi caussa, quae ubi partes jam inflammaverint, prius habitus corporis deplendus est et relaxandus, quam encheiresin partes aegrae admittant.

Depletur corporis habitus universali sanguinis

detractione, qua vena secta in brachio aut pede educitur sanguis. Haec ideo in quacunque graviori inflammatione facienda est atque topicae sanguinis depletioni, qua ex loco affecto aut vicino per cucurbitas, scarificationes, hirudines emittitur, aut anteponenda, aut praemittenda, quia gravior inflammatio non topica affectio est, sed universalis cum febre inflammatoria conjuncta. Est igitur vena secanda et quidem largo vulnere facto, ut simul et semel magna dematur sanguinis copia. Quodsi hac ratione detrahatur, sanguis vase exceptus, neque agitatus sensim corio seu crusta obducitur, quae primo levis pellicula, quasi a lacte affuso, dein in duram pellem lardaceam concrescit, tandem haud raro extantibus marginibus mediaque parte excavata corrugatur. Est autem crusta illa coloris albi, subflavescentis, densa, tenax. Hae notae probe animadvertendae sunt, siquidem interdum in sanguine crusta adparet a phlogistica illa diversa. Est coloris albi, subflavescentis, quo distinguitur a crusta illa biliosa, flava, quam observavit Stollius et ab altera multicolore scorbuticorum. Est densa, tenax, ut cultro secanti resistat, atque summa hac tenacitate a feminarum gravidarum crusta discernitur. Nuper in gravi erysipelate phlegmonode faciei crustam vidi ex utroque genere, et bilioso et inflammatorio quasi mixtam. Erat densa quidem et tenax, sed simul viridi colore acsi bilem insperse-

ras, tincta. Biliosis sordibus e corpore prudenter subductis, tum emeticis refracta dosi, tum eccoproticis, tertia sanguinis missione (quinquies mitti debuit in femina sexagenaria plethorica, habitu apoplectico; adeo gravis erat morbus et tantus cerebri valetudinis metus) ecce crustam densissimam, tenacissimam nulla bile coloratam, ut sanguis ipse et morbi complicati praeberet et complicationis sanatae indicium. Erat autem febris et inflammationis tantus vigor, ut cute in facie ardente, et perquam rubente, ac tumente tanquam ex variolis confluentibus, pulsationes et fortes et regulares numeraverim centum triginta quatuor intra minuti primi tempus. Haec scribenti mihi in mentem veniunt praeclara Jo. HUNTERI verba: mutationes in sanguine pariter morbos exprimere atque partes quascunque alias corporis (*). Nec tamen soli huic corio ita fides habenda est, ut si absit, ipsam abesse inflammationem credamus. Multae enim caussae hujus corii sive crustae formationem impediunt. Animadvertendum est, ita candidus ille SYDENHAMUS, quod si sanguis e secta vena non recto flumine versus horizontem prosiliat, sed per cutim repens perpendiculariter dima-

(*) »We shall find that changes in the Blood are often as much expressive of disease, as any other part of the body." *a Treatise on the Blood, Inflammations and Gun-shot-wounds*, Vol. II. pag. 64. Lond. 1820.

net, utut celeri se proripiat gradu, tamen ad dictum colorem non accedit. Quinimmo cum hoc ipso modo extrahitur, si orificium angustius, sive quid aliud obstiterit, quo minus pleniori exeat gurgite, neque sanguis phlogisticum sanguinem colore aemulatur, neque aeger par exinde commodum capit. Observavi etiam, quodsi sanguis recens extractus quocunque demum modo fluxerit, inmisso digito agitetur, superficie rubenti ac florida, ut in aliis morbis quibuslibet, spectabitur."

Equidem candide fateri cogor, me non semper eadem, quae SYDENHAMUS observasse atque etiamsi lente fluxerat, crustam factam vidisse: hanc vero, quo angustiori vase exciperetur, eo citius natam animadverti quodque saepius miratus sum, in haemoptoicis praesertim et phthisicis post creberrimas sanguinis detractiones, auctam perpetuo seri copiam, una cum increscente phlogistica placentae conditione, ut tandem parva insula, sed densissimo, maximeque excavato corio tecta, copiosissimo sero innataret. Verum etiam absente corio inflammatoria sanguinis diathesis cognosci potest, tum quod diutius fluidus manet et tardius concrescit sanguis inflammatus, tum quod quam primum crassamentum a parte serosa secedat, serum et multo citius et multo perfectius ex crassamento exprimitur. HUNTERUS l. l. promptius partes sanguinis inflammati secedere et tardius

concrescere lympham coagulabilem monet, verum postquam coagulata fuerit, densiorem fieri.

Jo. Mullerus Vir Cl. adjecto sanguini subcarbonate potassae coagulationem retardavit sicque crustam vidit arte factam in sanguine sano. Is crustam fieri perhibet, si globuli sanguinis ante coagulationem decidant ac pars fibrosa ad eorum superficiem concrescat.

Nec sic tamen explicatur, cur tardius concrescat, praesertim cum pars fibrosa seu fibrina aucta deprehenditur, quocirca cum Berzelio statuendum videtur, affinitatem inter globulos sanguinis sive cruorem et fibrinam atque albumen esse mutatam, quamvis hujus mutationis caussas non satis perspiciamus.

Alteram curationis partem eam esse diximus, quae sanguinis crasin emendare conatur. Haec nequaquam praetermittenda est: nam quamdiu sanguinis phlogistica diathesis superest, etiamsi evacuando exhauriatur corpus, non tolletur prorsus inflammatio.

Hoc consilio potissimum aquosis, diluentibus, tepidis potionibus utendum esse, aegris praecipiunt medici. Etenim nihil magis diluit, quam aqua, nihil magis relaxat, quam aqua tepida. Itaque, ut recte Swietenius, basis omnium medicamentorum antiphlogisticorum est aqua, cui adduntur mollissima, farinosa, cum ut magis laxentur vasa, tum ut vires leviter nutriendo susti-

neantur: quale est decoctum hordei, panis, oryzae, caet. Quibus ut sitim magis restinguant addun-tur succus citri, aurantiorum, aut syrupi e fructibus parati. Praeter haec etiam nitrum praescribitur, quod certe efficacissimum est ad mutandam crasin sanguinis phlogisticam remedium. Par salis ammoniaci, par hydrargyri virtus est, sed limitata magis, neque cunctis inflammationibus omnibusque earum stadiis pariter apta: quod neque de ipso nitro, magis tamen communi auxilio, praedicari posse, deinceps intelligetis.

Phlegmone sua sponte in suppurationem transit, quae interdum evenit, etsi strictus adhibeatur apparatus antiphlogisticus, quam nascentem praenotant gravior inflammatio, symptomata non sedata; natam indicant horripilationes, febris sine crisi remittens, sensus ponderis in parte aegra, quae in mucronem album, mollem attollitur atque humorem fluctuantem ostendit; haec signa in tumore externo tantum adsunt universa.

Nascitur pus vera secretione vitali, morbo inflammatorio provocata; estque optimum, laudabile, quod album, laeve, subpingue, aequale, inodorum, eoque pejus est, quo magis ab his dotibus deflectat. De ejus criteriis non convenit inter viros doctos. Est tamen distinguendum inter pus verum, quod contextus cellulosi, mucosi productum atque alios humores aliarum partium inflammatarum: cumque nec chemica analysis, nec microscopicae observa-

tiones discrimen certo indicent, non supervacaneum erit, experiri utrum fermentatione i. e. analysi spontanea res effici possit, quae Brugmansii sententia fuit (in Diss. de *Puogenia*). Suppurationem indicata symptomata si ostendant, haec justo febris moderamine, fomentis topicis, leni praesertim calore quantocyus promovenda, abscessus maturus aperiendus, pus evacuandum, ulcus sanandum.

Febre utitur natura, tanquam suppurationis perficiendae instrumento; quapropter haec nisi aut effervescat nimium, aut langueat, sibi permittenda, neque venaesectionibus extinguenda, immo si langueat, caute excitanda.

Loco ipsi imponenda cataplasmata lenia, humectantia, tepida. Nulla enim suppuratoria specifica sunt, praeterquam calor, isque temperatus, humectans, quo cutis ita disponitur, ut facili negotio et abscesus rumpat et exeat pus. Quam primum abscessus maturus sit, quod tumor mollis mucronatus humorisque fluctuantis sensus indagabunt, pus educendum est, ne ulcera interna fistulosa fiant et febricula purulenta hectica suboriatur.

Quodsi intus haereat abscessus, interdum utiliter suppuratio loco vicino externo per fonticulos, setacea, cauteria excitabitur, arte naturam imitante, quae abscessu externo internum nonnunquam sanat.

Gangraena facta, medicum oportet viribus aegri prospicere, gangraenae progressum praecavere, sepsin arcere. Respectu virium vitae duplex est gangraenae species: altera, quae ab inflammationis vehementia inducitur, altera quam infert debilitas. Hinc duplex quoque gangraenae curatio est, sive refrigerans, sive roborans, cardiaca. Vitae vim vigere declarant pulsus fortis, magnus, subdurus, calor corporis, urina probe colorata. Solet haec gangraena juvenum esse plethoricorum et virorum robustorum. Hisce prodest medicina subantiphlogistica, acidula, refrigerans. Debilitatem indicant pulsus debilis, frigus extremorum, urina pallida. Cardiaca, nervina, antiseptica eapropter idonea. Gangraenae progressum avertimus justo moderamine virium, quibus inflammatione ac suppuratione facta, partes vivae a mortuis partibus secernuntur.

Sepsin arcemus, humoris gangraenosi exitum per scarificationes non profundas, illaesis partibus vivis, promovendo vitaeque viribus cortice Peruviano, serpentaria, camphora, acidis mineralibus, vino erigendis: nam summum antisepticum est vitae principium. Amputatio raro juvat: nisi faciat natura (*). Quod a gangraena, parte mortua separata, superest ulcus, eodem virium moderami-

---

(*) Richter *Anfangsgründe der Wundarzneykunst*, I. B. pag. 79 sqq.

ne, alimento praesertim idoneoque regimine sanabitur.

Indurationi partis inflammatae superstiti medetur saepenumero perpetuus, quem nutritio concitat, compositionis et decompositionis motus, neque unquam malignae est indolis. Verus contra scirrhus, ut partis glandulosae morbus esse solet, ita hujus loci non est eumque caute ab induratione discernere oportet.

Quaeritur jam quousque sanguis mittendus sit. Respondetur eo usque, donec retusus fuerit morbi inflammatorii impetus. Ubi phlegmone oculis patet, oculis etiam metiri morbum licet, ejusque decrementum decrescentibus tumore, calore, rubore, dolore notare; verum ubi latet in corpore, ex partis inflammatae laesa actione, ex signis sympathicis, tum generis nervorum, qualis dolor est, tum generis vasorum, praesertim pulsu motuque circulatorio, probabili conjecturâ assequimur. Febris et pulsus ubi notabiliter decrescunt, ab iteranda venaesectione tutius abstinebit medicus. Hirudinum admotio, non in loco inflammato, sed in vicinia ejus tum praecipue commendanda est, quum febris abest et phlegmone ipsius partis aegrae finibus continetur, neque alias communes generis vasorum affectiones suscitat.

Neque existimetis, perinde esse, utrum repetitis vicibus, an vero una vice haec fiat sanguinis jactura. Nam acutis morbis acuta, id est prompta

curatio convenit sique principiis non obstes, sero parabitur medicina, aut abscessu facto, aut gangraena. Est tamen, ubi vires, aut aegri conditio magnam sanguinis jacturam non ferant tumque, ut in gravidis, in duo tempora non nimis longa auxilium dividere oportebit. Quam methodum a Botallo adhibitam laudare solebat in Lectionibus practicis Nic. Paradisius Vir Cl., quondam hujus Academiae decus et ornamentum.

Alterum auxilium, quo corpus depleri et evacuari potest, quodque in hoc morbi genere adhibetur, est alvi purgatio. Ne tamen adhibeatur, siquidem clausa alvo opus sit, nisi post detractum sanguinem. Nam omnis gravior, quae cum febre est, inflammatio ante omnia postulat generis vasorum depletionem. Cui, si non obtemperemus praecepto, ab alvi purgatione augebitur irritatio et exasperabitur morbus (Cf. Hippocrates *de Victu Acutorum*). Ita enim humores tenuiores serosi per alvum educuntur et corpus nullo cum fructu debilitatur. Neque etiam validiora purgantia, verum ea ex magna catharticorum classe seligenda sunt, quae levi tantum stimulo alvum sollicitant quaeque vulgo *eccoprotica* solent vocari, interdum salino stimulo acuenda, inprimis sulphate sodae, quod et facile solvitur et non facile decomponitur. Itaque e vegetabilibus pulpa tamarindorum, pulpa cassiae, manna hujus census sunt, electuarii aut solutionis forma. Decoctum

graminis et fructuum tamarindi addito sale Glauberi praescribere solebant antiquiores eoque solvere mannam, aut ei adjungere syrupum, saporis gratia.

Copiam sanguinis et humorum minuimus iis, quae diximus remediis, iisdemque ipsorum impetum in partem inflammatam cohibemus atque aliorsum avocamus sanguinem. Illud, si ad loca remota feratur, *revelli* dicitur, unde *revulsio* ducta est, sin vero in partem vicinam deponatur hincque evacuetur; dicitur *derivari* quaeque inde nata est methodus, vocatur *derivatio*. Suas singula curatio magnasque habet utilitates. Revulsio utilis est inflammationibus nascentibus magnisve: derivatio natis minoribusque. Revulsio universale magis remedium, derivatio topicum. Igitur quamdiu nondum confirmata sit inflammatio, revellendus est sanguis, quorsum spectant praeter sanguinis detractionem in parte remota et alvi purgationem, epispastica, rubefacientia, locis remotis adhibita, quae tum demum proderunt, ubi spes est, fore ut stimulo suo vincant irritationem iuflammatoriam. Minus discriminis est in adhibendis fomentis et balneis topicis iisque tepidis vasa cutanea laxantibus ita ut majorem sanguinis copiam retineant, lenique stimulo congestionem cutaneam facientibus, quibus etiam clysteres emollientes, tanquam balnea interna, cutim intestinalem humectantia adnumeramus. Veluti revulsio partes remotas, ita vi-

cinas spectat derivatio. Hac enim curandi ratione sanguis aut e parte affecta in partem proximam devocatur, aut e parte proxima educitur. Quae derivant auxilia, vel sanguinem evacuant: depletiones topicae per hirudines, cucurbitas, scarificationes; vel serum: vesicantia; vel sanguinem abducunt tantum: balnea, fomenta, rubefacientia eaque natis jam inflammationibus accommodata sunt. Depletiones topicae fiant e parte vicina, non e parte ipsa: inde enim plus mali a stimulo timendum foret, quam boni foret sperandum, aut exspectandum a topica evacuatione. Quae serum educunt vesicantia, praesertim inflammationibus catarrhalibus, rheumaticis idonea sunt. Quae cutim stimulant rubefacientia, tum demum proderunt, quum deferbuerit inflammationis saevitia; quamobrem tutius est hisce auxiliis uti, declinante inflammatione. Fonticuli et setacea, quae faciunt inflammationem purulentam, ulcerosam, ad inflammationes chronicas identidem revertentes tollendas aptissima, in acutis inflammationibus nihil levaminis promittunt. Denique fomentationibus tepidis loca inflammata aut hisce proxima fovenda, post factas depletiones ac sedatam inflammationis vehementiam, quo tempore leni calore humido vasa laxant, spasticas stricturas solvunt, dolores mitigant, sopiunt atque hoc pacto egregie sedant.

DE INFLAMMATIONIBUS MEMBRANARUM MUCOSARUM.

Etsi veterum observatio fida jam notaverat morborum generis mucosi adfinitates, quos communi nomine catarrhos et rheumata dixerant, manca tamen theoria harum adfinitatum caussas non ab anatome, verum ab humorum pathologia repetiverat communique profluvio mucoso. Debetur ea recentioribus laus, quod in hisce adfinitatibus explicandis anatomen adhibuerunt interpretem, quemadmodum in practicis primus, quod nos quidem novimus, facere instituit Pinellius. Is enim usus est methodo analytica eaque in distinguendis disponendisque inflammationibus usus est feliciter. Accesserunt praeclari Mariae Francisci Xavierii Bichat, Viri immortalis, in membranarum doctrina illustranda collocati labores, qui, ut fatetur ipse, Pinellii librum legens ad suum ipse librum scribendum concitatus est. Exstitit deinceps Pinellii discipulus primum, adversarius dein Broussaissius, qui edita Historia Phlegmasiarum, harum etiam historiam inflammationum multis observationibus illustravit ab eaque novae doctrinae initia duxit. Haec doctrina quum magis percrebuit, eo acriorem subiit Virorum doctorum censuram, quo acrius in alios aliter sentientes inve-

here solebat Auctor. Exinde plura ab aliis edita sunt opera ad hanc medicinae partem explicandam. Ex quorum scriptorum numero fuere GENDRIN et BILLARD. Ille in Historia Anatomica Inflammationum quum censeret, quam in elementis organicis sanis describendis operam posuerat BICHAT, eandem in morbosis etiam ab aliis ponendam esse, eam hujus officii partem implevit, quae circa inflammationes earumque in corporibus mortuorum notas describendas versatur. Hic in mucosa intestinorum lustranda tantam curam adhibuit, ut de hujus membranae conditione tum sana, tum morbosa sive phlogistica hac, sive alia quacunque post mortem inventa nullum ferme inter rei peritos medicos dubium superesse possit.

Membranae mucosae latius, quam vulgo creditur, patent. Nam si cogitemus, eas et per digestionis et per respirationis et per secretionis et per generationis officinas pertinere, quarum internam faciem velant, quarumque partem praecipuam efficiunt, videbimus, ipsas ad interna oeconomiae penetralia produci, tanquam commune corporis integumentum atque alteram cutim, externa illa altera longe ampliorem, plicis praeterea, valvulis, villis, anfractibus multo auctiorem magisque explicatam, munerum vitae numero, diversitate, gravitate cutaneo systemate superiorem, et adsentiemur BICHATO adfirmanti, huncce organismum

mucosum esse primarium in corporis oeconomia emunctorium.

Hae enim rerum externarum adpulsum patientes, aërem inspirantes, exspirantes, alimenta solventes, absorbentes chylum, mucum secernentes aliosque humores, multa obeunt multumque diversa munera vitae, quae ipsarum valetudine turbantur. Magnum igitur lateque expansum faciunt partium internarum involucrum, altera facie cellulosae adnexum, hacque interposita musculis, altera libera contextus mollis, villosi tenuique epithelio tecta, quod utrum per omnem pertineat faciem mucosam, dubitatur. Iis intextae sunt numerosae tenerrimaeque vasorum atque nervorum propagines habentque folliculos cryptasve muciparas et villos seu papillas et plicas, quamplurimis locis, quibus earum superficies mirifice explicatur, augetur, amplificatur. Pluribus ex fabricatione sua praeditae sunt vitae dotibus: sensu motuque organicis ad orificiaque sensu animali organico juncto, tanquam janitore; atque sympathiae consensusque vinculo cum plurimis partibus nectuntur et secum invicem, et cum cute, sive sensum excitantes, seu motum organicum, animalem, obscurum, manifestum, ut in titillatione, pruritu, nausea, tussi, sternutatione, vomitu, haemorrhagiis. Praesertim et ex humido frigido aegrotant aliarumque rerum stimulo peregrino iis admoto, et ex facta vitae metamorphosi.

Coloris mutatio primo notanda, qui alius est alia aetate alioque vitae tempore, sive vacuo ventriculo, intestinis, sive plenis iisdem. Quinimmo texturae mutatae non eadem semper significatio est. Alia enim ab inflammatione est, alia aliis debetur caussis, quod indicarunt tum Billardus, tum Gendrinus, pluribus locis. Hae conditiones eapropter sedulo notandae, ut ab eorum caveamus errore, qui ubicunque rubet mucosa in cadavere, inflammationem accusant omnemque febrium cohortem inflammationum mucosarum nomine adpellant. Rubet mucosa gastrica in foetu, rubet sub digestionis opere, rubet ex congestione venosa, rubet ubi inflammatur. Hosce rubores probe discernere singulisque suum tribuere sensum oportet. Quum ciborum sint in ventriculo reliquiae aut intestinis, cavete ne inflammationi tribuatis, qui a cibis est ruborem, utut a morte superstitem. Quum mors fuerit asphyctica, aut caussae exstiterint mechanicae liberum sanguinis circuitum per cor aut vasa impedientes, quum sanguis in venas congestus sive ante obitum, sive postea, locum declivem occupaverit, ab ejusmodi fallaciis pariter cavendum est. Quod ubi fiat, minus disputabitur de natura morborum phlogistica, minusque eorum adhaerebimus doctrinae, qui vel semper, vel nunquam membranarum mucosarum phlogoses praetendunt.

In foetu et recens natis, ut cutis, ita colore

roseo rubet mucosa. In adolescente lacteum ducit colorem; in adulto ac sene opacior fit ac griseus. Rubet sub digestione pariter atque sub abstinentia protracta et in febre traumatica. Pallet ex morbo chronico atque inanitione. Turgent venae ex congestione post asphyxiam. In villosis, quas hoc loco praesertim volumus, discernendae variae partes: folliculi, sive cryptae muciparae, papillae sive villi et membrana reliqua, quarum aliae aliis morbis afficiuntur. Collapsis ex morbo chronico folliculis, marcidis villis, cellulosa atrophica, superest membrana tenuis, instar mollis pelliculae. Exinde intelligitur atrophia et emollitio membranae internae intestinalis in cachecticis senibusque diarrhoea chronica extinctis. Folliculi evolvuntur in iis, qui ex catarrho pereunt. Villi, qui radiculae portarum venae, tumefiunt, ubi turbata circulatio ex hepatis, cordis morbo. Ubi alimenta in ventriculo, chymus in duodeno est, facta congestione harum partium, mucosa colore roseo suffunditur, qui post peractam digestionem iterum evanescit. In senibus grandaevis, ut reliquae partes marcescit, glabra fit, alba, sine villis fere et sine rugis, muco aliisque humoribus vix irrigua, hic illic caeruleis vasis tincta, raris illis, quae ramis mesentericis respondent, ut tubus cibarius in statu decrepito versari videatur. Glandulae muciparae Peyeri ad finem ilei accumulatae racematim in margine libero intestini sive solitariae sive

coagmentatae olivarum adinstar dispositae. Priores amplissimae cryptae muciparae in stomacho prope pylorum, in duodeno, (Brunneri glandulas vocant) et crasso, utroque margine, milii magnitudinis. Agminatae sunt ad inferiorem ilei partem in margine libero, uberrimae in regione ileocoecali; saepius vix adparent, interdum admodum evolutae sunt, praecipue in morbis, ut viderunt Roederer, Wagler, Andral.

Si jam quaeramus, qualis sit adspectus mucosae inflammatae, hic semper cum adspectu mucosae sanae comparari debet, alia aetate, vitaeque conditione alio, tum etiam ad habitum aliarum partium animus adverti. Nam uti rubet v. c. mucosa intestinalis in tenellis albescitque senectute, colore pallido, chlorotico, sic junioribus muci ubertas est, et folliculorum amplitudo major et villorum mollium, densorum copia: senioribus contra muci inopia, membranae siccitas, glabrities et habitus sterilis, atrophicus. Idcirco inflammationis mucosae indicia accurate indaganda sunt. Ejus praecipuum indicium est rubor (si acuta fuerit) a roseo colore inde ad fusco-nigrum: a ramificationibus levissimis, maxime superficialibus ad maculas intensas omnem membranae faciem occupantes: neque in loco declivi tantum eoque circumscriptus, vasis vicinis passiva congestione repletis, aut corde vasisque majoribus ex morbo obicem mechanicum sanguini circumeunti opponentibus. Por-

ro, quod alterum indicium est, mutatur membranae cellulosae suppositae contextus ipsaque muci secretio. Rubor iste mucosae varius conspicitur, injectione ramiformi, vasorum ramulis sanguine turgentibus, muco tenaci membranae adhaerente, vacuo venarum abdominalium mesentericarum systemate, quae inflammationis levioris, aut declinantis indicia; aut capillarium, in vicinia partis inflammatae, ulceratae; rubor *punctatus*, *striatus*, quae striae saepius, si profundior, violaceus color, a congestione venosa, in asphycticis; rubor *maculatus*, mucosa crassiori, muco uberiori, crasso, tenaci, et rubor *diffusus*, si ab inflammatione sunt, id indicatur muci mutata secretione, absentia congestionis venosae et caussarum mechanicarum sanguinis liberum motum impedientium; pariter *griseus*, aut *subniger* color tunc solummodo phlogosin notabit, quum reliqua non deerunt signa inflammationis, atque vomitus, diarrhoea, dysenteria, haemorrhagiae intestinales illud in aegro homine jam designarint. Quodsi fuerit phlegmasia chronica aut gravior, mutatus cernitur membranae contextus: crassior, angustior, contractior, ulcerosus, oedematosus, fungosus, emollitus, gangraenosus, polyposus, hypertrophicus, atrophicus, quorum nonnulla sine inflammatione esse possunt, alia hanc semper comitantur; quo magis accuratum sit examen oportet, ut singula cum morbi symptomata, tum phaenomena in

corpore mortui conferantur, ne in judicio aberret medicus.

Itaque mucosae inflammatio dignoscitur rubore ejusdem et crassitie, muco copioso, crasso, textu cellulari, submucoso, facile dilacerando. Interdum canalis cibarius distenditur, expanditur, interdum coarctatur ab inflammatione propter crassiorem scilicet mucosam, aut contractam tunicam muscularem, ubi hanc etiam occupaverit inflammatio. Adspectus hydropicus aut fungosus solus non indicat phlogosin, nisi alia notentur illius indicia: mutata muci secretio, ulcera, excoriatio, nullum mechanicum circulationis impedimentum: neque phlogosin indicat emollitio, nisi simul congestio sit. Glandulae muciparae inflammatae tument, tumore conico, rubro, apice depresso, praesertim in vicinia coeci, qui saepius Bauhini valvula limitatur. Videtur iste morbus a regione ileo-coecali initium ducere et subinde etiam glandulas mesenterii invadere: stipatur febre atactica, adynamica hujusve potius sub forma ac larva in scenam prodit.

Ulcera acuta, chronica, illa in febre putrida adynamica, haec in scrofulosis, phthisicis in regione ileo-coecali tum ex glandulis muciparis vitiatis, tum ex mucosa ipsa sunt; ab ulceribus emollitio, perforatio infantibus eveniunt una cum peritonitide, quo fit ut apertura claudatur pseudomembranis. Gangraena facta factisque escharis, inflammationis

notae interdum adparent, interdum desunt: Ulcera gangraenosa fiunt ex inflammatione gravissima. Cicatrices ulcerum discernuntur superficie rubra, laevi et contextu mucosae crassiori magisque compacto, adspectu denique mucosae villoso illo ac naturali prorsus deleto. His cicatricibus claudi plane ulcera posse, docuerunt observationes cum aliae, tum in Beclardi Viri Cl. corpore factae.

DE CORYZA, SIVE CATARRHO NARIUM.

Membranae mucosae inflammationes communi catarrhi nomine comprehenduntur: quae sive narium sinus, sive fauces, sive oculorum conjunctivam, sive bronchia, sive canalem cibarium, sive systema uropoieticum, genitale, invadentes coryza, angina, ophthalmia, bronchitis, gastritis, enteritis, catarrhus vesicae, blennorrhagiae adpellantur. Ex veteri humorum pathologia ad varias partes a capite defluxus credebuntur, quod notissimus versiculus indicat:

Si fiunt ad pectus dicatur rheuma, catarrhus,
Ad fauces branchus, ad nares esto coryza.

Haec, coryzam volo, levissima catarrhi species est, in qua olfactu hebetiori, acutissimus est sensus organicus Schneiderianae. Ipse aër ingrate

afficit nares, quae vel siccae prorsus, vel tenuem humorem stillantes pruritum patiuntur et sternutationem ex levi etiam stimulo. In fronte dolor et sensus ponderis est, lacrymas fundunt oculi, simul affecta conjunctiva, aut tussiunt aegri mucosa pulmonum aegrotante, aut febricitant, mota sive ex graviori valetudine, sive aegro mobiliori cordis sympatheia.

Historias morbi legere cupientes adeant Pinel *Nosogr. Philos.* Tom. II. pag. 226 sqq., ubi tum levioris morbi gradus, tum coryzae pertinacis exemplum, ab aliis auctoribus mutuatum, producitur.

Caeterum adeo vulgaris inter nos morbus est, ut nemo vestrum fuerit, quin vel ipse eum expertus sit, vel alios viderit plures, illum patientes. Nascitur nempe praesertim sub verno mutabili coelo, aut regnante humido frigido autumnali atque adeo communis est hisce temporibus, ut Epidemiae more quoscunque ferme invadere soleat: infantes, pueros, juvenes, senes, mares, feminas, pauperes, divites; atque prognosin habet faustam et facilem curationem vel lippis ac tonsoribus notam: medicina ac regimine diaphoreticis prudentique aëris matutini, vespertini, nocturni rerumque irritantium evitatione, ne scilicet cordis moveatur sympatheia et accendatur febris, quam vocant, catarrhalis inter nostrates Vere potissimum regnans, nec semper periculi expers,

praecipue medico naturae magistro in morbum saeviente.

Inflammationis declinantis indicium est mucus viscidus, loco humoris tenuis e naribus stillantis antea, emunctus, reliquis incommodis aut sublatis penitus, aut plurimum mitigatis. Interdum ex acuta fit chronica et saepe pertinax inflammatio, alternisque vicibus aut intenditur, aut remittitur. Raro suppuratione, abscessu, vix gangraena terminatur. Gendrinus scripto consignavit notatu dignam morbi historiam infantis, sexto aetatis mense ex enteritide chronica mortui, qui decimo quarto ferme ante obitum die coryza gravissima unaque oculi sinistri inflammatione corripiebatur, in quâ Schneideriana muco viscido viridi obducta striisque brunneis tincta erat, ex sanguine nigro sub mucosa effuso: inque meatu superiori abscessus plenus puris laudabilis. Ipsa mucosa perquam crassa erat, sinubus integris, licet muco repletissimis. In altero loco igitur suppuratio erat, in altero gangraenae initium, quemadmodum sanguis effusus subindicare videbatur. Simul casus docet, cur ex coryza epistaxis eaque critica saepenumero contingat, evacuatione topica plethoram topicam tollente.

Complicatur coryza cum aliis aliarum partium catarrhis, catarrho oculi, aurium, faucium, pulmonum, intestinorum, cum febribus cumque inflammationibus aliis. In scrofulosis crebra et per-

tinax blennorrhoeae, seu muci profluvii chronici formam induit.

Tam levis plerumque valetudo est, ut vix ullam requirat curationem eamque diaeteticam magis, quam therapeuticam. Subinde gravior est, quam mitigant fomenta et suffitus tepidi, relaxantes, demulcentes, factae etiam, si ita jubeat oppletio capitis, depletiones topicae per hirudines, diaphoretica leniora, antiphlogistica, diluentia, demulcentia, balnea tepida, pediluvia, manuluvia, alvi lotiones, victus humidus, tenuis, levis.

Ubi chronica coryza, ibi tonica magis amara et corporis exercitationem laudant cavendumque recte monent, ne quae in consuetudinem abierit evacuatio, temere supprimatur: inde enim dolores capitis, ophthalmias, aliosque aliarum partium mucifluxus factos esse et legimus et audivimus et vidimus ipsi. Quod praeceptum in primis tangit scrofulosos, quorum coryza chronica medendi rationem peculiarem petit, ipsi diathesi scrofulosae emendandae idoneam, tum internam per medicamina antiscrofulosa, tum externam per exutoria, facta metastasi in cute artificiali.

DE ANGINA.

Angina graeco vocabulo *κυνάγχη* dicitur, quoniam si morbus gravior fuerit, aeger hac valetu-

dine afflictus oculis prominentibus, lingua exserta, canis strangulati imaginem refert.

Generis hujus notae sunt: laesa cum dolore et dyspnoea deglutitio. Itaque inflammatio est, quae in faucibus esse consuevit et in qua vulgo tum deglutitio, tum respiratio laeditur, ita tamen ut aliquando majus in deglutitione, majus aliquando in spiratione sit vitium, aeger non cibum devorare, non potionem possit spiritusque ejus intercludatur. Cujus morbi alia est species, quae *pharyngea*, alia quae *laryngea* adpellatur.

Docet anatomes scientia, in faucibus sibi vicinas esse supremas et oesophagi et asperae arteriae partes, quae quoniam utraque inflammationis, suis singulae symptomatibus notatae sedes esse potest, a simplici hac distinctione simplicem ducere lubet morbi faucium inflammatorii divisionem. Species anginae aliae a Nosologis commemoratae partim hujus non sunt loci, partim sub hisce comprehendi facile poterunt.

In pharyngea deglutitio potissimum laeditur, tumor et rubor est in faucibus conspicuus: in laryngea praesertim laeditur respiratio, nullus est in faucibus aut tumor, aut rubor majusque a morbo imminet discrimen, quia larynge aërem vitae pabulum haurimus: quae angina nulla habens manifesta in faucibus indicia, veteribus occulta dicebatur, de qua multa exstant Asclepiadarum praesagia infausta.

Angina pharyngea hisce praesertim cognoscitur indiciis: faucium tumore, rubore, calore, dolore, deglutitione summopere impedita, summumque dolorem inducente, materia deglutienda per os, nares redeunte, aut versus asperam arteriam pulsa et vehementem ibi tussim excitante; perpetua copiosaque salivae mucique spissi excretione, facie rubra, tumida, febre continua, pulsu celeri, forti, duro. Haec sunt praecipua maximeque notanda gravissimi hujus saevissimique morbi symptomata, quem si ipsis naturae coloribus depictum cupiatis, en Aretaei, veterum diagnostici summi, graphicam hujus valetudinis gravissimae descriptionem (*De Caus. et Sign. Acut. Morb.* Lib. I. Cap. VII.) » Adest hac angina laborantibus tonsillarum, faucium, totius oris inflammatio, lingua extra dentes et labia prominens: saliva effunditur, pituita crassissima ac frigida defluit, facies rubicunda et inflammata est: oculi exserti, patentes, valde rubent, potus in nares refunditur: dolores acerbi sunt, sed strangulatione vexati eos obscurius sentiunt, pectus et cor ardent: frigidi aëris desiderium adest et admodum exiguum inspirant eo usque, donec demum, intercluso ad pectus aëris transitu, strangulantur." Hoc est illud veterum inimitabile morbos depingendi artificium. Miserum ipsum nobis adspicere videmur, lingua exserta, facie rubente, oculis prominentibus, interno aestu ardentem, frigidi aëris desiderio, vano aërem captandi moli-

mine defatigatum, diroque tandem fato succumbentem. Quicunque hanc descriptionem legerit, ipsum morbum agnoscet, etiamsi observasset, aut vidisset nunquam.

Ab hoc summo morbi gradu plures sunt ad levem faucium catarrhum intermedii, in quibus cunctis tamen ea symptomata, leviora licet, observabimus, quae harum partium impeditam ex phlogistico morbo functionem indicabunt.

Verum lubet addere historiam a summo MORGAGNO exaratam, quae simul morbi characteres anatomicos vobis cognitos faciet: qui eo magis attendendi sunt, quia rarae sunt anginosorum cadaverum sectiones scripto traditae.

» Faber lignarius triginta tres circiter annos natus, procerus et magno corporis habitu, praepinguis, antea, quantum sciri potuit, sanus, cum a vino et igne praeter modum incaluisset, noctu, frigidissima tempestate, domum petiit. Ibi vehementi febre et angina correpto accersitus eadem illa nocte medicus sanguinem e brachio mittit. Nihil remittente morbo fertur mane in nosocomium, ubi idem auxilium iteratum, sed frustra adeo, ut pomeridianis horis sanguinem miserint e pede. Proximo die cum caetera pariter, quae antea et quae tum dabantur, sive ut lente poterat deglutienda, sive exterius admovenda, nullum afferrent utilitatem, mane rursus e brachio sanguis est missus, a meridie autem ex iis, quae sub lin-

gua sunt venis: nam jugularis, ut voluissent, aegro eum, qui requirebatur, positum non ferente, incidi non potuerat. Post haec omnia non modo non decrescentibus, imo semper magis invalescentibus febre et corporis jactatione et cum his simul deglutiendi, loquendi, spirandi difficultate, cum tertio jam morbi die se dixisset a quindecim, aut certe non multo pluribus diebus virulenta gonorrhoea laborare, vena iterum pedis secta est. Sanguis toties eductus crustam in summo habuit nunquam, sed duriusculus semper fuit paucoque cum sero. Collum erat subtumidum; non facies, quae nec rubicunda erat. Duabus circiter a novissima venae pedis sectione interjectis horis, etsi pulsus adhuc perstabant validi, ipse tamen aeger proximam mortem praesensit, quae revera mox ingruit, eodem die tertio circa meridiem, ita tamen, ut casu videri posset ingruisse. Cum enim eam, qua utebatur aquam poposcisset et incautius fortasse in fauces paululo plus demittere voluisset: continuo ea ratione mortuus est, ut qui adstabant, inde suffocatum existimarent. Lingua visa est aequo crassior. Et uvula quidem ac palatum mobile sana erant. Tonsillae vero et membranam habebant, qua obteguntur, a flavo sero subsistente crassiorem factam, ut *gelatinam* quandam subflavam referret et ipsae tumebant, sed magis sinistra, quae durior erat et si exprimeres, aut secares, pus emittebat. Proximae laryngis non carti-

lagines solum, sed et proprii musculi, quos singulos perlustravi, labe omni et inflammatione carebant. Vitium autem in membrana erat, qua larynx intus extraque vestitur. Intus quidem levius, sed extra gravius. Intus enim rubicundior illa erat, quam solet, ut in vicina etiam parte asperae arteriae, et subtumida quoque, sed leviter, ut glottidis rima non propterea appareret angustior. Qua enim eadem membrana epiglottidem amiciebat, tum a facie concava, tum a facie convexa, tum a lateribus quoque tumida erat et alibi coccinea, alibi ex coccineo-fusca. Minus tamen a facie cava, quam alibi, neque ab ea tota; sed a tertia duntaxat suprema parte (*). Secando perspicuum erat, eum tumorem et colorem sanguini et sero deberi, nil nisi membranam junctosque acinos glandulosos distendentibus, quorum pars humorum in convexa facie jam converti in pus incipiebat. Porro qua eadem membrana laryngem exterius a tergo operit ipsa et innexi glandulosi acini magna inflammatione tenebantur, a lateribus praesertim. In singulis enim lateribus se attollebat in singulas protuberantias, paulo minori, quam digiti minimi crassitudine. Hae ab regione imae basis cricoidis cartilaginis profectae et inter adscendendum convergentes eo usque perveniebant, ut

(*) Habetis exemplum inflammatae epiglottidis.

altitudinem cartilaginum arytenoidum aliquanto superarent, ab his tamen ab eaque summa laryngis parte omnino sejunctae, reliquae inferiori adhaerentes. Duo inflammata condylomata esse dixisses, formam et colorem adspiciens, eundem videlicet aeque ac epiglottidem descripsi, nisi quod in his plus erat ex coccineo, minus ex fusco. Dissecans enim membranam et acinos esse vidi a remorato sanguine et sero tumentes, idque a sinistris magis: quod latus, ut in tonsillis quoque et tenui meninge, magis affectum fuit."

» Habes quam sedem hujus anginae et quam naturam deprehenderim."

Difficile fuerit, ita in hanc historiam commentatus est, qui ipsam transtulit Gendrinus, casum referre magis notabilem, qui exemplum praebet insigne infiltrationum serosarum, sanguinearum, aut purulentarum, quas inflammatio provocat in ipsis mucosis membranis mediis et cryptis muciparis: inflammatio ad glottidis rimam usque protendebatur et declarabatur intumescentia et rubore mucosae laryngeae.

Atque haec unica est, quam apud hos auctores inveni, sectio cadaveris aegri angina pharyngea extincti; quae quum, ut in hac ipsa, crebro cum inflammatione laryngis complicatur, continuo ad hujus historiam perscribendam pergemus.

Anginam laryngeam haec comitantur symptomata: febris continua acuta, nulla faucium inflam-

matarum signa nullaque signa externa inflammationis, vox acutissima, stridula; dolor, ubi larynx ad deglutitionem attollitur, ingens, auctus inter loquendum, inspiratio acute dolens, spiratio parva, frequens, erecta, pulsus mire et cito vacillans, citissima, cum summa anxietate, mors.

In hac descriptione inflammationem laryngis cum ea, quae in tracheae parte superiori est, conjunximus, tum quoniam utriusque signa vix differunt, tum praecipue, quoniam rara est inflammatio laryngea absque ulla ipsius tracheae phlogosi. Symptomata ipsa ex functione partis facile intelliguntur: hinc dolor laryngis sub deglutitione, aut inter loquendum auctus, hinc vocis acuties, hinc laesa cum dolore spiratio: et propter turbatam et respirationem et circulationem pulmonalem, pulsus cito vacillabit et vitalem functionem impeditam cita inter summos angores mors secutura est. Hanc gravissimae ac lethalis inflammationis imaginem ita expressit Caelius Aurelianus, *Celerum vel Acutarum Passionum* lib. III, cap. II.

» At si sine manifesto tumore fuerit passio,
» sequitur collorum tenuitas cum extentione at-
» que subrectione inflexibili. Item vultus et ocu-
» lorum cavitas: frontis extentio, color plumbeus,
» spirationis difficultas plurima, nullo manifesto
» tumore, sive inflatione aliqua adparente, neque
» in internis, neque in externis partibus, hebe-
» tudo plurima atque imbecillitas aegrotantis, et

» celerrimus vel acutus cum praefocatione mortis » effectus." Haec est illa anginae species, quae, ut supra monui, multis prognosticis Cois tanquam funesta admodum damnatur (*): quam prognosin firmat Aretaeus: hujusce speciei strangulatus, inquit, est longe quam prioris violentior; et caussam subjungit » quippe cum in pectore malum sit, ubi » spirandi initium ponitur, celerrime moriuntur." Hae enim eodem die, aut altero, aut tertio, aut quarto strangulant. Cf. etiam Aph. 34. Sect. IV, quo loco, etsi dolor non commemoratur, eundem tamen morbum subindicari contextus suadere videtur. Alia loca magis convulsionem, vel paralysin spectant. Cf. F. Z. Ermerins in Diss. inaug. *de Hippocratis doctrina a prognostice oriunda.* Lugd. Bat. 1832.

Verum, quo minus extus patet malum, eo magis intus ejus perquirenda natura est: quapropter hanc aegrotantium et mortuorum examine illustrare conabimur. Joh. Theod. Eller Borussorum Regis Archiater seculo proxime abhinc elapso medio *observationes* perscripsit *de cognoscendis et*

(*) Prorrhet. 86. *Φάρυγξ ἐπώδυνος ἴσχνη μετὰ δυσφορίης πνιγώδης ὀλέθριη ὀξέως.* Coac 265. omittitur *πνιγώδης.* Vehementer dolentes fauces cum molestia et labore ac suffocatione praeceps exitium minantur. Cf. Coac 61. Prognost. (pag. 45.) Anginae pessimae creduntur. quae neque in faucibus neque in collo conspicuae, plurimum dolorem creant et orthopnoeam,

curandis morbis, praesertim acutis, in quibus, ut ante eum RICHARDUS MEAD, Regis Angliae Archiater, in *monitis et praeceptis medicis*, numerosae praxeos summam retulit quasque etsi edere ipse non potuit, quippe quem (sunt verba Editorum) mors praevenit in hoc ipso perficiendo opere occupatum, tamen editas esse gaudemus. Hic docet anginam laryngeam idiopathicam rarius occurrere, a se tamen feliciter sanatam esse lysi, per methodum antiphlogisticam, die 5°. facta, in virgine 18 annorum, quae morbum hunc atrocem circa mensis Augusti finem, cum noctem saltando et canendo in horto peregisset et corpus valde exaestuatum aëri frigidiori subito exposuisset, altero mane statim contraxerat. Notavit etiam alteram historiam morbi deuteropathici, quo interemtus est miles gregarius, ex febre catarrhali convalescens, quem quarta a morbi ingressu septimana, quum mitiora viderentur symptomata jamque sanatum fere judicaret Chirurgus, ecce nuntius affertur, aegrum in agone versari brevique moriturum." Morte statim subsecuta, sic rem refert ELLERUS, de toxico ex chirurgi inadvertentia huic militi porrecto suspicabatur centurio, qui cum mihi notus valde et ex amicis esset, ad caussam inopinae mortis detegendam, sectionem cadaveris, me praesente, instituendam proposui; annuebat centurio et cum symptomata illa, quae brevi ante obitum apparuere, ex chirurgi relatione percepis-

sem, statim pectus et collum, ad detegendam laryngem cum aspera arteria incidere curavi, ubi mox asperae arteriae superior portio inflammationis signa monstrabat, intensior autem erat rubedo in laryngis musculis et membranis, praecipue in illis, quae cricoideam obtegunt, sed major inflammatorii tumoris gradus adparebat in binis arytaenoidaeis cartilaginibus, epiglottide, musculis hyoidei ossis et linguae radice, adeo ut rima glottidis compressa penitus et respiratio intercepta aegrum suffocassent.

Morgagnus *Epist.* 63. art. 17. queritur ex angina mortuorum dissectiones non exstare, idque a se ideo factum non esse, quia denatos ex legitima angina persecandi cum semel tempus, tum postea semper occasio defuit. Quod ut jure dolet ille, ita nos gaudemus aliquatenus saltem huic veterum negligentiae subvenisse industriam recentiorum, quamvis fatendum sit, sectionum numerum minime aequare illum ex aliis, pectoris praesertim et intestinorum morbis, mortuorum.

Acutae laryngis inflammationi hosce characteres adsignavit Gendrinus: ruborem vix ad fuscum colorem accedentem, infiltrationem seroso-cruentam et purulentam, si ad suppurationem usque persti- terit phlogosis, et casum adjecit pueri, ex variolis cohaerentibus, immo confluentibus fere, die undecimo eo, quem fatalem in hisce dixerat Sydenhamus, extincti. Erat morbi dies nonus. Pustulae ele-

vari et flavescere in facie tumente magnopere incipiebant. Vox rauca erat, lingua in parte media albida, ad margines rubra, os plenum salivae crassae, viscosae, pulsus magnus, at debilis. Detractus sanguis est de brachio, vesicantia femoribus admota. Vespere dyspnoeae accessus, cum animi deliquio, qui accessus altero die saepius revertebantur. Pulsus factus est frequens, delirabat aeger, sub noctem dyspnoea perpetua fere, deglutitio difficillima, die proxime sequenti medio defunctus est. Cadaver monstrabat indicia ventriculi inflammati graviter, duodeni et tenuium levius, ilei et coeci ulceratorum, pharyngem in vicinia glottidis et parte posteriori rubentem, sed leviter, mucosam laryngis contra ruboris intensi stratoque crasso, puriformi tectam et tumentem adeo, ut rimam glottidis prope totam clauderet. Haec facile a partibus vicinis secernebatur eamque subibat et perluebat humor purulentus. Pars inferior laryngis et superior tracheae mucosam habebat coloris cerasorum: pulmones erant integri, pericardium duas seri limpidi continebat uncias. Membranam internam aortae maculae largae purpureae foedabant.

Videtis symptomata gravissima exacte inflammationis magnitudini, post obitum indagatae, congruentia.

Ejusdem prorsus naturae est angina membrana-

cea infantum, aliis angina polyposa, aliis tracheitis, quam recentioribus demum bene cognitam debemus; praesertim ex quo Napoleon Imperator de ea quaestionem promulgavit, duodecim millium francorum praemio proposito, numerus monographiarum hujus morbi mirum in modum increvit. Octoginta tribus commentationibus ad Imperatorem missis de praemio certarunt medici. Solet hic morbus infantibus praesertim infestus, veris et autumni tempore in regionibus borealibus, regnante humido frigido, sub catarrhi specie oriri, facie rubra, tumente, siti ingenti, capite dolente, febre acuta cum pulsu celerrimo, duro, tracheae superioris dolore, cito ingravescente, quem sequitur dyspnoea, orthopnoea, suffocationem minitans et vox sub spiratione edita peculiaris, cui, sunt verba Michaëlis, non ullam esse in toto regno animali vocem credo magis similem, quam illam ipsam juniorum gallinarum pipientem. Aliquando haec vox sub quavis inspiratione editur, aliquando tantum percipitur, si clament, vel tussiant infantes. Tussis aliquando adest, aliquando abest; pulsus provecto morbo mollis fit, intermittens, urina primo limpida, dein turbida, sedimento albo. In faucibus nulla signa, lingua albo quandoque muco tecta. Morbus acutissimus, altero interdum, aut tertio die necat, nisi per tussim rejiciatur materies alba, membranacea, fi-

gura tubulari, tracheam referens. Cadaverum sectiones monstrarunt laryngem, tracheam membrana spuria obturatas, certum inflammatae laryngis et tracheae indicium.

Est haec gravissimi ac simplicis morbi species, quae jam levior, jam sedem a rima glottidis remotiorem occupans, vel mitior erit, vel minus cito lethalis et aliam aliamque habebit vocis significationem atque accedentibus spasmis multam symptomatum varietatem. Exinde intelligitur dolor nunc obtusus, aut pruriens, vix ullus, nunc acutus, pungens, sensus constrictionis in collo ejusdemque tumor, spiratio alias celeris, alias tarda, sub clonicis thoracis motibus peracta ac vocis sonus acutus, gravis, cum sibilo, clangore, raucedine, ex gravi in acutum cito transiens. Tussis sicca est convulsiva, crebrior, rarior, humida, remittens, intermittens, decursus ad septimum usque diem et ultra porrectus, sputa jam viscida, crassa, jam duriora, aut membranacea.

Morbum crebro recidivum, nec tamen inde semper lethalem et dum post pastum sub catarrhi gravioris specie delitesceret, nocte media se, ut erat, ita ostendisse laryngis phlogosin, cum in aliis aegrotantibus, tum in filiola mea expertus sum, qua in re consentientem habeo Doct. Vieusseux quodque eapropter notandum duxi, ut ne, quod vel aliis peritioribus Viris evenit, morbum

cum asthmate Millari confundatis, in magnum aegrotantium damnum (*).

A quo errore ita cavebitis, si teneatis, asthma Millari esse spasmum pulmones subito invadentem absque signis praeviis et absque ea symptomatum syndrome, quae morbis inflammatoriis febrilibus propria est, ita ut gravis dyspnoea et suffocationis praeceps periculum uno ictu vel sanissimos infantes adoriatur, pulsu non febrili illo, sed spastico omnique modo variabili, ab ipso morbi principio, urina aquosa, limpida et perfecta symptomatum omnium ac paroxysmorum intermissio, quam ab aliis etiam notatam discrepantiam usu habeo confirmatam. Mirum est, observare subitaneum illum ex integra valetudine in morbum gravissimum transitum, spasmo pulmones constringente, et subitaneum pariter, soluto spasmo, levamen integraeque valetudinis reditum, qui in gravissimam etiam phlogosin cadere non poterit.

Quod cadaverum sectiones docent, phlogisticam esse morbi naturam, id docet pariter spontanea morbi sanatio per largam haemorrhagiam, cujus exemplum protulit Leopoldus Antonius Goelis secum ab amico Tuebero communicatum, dignissi-

(*) Cum asthmate Millari confudit, quem mox citavi, Vieussieux et forsitan ipse Millarus non satis utrumque distinxit maleque cum antiphlogisticis adhibuit asam foetidam.

mum illud, quod hoc loco ipsis Viri experientissimi verbis referamus.

Josepha Muller puella trium fere annorum, robusta, die 26 Februarii Anno 1808. derepente a prandio raucedine corripiebatur. Rara tussis, latratui junioris canis similis, inter spirandum levis strepitus sibilusque venti instar per rimam flantis, una cum dyspnoea observata fuere. Catarrhum uterque parens arbitratus, nil nisi potum pectoralem de althaea tepidum propinarunt. Sensim, praecipue nocte cuncta symptomata cum increscerent, larga narium haemorrhagia mane supervenit, quo tempore me procul habitantem vocarunt. Examinans aegram cuncta anginae membranaceae symptomata reperi, tussim peculiarem, latrantem, dyspnoeam, caet. De nullo tamen laryngis aut tracheae dolore querelas aegra movebat, etsi severius has digito tangerem. Nullum de morbi natura dubium fuit. Ast quum certiorem parentes me redderent, ante duas tresve horas, priusquam venirem, magnam sanguinis copiam aegrae ex naribus fluxisse, qua perdita aegram multo melius se habuisse atque habere, cunctaque symptomata, atrocissima nocte, plusquam dimidio esse minuta, cum pulsum ego haud acceleratum, naturalem et illo fere molliorem et levamen constans reperirem, nec de venaesectione et hirudinibus, nec de vesicantibus cogitavi, quin potius natura vim morbi fractam judicans, medicinam emollientem prae-

scripsi, leniter diaphoreticam et calomel ea dosi, ut tantum grana quatuor nycthemeri spatio ingereret aegra atque cataplasmata irritantia collo et pectori adplicanda jussi. Nocte secunda pariter narium haemorrhagia larga recurrit et fere sana aegra videbatur. Tussis anginae membranaceae mutata fuit in solitam catarrhalem: respiratio erat liberrima, vocis raucedo, clangor ac sibilus disparuerunt. Continuando priora remedia die tertia emendatio continuavit; sputa puriformia, floccosa ac levibus membranaceis floccis quasi intermixta ejecit. Calomelis dosin imminuens nonnisi duo grana per nycthemeram exhibui et medicinam repetens cataplasmata seposui pectusque et collum tantum panno calefacto obtegi. Brevi quoque tussis et sputa cessarunt et aegra paucis diebus integrae sanitati restituebatur.

Haec historia idcirco animadversione digna est, quoniam naturalis therapeutices exemplar praebet praeclarum, medicis artem facientibus ad imitandum propositum.

Huic alium subjiciam ejusdem auctoris casum, quo docemur, non semper intra lymphae plasticae secretionem morbum subsistere, immo tantam esse posse morbi atrocitatem, ut ipsam gangraenam partibus inflammatis inferat.

Puella quatuor annorum pulcherrima, in cubiculo satis amplo cum fratre cohabitans antea,

quem nuper angina membranacea interemerat, et ipsa ex hoc morbo decubuit eoque atrocissimo, incassum adhibitis artis auxiliis, intra viginti quatuor extincta est horas. Sectione facta epiglottis, ventriculi Galeni, larynx et universa tracheae et bronchiorum superficies interna externaque una cum glandula thyreoidea inflammatae conspiciebantur. In tota interna tracheae superficie manifestae discernebantur maculae parvae, nigrescentes et plagae ruberius tinctae, cum parvis in tunica nervea papulis, quae lympham coagulatam videbantur continere. Ad laryngem et in bronchiorum ramificationibus transsudationis stigmata sese manifestabant. Pulmones sanguine turgentes admodum minime inflammati, testantibus medicis et chirurgo qui aderant, reperiebantur.

Cf. Goelis *Tr. de rite cognoscenda et sananda ang. membran.* Observatio VIII. pag. 143 sq.

Hoc loco etiam commemoranda est angina oedematosa, aliis catarrhalis dicta, quae jam tonsillas et fauces, jam laryngem magis occupasse visa est. Ad priorem speciem pertinet haec Elleri ejusdem descriptio: tumor lymphaticus, albicans, in faucibus conspicuus, cum respiratione operosa et deglutitione dolente ac difficili, propter suffocationis metum, citam tumoris dissipationem urgens: et altera, quam statum mixtum vocat, ubi tonsillarum ingens, pallidus tumor, diutius subsistens et calidis tractatus remediis in abscessum

convertitur, quo facto increscente dolore, lanceola, linteis ad apicem circumvoluta, incidendus est tumor, ne partes contiguae laedantur: prosiliente tunc saepenumero ingenti materiae suppuratae copia, cum aegroti levamine et integra morbi post paucas horas ablatione. Ad secundam speciem spectant observationes Gendrini, in quibus tamen nec pharynx, nec trachea erant a vitio immunes: altera ancillae, altera puerperae. Illa orthopnoeica, voce fere suppressa, facie colorata, pulsu duriori, suffocata periit. Magnopere tumebant tonsilla sinistra, epiglottis et sinister margo glottidis, aërem externum excludens, internum transmittens. Rubebat larynx et trachea, sed haec rubore erysipelaceo. In puerpera inflammationum uterinarum, gastricarum, thoracicarum serie extincta, mucosa laryngis, pharyngis, tracheae ad bronchia usque oedematosa erat (pag. 542.).

Ab hisce anginae speciebus ea distinguitur, quae ad musculos ossis hyoidis et laryngis levatores pertinet, qua ipsa impeditur et dolet deglutitio. Hac unum tantummodo latus vulgo afficitur estque praesertim ob frequentem in pulmones metastasin metuenda.

Hujus casum refert Swietenus, *in Comment. ad Aph.* Boerh. 803. » Civis Leidensis, medio mense Majo, in hortulo suburbano sedens, blando solis verni tepore delectatus obdormiverat in seram vesperam usque et nocte sequente hac angina

corripiebatur. Is in sinistro latere colli dolentem plagam demonstrabat, quae suo decursu a processu styloideo ad laryngem tendebat; nullo tamen tumore vel in faucibus, vel in collo apparente. Quamvis autem primis duodecim horis nulla febris adesset, ilico valida venaesectio institueretur, ter etiam repetita in hoc aegro, licet sexagenario; clysmata adplicarentur, omni trihorio, cucurbitis nuchae adplicatis revulsio tentaretur, totum collum mollissimis cataplasmatibus obvolveretur, semicupio uteretur saepius, ex emollientissimis herbis, cum aqua et lacte dulci decoctis, similibusque continuo os internum collueret, frustra fuerunt omnia. Sed circa initium quartae diei laetabatur miser, quod liberrima jam fieret deglutitio, avidissime potum oblatum assumens. Verum dolor aderat in pectore cum stertore, febris augebatur et eadem die, quinta post meridiem hora, periit.

Est haec inflammatio e rheumaticarum genere, quibus tales celerrimae metastases peculiares. Profuisset forsitan, mox post largam venae sectionem, amplum loco dolenti impositum vesicans, ut figeretur morbus.

Etiam verbo notanda est epiglottidis inflammatio, sive angina epiglottidea, quam cum aliarum partium inflammatione conjunctam vidit descripsitque Morgagnus. En casum inflammationis simplicis, quam mecum communicavit Vir doctissi-

mus G. J. Loncq, amicus et discipulus quondam meus.

» Die xxv. Martii Anni 1834, hora vespertina ix, meum implorabat auxilium vetula plebeja, 64 annos nata, propter atrocem faucium dolorem, quo subito post meridiem fuerat correpta, omnem impedientem deglutitionem et vehementissima febre comitatum. Quam cum adiissem, inveni jacentem in lecto, facie ruberrima et quasi inflata, oculis rubris, lacrymantibus, cute sicca, arida, urente, pulsu forti, frequenti, duro. Querebatur de dolore intolerabili, pungente et urente in dextra potissimum faucium parte et de carnis frustulo, ut ajebat, ibidem haerente et omnem deglutitionis nixum prohibente prorsus. Lingua sicca, color ejusdem naturalis, sitis insatiabilis, respiratio libera, vox sana. Faucium regione extus intusque inspecta, nihil apparebat morbosi, nullus tumor, vix auctus partium rubor; adaucta tamen muci spissioris copia tonsillis, velo palatino et posteriori pharyngis parieti adhaerebat et crebra provocabat deglutiendi conamina. Narrabat mulier, se per totam fere vitam optima gavisam fuisse sanitate, ante 10 vero annos pectoris affectione catarrhali et autumno anni 1833 pleuritide rheumatica laborasse, nunquam vero vel minimam percepisse deglutiendi difficultatem. Ante meridiem panem adhuc et solana tuberosa deglutiverat facillime: post vero subito et uno quasi ictu sub-

lata fuerat haec facultas, nec vel guttulam aquae ad ventriculum demittere poterat. Gargarisma sibi paraverat ipsa ex aceto et syrupo communi, quod vero summe anxia statim rejecerat.

Vena in dextro brachio aperta 12 detrahuntur sanguinis unciae; clysma applicatur e dec. furf., melle comm. et ol. lini, cataplasmata emollientia collo imponuntur, sinapismi fortiores suris, postquam pediluvio usa fuerat aegrota ex aqua, aceto et sale culinari. Pro usu interno, si redeat deglutiendi facultas, praescribitur decoctum althaeae mannatum.

Die XXVI. Mart. ante meridiem. — Evanuit faciei tumor et rubor adauctus, faucium dolor et ardor minus urgent, febris minus intensa, pulsus mollis, parvus, at justo frequentior, lingua humida, deglutitio adhuc prorsus impedita. Urina turbida cum sedimento crasso mucoso. Alvum non deposuit. Sanguis e vena detractus multum crassamenti habet, parum vero seri, nullam crustam inflammatoriam, hic illic spumam. Faucibus ut heri inspectis, fons malorum nondum apparet. Tandem vero, lingua juxta totam longitudinem fortiter depressa, (id quod vespere prae summo dolore recusaverat aegra) tumorem video rubrum, tensum, ovalem, magnitudine nucem moschatam majorem adaequantem, angustiori petiolo, ut videtur, linguae radici insidentem. Digitus fauci-

bus immissus tumorem movet et elasticam ejus naturam et insignem calorem percipit. Applicato clysmate ex inf. fl. cham., mur. sodae et mell. comm. pergitur in adhibendis auxiliis externis et jubetur, ut aqueos vapores, ore aperto, inspiret aegrota.

Hora vespert. VI. Increscit febris et dolor. Reliqua eadem. Alvum bis deposuit satis copiosam. Applicantur 10 hirudines loco colli maxime dolenti, pedibus interim aquae calidae immissis.

Hora IX. Multum sanguinis eduxerunt hirudines et cataplasmata calida apertis vulnusculis continuo imposita. Extra deglutitionis nixus dolor haud ita vehemens est; quotiescunque vero mulier conatur mucum faucibus inhaerentem per oesophagum depellere, augetur et dolor et summa anxietas.

Die XXVII. Mart. ante meridiem. Post noctem inquietam dolor faucium auctus jam sinistram magis occupat partem, pulsus duriusculus, frequens, lingua albido muco obsessa, urina turbida. Tumor ne vel minimum quidem imminutus omnem impedit deglutitionem. Digito iterum faucibus immisso, non linguae radici, sed epiglottidi insidere apparet, integris cunctis vicinis. Iteratur clysma ex inf. fl. cham. et praeter reliqua sinapismus imponitur nuchae.

Vespere omnia eadem. Collo iterum admoven-

tur hirudines 10, vesicantia nuchae imponuntur et suris et post sanguinis detractionem omni bihorio infricatur ung. Neapolitanum.

Die XXVIII. Mart. ante meridiem. Eadem prorsus aegrae conditio, dolor faucium atrocissimus, stranguria molesta. Removentur emplastra ex ung. Canth., cataplasmata ex Hba Hyosc. et Malva collo imponuntur et pubis regioni, et clysma applicatur emolliens. Vespere. Ne minima quidem obtinuit morbi symptomatum mutatio; tumor autem ad tactum durior videtur, quam antea.

Die XXIX. Mart. ante meridiem. Melius sese habet aegrota et rediit deglutiendi facultas. Tumor minor et mollior, dolor multum sedatus, pulsus non ita frequens. Narrat, se noctu animi deliquium passam fuisse ac dein summa anxietate correptam mucum exscreavisse cum sanguine mixtum. Eadem continuo adhibentur remedia externa et quum alvus adstricta et lingua valde obsessa sit, praescribitur Dec. Gram. Tamar. cum Inf. fol. Sennae.

Vespere. Eadem fere aegrae conditio, quae ante meridiem. Deglutitio facilis. Dolor tumoris non vehemens quidem, at continuo pungens. Pulsus duriusculus. Sapor oris metallicus, dentium vacillatio. Omittuntur frictiones mercuriales et propinatur solutio tenuis flor. sago.

Die XXX. Mart. Nocte praegressa iterum animi deliquium passa fuit aegra et summam anxieta-

tem et vehementer tussivit. Alvum quinquies deposuit copiosam, liquidam. Jam satis bene se habet. Tumor epiglottidis tamen non decrevit et continuo pungentes movet dolores. Fonticulos sanari curamus. Applicatur vesicans collare et pulveres praescribuntur de extr. cicutae et sulphure aur. antim.

Die XXXI. Mart. Tumor paullulum decrevit. Dolor semper pungens. Eadem medicina.

Kalend. April. Tumor decrescere pergit. Muci secretio in faucibus sanâ adhuc major. Ceterum satis bene se habet mulier.

Die II. April. Omnia eadem.

Die III. April. Tumoris eadem magnitudo, at durities, ut videtur, major. Pulveribus additur merc. dulcis.

Die IV. April. Tumor mollior. Vexat semper faucium dolor et aucta muci secretio. Eadem medicina.

Die V. April. Queritur aegra de vehementi crurum dolore. Faucium dolor minor est, muci in ore secretio eadem. Dolor gingivarum, incipiens salivatio. Urina, ut per omnem morbi decursum, turbida cum sedimento crasso, mucoso. Omittuntur pulveres. Suris applicantur sinapismi.

Die VI. April. Crurum dolor atrocior. Cetera eadem. Nulla medicina.

Die VII. April. Crurum dolor minor est. Nocte

leniter sudavit. Epiglottidis tumor fere disparuit. Ab hac inde die cibis eupeptis et medicaminibus nutrientibus, roborantibus perfecte convaluit."

Ellerus vidit pharyngis laryngisque conjunctam inflammationem in juvene 24 annorum, qui praeter fauces et gulam inflammatam, laryngem quoque admodum inflammatam habebat, voce acuta et respiratione clangosa. Tertio morbi die suffocatus periit, incassum adhibitis remediis efficacissimis ad cohibendum morbum, quem ab aëre frigido, cui corpus aestuans subito exposuerat, sibi contraxerat imprudens juvenis.

Neque haec conjunctio rara est, quemadmodum testantur plures observationes medicorum eaeque etiam, quas supra citavi Morgagni atque Gendrini, praesertim in morbi chronica forma, quod ipse saepius animadverti, nec ita difficulter intelligitur. In unico, quod protulit Gendrinus, anginae chronicae exemplo pariter animadversa est, quae tamen cum syphilitica uti erat, sic habebatur, hic silentio transire eam cogor.

Ad hanc phlogosin inclinare dicuntur juniores, sanguinei, rufi. Rufos praesertim anginosos fieri, Sydenhami observatio est: quod de pharyngea dictum puto, tonsillari et scrofulosa diathesi. Caeterum inter caussas morbi occasionales externa faucium laesio, actu gelida, aut frigida, acida corrodentia chemica, aut mechanica lacerantia: offae

duriores, ossicula, acus, spinae piscinae similiaque devorata; aura frigida, aut potio aestuante corpore, contagium scarlatinosum merito recensentur: denique cantus, clamor, vociferatio, tibiarum aut tubarum inflatus, vinolentia, quarum aliae pharyngeam, aliae laryngeam potissimum creant. Hujus caussas notavit ELLERUS (plures enim erant) in virgine octodecim annos nata, cujus antea memini.

Prognosis ducenda est ab inflammationis specie, sede, tempore, aegri natura. Laryngea discriminis plena, siquidem ipsas tenet partes ad vitae pabulum hauriendum pernecessarias, unde magnus suboritur metus suffocationis; quam indicant orthopnoea, pulsus ex duro, frequenti in mollem, intermittentem mutatus, syncope, sopor, sudores topici, frigidi, viscidi, frigus extremorum, aetas infantilis, corpus infirmum, debile, complicatio cum dentitione (Cf. etiam GOELIS pag. 96 sqq.)

Prosunt narium haemorrhagiae largae, sudores calidi, universales, morbo vigente, coryza gravis, urina sedimento albo, critico, sputa crassa, puriformia, membranacea, morbo provectiori: in pharyngea alvi fluxus, in erysipelacea rubores ad collum et pectus, quae pluribus Oraculis Cois praedicantur, propter factam metastasin salutarem, morbo interno in externum cutaneum mutato, una cum levamine. Fallax contra levamen est, ubi dolores absque caussa cessant, quod in rheumatica

praecipue evenit brevique oborto sopore, aut stertore metastases indicat in cerebrum, aut pulmones factas easque funestas.

Urinis, sudoribus alvique purgationibus biliosis tunc tantummodo fides habenda, si post crisium signa praenuntia, die quodam critico et cum morbi fiant levamine. Denique vires computandae sunt, num morbo pares futurae: ex hisce enim omnis salutis spes pendet; et ipsa spectanda est functionis laesae ratio, ut legitima sit prognosis.

Anginae exitus sunt: lysis, suppuratio, membranae spuriae genesis, gangraena, scirrhus. Quorum prior in votis est, propter suffocationis metum, cujus spem faciunt morbus levior, ab ipso principio bene curatus, in corpore integro antea et sano. Anceps magis eventus est abscessus; qui pertinet inprimis ad anginam pharyngeam eique in altera respondet pseudomembranae, quae dicitur, genesis. Gangraena denique et scirrhus anginae potissimum pharyngeae eventus sunt, plerumque ominosi, quorum scirrhus partium praesertim glandulosarum est.

Lysis inducitur cita, larga, repetita sanguinis detractione, hirudinibus in loco vicino, externo, alvi subductione per enemata, emollientia, eccoprotica, cathartica: victu, potu tenui, humectante, tepido, medicaminibus nitrosis, subacidis, vapore tepido, relaxante, partibus inflammatis saepius admoto: revellentibus, derivantibus, pedilu-

viis, rubefacientibus, epispasticis, cucurbitis, cervici, collo, pectori adplicatis. Etenim hisce fere remediis continetur, quae resolutionem spectat, anginae inflammatoriae curatio.

Morbus acutus acutam, i. e. promptam postulat curationem. Eapropter larga et repetita interdum opus est venae sectione, sique a suppressis catameniis, aut haemorrhoidibus nata fuerit angina, auctore Burserio, vena in pede secanda est. Post universalem ejusmodi depletionem, depletione topica praesertim hirudinum ope, collo admotarum, sanguis est evacuandus, a qua quidem evacuatione plus emolumenti, quam a sectione sive raninae, sive jugularis venae speraverim, quarum sectio periculo non caret. Est autem maximus hirudinum in angina laryngea et tracheali infantum usus, aut praemissa, aut omissa, propter aetatem teneram, venae sectione universali.

Alvi praeterea subductione utendum est, per enemata non tantum eccoprotica, verum etiam salium, aut sennae stimulo armata, ut diarrhoea excitetur fiatque a superioribus partibus revulsio. Est autem hoc loco animadvertendum, eo nomine differre utramque anginam, quod, uti in laryngea sanguinis detractio larga promptaque princeps est morbi auxilium, ita pharyngea, propter membranarum, quae dicitur, continuationem, requirat cathartica, quibus sanguis a collo faucibusque avocetur, ita ut anginae laryngeae curatio pro-

prio quodam jure suo sanguinis detractionem, pharyngeae vero praeter hanc quoque alvi purgationem sibi vindicet, quare ut in priori saepenumero sufficiunt enemata emollientia, ita in altera praeter haec cathartica, aut ore, aut si vetet illud inflammationis magnitudo, clysmatum forma adhibenda sunt.

In acutissimis morbis victus, recte praecipiente Hippocrate, tenuissimus sit oportet. In hisce enim propter acutiem alimento non opus est, sed potu tenui, ex aqua hordei, non adjecto cremore, lactis sero, aut similibus. Haec autem tepide adhibenda, ut scilicet relaxentur fauces et omnis corporis habitus: frigida enim partibus inflammatis obsunt. Quodsi deglutitio, propter saevum dolorem impediatur, eadem per clysmata injicienda sunt, ut sustineatur vita corporisque praecaveatur ab inflammatione et potus defectu ariditas. Recte Sydenhamus: juscula carnium sacra sunto; et sapienter etiam, nec sine caussa, per aliquot horas lectulo absistere anginosos jubet.

Jure merito laudant medicamina nitrosa, subacida, conjunctim cum mucilagineis, qualia sunt decocta hordei, althaeae, bardanae, cum nitro, oxymelle, aut pauxillo succi citri, syrupo rubi idaei, mororum, roob ribesiorum, decoctum graminis, tamarindi, tum vapores ex malvae, sambuci infusis, aut potius fomenta et cataplasmata emollientia, collo admota, nec non gargarismata,

collutoria ex lacte et aqua tepidis, aut lacte, cui ficus incoctae sunt, quibus tanquam topicis relaxantibus foventur, humectantur, leniuntur partes inflammatae. Haec autem gargarismata, sive collutoria tepida, ore tantum sunt retinenda, ne ipsa gargarisatione laedantur fauces. Denique revellentibus, derivantibus utendum, id est praeter sanguinis detractiones, alvique ductiones, pediluviis tepidis, iisque acrioribus, si potenter revellendum et sinapismis in pedum plantis, aut ad suras: haec ad revellentia pertinent. Ad derivantia vero sanguinis detractiones topicae, per hirudines, cucurbitulas, scarificationes, in collo, pectore, cervice: rubefacientia, sinapismi, iisdem in locis, quibus imitamur therapeuticen naturae, quae, auctore Hippocrate, interdum medetur anginae, rubore extus in collum, pectus verso: de quibus monendum est, rubefacientia, epispastica, vesicantia illa, vel si anteriores praecipue partes occupaverit morbus: in laryngea scilicet, collaris forma, ad collum utiliter adhiberi, vel si posteriores atque in faucium fundo, cervici melius adponi, quod in pharyngea in primis prodest, vel denique sinapismos, omne collum cingentes, adhiberi. Quod Pringlius suasit, linimentum volatile, tanquam topicum externum, non inflammatoriae verae, sed rheumaticae curandae idoneum est.

Suppuratione facta curandus est abscessus gar-

garismate crebro, emolliente, epithemate, aut cataplasmate largo, relaxante et siquidem opus fuerit, loci ipsius incisione. Id quidem factum cognoscitur, si absque lysi, sive resolutione remittat, tumore faucium molliori, cum sensu horripilationis.

Angina laryngea et trachealis, nisi cito solvatur, membranas creat spiritum intercipientes, quod post factam depletionem praevertit mercurius dulcis, dosi grani dimidii aut integri, quovis bihorio infantibus praescribendus.

Membranae si jam creatae fuerint, post sedatam inflammationem prudenti cautoque emeticorum, expectorantium, antimonialium usu tentanda earum expulsio est. Quodsi non succedat, ad tracheotomiam deveniendum est; de qua encheiresi in chirurgicis exponitur. Ea fiat infra locum obstructum, qui quo glottidi propior, eo discrimen gravius suffocationis. Frustra fiet, si ad bronchia perrexerit morbus, quemadmodum exemplo firmavit VIEUSSEUX l. l.

Gangraena facta immedicabilis censetur angina: nec sine caussa, si cogitemus, partium emorientium munus et inflammationis, quae hunc eventum habuit, vehementiam. Ejus signa sunt: facies cadaverosa, pulsus inaequalis, debilis, imbecillus, extremorum frigus, livor, doloris absque caussa cessatio, subsidens faucium tumor, ipsarum ariditas, pallor, livor, nigredo. Haec mortem

praenuntiant. Aliquando tamen, si parva tantum pars gangraenescat, aegros convaluisse, rarissimo licet casu, observarunt medici, cujus exemplum notabile profert SWIETENIUS in *Comment. ad Aphor. Boerh.* 816. BURSERIUS pariter criticam ejusmodi gangraenescentiam superficialem, in febre ex erysipelate, non omnem respuere curationem, adfirmat. Ubicunque vero proserpit ad pharyngem atque oesophagum, quemadmodum observatum est, omni omnino arte est superior.

Est quaedam anginae ulcerosae species, hoc loco commemoranda, quae licet non ita vehemens fuerit, ipsa natura sua in gangraenam tendit. Haec veteribus non ignota prorsus (Cf. ARETAEUS *de Sign. et Caus. Morb. Acut.* 1, 9.) recentiori aetate a medicis Hispanis praesertim observata ipsisque *Garrotillo* dicta, tempestate humida calida, infantibus maxime funesta, contagiosa est et putrida. Hujus optimam monographiam dedit FOTHERGILLIUS, Medicus Londinensis sagacissimus, Cff. illius Opera Londini, anno 1781 edita, pag. 167 sqq. *Of the sore throat attended with ulcers, as it appeared in Spain, Italy, Sicily,* etc. Haec quemadmodum natura sua alterius illius anginae infantilis membranaceae dissimillima est, sic quo melius utrumque morbi genus a Vobis conferri posset, non supervacaneam duxi hujus quoque hoc loco mentionem. En morbi historiam auctore FOTHERGILLIO! Incipit a faucium aliquo inter deglu-

tiendum dolore, cervicis rigore, horrore febrili, cum dorsi, lumborum, capitis dolore et facie rubra, inflata, rubris oculis, iisque lacrymantibus.

Faucium tumentium rubor floridus, hic illic maculis albis, rubro circulo circumdatis interstinctus. Altero ut plurimum die in cute nascitur efflorescentia erysipelatosa, habitu corporis tumido, quae tamen efflorescentia minime symptoma est perpetuum, sed interdum, in adultis praesertim, non cernitur. Haec est morbi mitissimi et incipientis imago. Quodsi vero increscat, faucium maculae et exulcerationes livescunt, gangraenescunt. Facies collabescit, pallescit, pulsu imbecillo, crebro, vertigine, vomitu, diarrhoea, sudoribus, urina cruda, aut flava, turbida, lingua alba crusta tecta, deinde spiratione difficili, extremis frigidis, oculis splendore orbatis, quae symptomata morte tandem excipiuntur.

Haec morbi effigies putridum indicat valetudinis genus, cui quoniam saepenumero gastrica subest complicatio, initio morbi juvabit vomitorium, aut lene eccoproticum; lene inquam, nam summum periculum est ab alvi fluxu in hac valetudine. Praeterea leniter quoque diaphoresis promovenda est, et tonsillarum ulcera melle rosaceo et sp. salis marini illinienda, aut ejusmodi collutorio, gargarismate utendum. Venae sectio in morbo putrido noceret valdopere et per se quidem non convenit.

Provecto morbi stadio, si diarrhoea adfuerit,

haec electuario catechu compescenda est, cui ipecacuanha refracta dosi addi potest (optima formula est e cons. rosarum rubrarum cum elect. catechu) Vesicantia collo et cervici imponenda sunt; denique regimine calido, diaphoretico cutis eruptio sustentanda, alvi fluxus praevertendus est et validis utendum cardiacis antisepticis: vino, rad. contrajervae, serpentariae virg, acidis mineralibus, aceto, camphora.

Cortex Peruvianus non semper utilis: inprimis vero alvo fluidiori salutaris, ex Fothergillii testimonio, fuisse videtur.

Anginae exitus in scirrhum frequens est incauti adstringentium usus sequela, quibus pessime abutuntur plebs et medici plebeji. Is si in partibus glandulosis ex inflammatione nec resoluta, nec suppurata natus sit, prudenter resolutio, id est resorbtio tentanda, per medicinas in scirrho potissimum laudatas, quarum princeps est cicuta, laudante Störckio. Tolli autem, sive exscindi non debet scirrhus, nisi omnis absit carcinomatis futuri metus, si corpus sanum caeteroquin et integrum, omnis labis: scrofulosae, syphiliticae expers, nullaque alia in aliis locis affecta glandula. Quodsi jam carcinoma instet, si ulcus sit apertum, tumoris scirrhosi sectio mortem accelerarct. Propterea quoque, tumore etiam clauso, ab omni irritante medicina caute abstinendum.

Rara est, nostro praesertim tempore inque nos-

tris regionibus inflammatio interna, pura, simplex: frequens inflammatio impura, complicata et in complicationibus frequens inflammationis et erysipelatis connubium. Cognoscitur autem inflammatio erysipelatosa rubore laeto, subflavo: interdum temperie cholerica, biliosa. Quodsi junctum sit vitium utrumque, incipiendum a curanda inflammatione: venaesectione, antiphlogisticis, sique adfuerit saburra, colluvies biliosa, haec prudenti eccoproticorum atque enematum usu e corpore est subducenda. In primis vero erysipelas, artificiali per rubefacientia, vesicatoria facta metastasi, extus derivandum, qua quidem derivatione ipsam imitamur naturam, quae erysipelate in cutim, collum, pectus rejecto, morboque interno in externum morbum mutato, huic inflammationi medetur. Observavit hasce metastases Hippocrates earumque frequens apud eum fit mentio, quippe qui has anginas crebro animadvertisse videtur. Est autem haec derivans methodus eo magis necessaria reputanda, quoniam hae inflammationes erysipelatosae maxime fugaces esse et antiqua sede relicta partes nobiliores: cerebrum, pulmones, intestina petere deprehenduntur idque lethali plerumque eventu. Angina catarrhalis, sive oedematosa, serosa, pallido magnoque cognoscitur faucium tumore. Attamen alia magis ad inflammatorium genus adpropinquat, cujusmodi illa fuisse videtur, quam apud Wallenses Epidemicam fuisse refert Meadius,

Mon. et Praec. Med. Cap. IV.; alia vero magis ad hydropicam accedit diathesin, in corporibus phlegmaticis, senilibus, quae curationem postulat potenter resolventem, per antimonialia, mercurialia, diaphoretica (*lign. sassafras,*) diuretica, (*squillam*) cathartica: ex rheo, senna, etiam drastica, atque gargarismata topica, adstringentia, aromatica: inf. rosar., tinct. myrrhae, similia, ad cujusque morbi indolem atque aegrotantis temperiem adcommodata. Quoniam autem tumor iste lymphaticus, si quandam subeat suppurationem, aut in suppurationem vergat, magnus esse et partes vicinas comprimere solet, lanceola circumvoluta, ne laedantur partes, caute aperiendus est. Ingens tunc, ut supra monuimus, verbis Elleri l. l. S. VII., materiae suppuratae copia solet prosilire, cum aegroti levamine et morbi hujus post paucas horas ablatione. Cf. Huxhamus, *Opp.* Tom. II. pag. 20.

Hujus quoque loci est angina rheumatica, quam observasse videtur Pringlius de *Morb. Castrens.* P. III. Cap. 2, in qua profuit linimentum volatile collo infricatum.

Reliquae anginae species, tum convulsiva, paralytica a 2ae colli vertebrae subluxatione in infantibus, partibus illis nondum in os mutatis, si fieri possit, chirurgia curanda; tum alia in hemiplegia, hysteria, hypochondriasi, eandem requirens, quam morbus primarius curationem, per arnicae fl., as. foet., sal. c. c. succin., similia, si nempe adynamica

morbi indoles, qualem casum refert SWIETENIUS *Comm. ad Aph.* 818. Tom. II. pag. 702. ductum ab Experient. STALPAERT VAN DER WIEL *Obs.* Tom. II. *Obs.* 27, tum ea denique, quae in febribus malignis typhoideis, atacticis, adynamicis observatur, omine pessimo, plenam indicans partium resolutionem: hae omnes anginae species non sunt hujus loci, ideoque a nobis praetermittentur.

DE GASTRITIDE.

Gastritis, sive ventriculi inflammatio a CULLENO definitur hisce verbis: *pyrexia typhodes; anxietas; in epigastrio ardor et dolor, ingestis quibuslibet auctus; vomendi cupiditas et ingesta protinus rejecta; singultus.* Quae definitio, utrum rem definiendam bene designet, dubitari utique posset. Nec temere profecto; siquidem abundamus observationibus gastritidis, ex quo a novae doctrinae auctore gastro-enteritis, id est ventriculi intestinorumque inflammatio omnium paene morborum febrilium origo totiusque clavis pathologiae et dicta est et habita. Nam cum pridem rara vulgo haberetur, nec nisi a venenis fere provocata, utut aliter censuerant nonnulli, hac, quam vivimus, aetate adeo percrebuit morbi nomen, ut nullum esse vulgare magis valetudinis genus credere-

tis. Idcirco illius tam symptomata, quam reliquiae in mortuorum corporibus accuratius a nobis perquirendae sunt.

Culleni definitionem supra traditam si sequamur, aut Veterum auctorum nostrique Boerhaavii descriptionem (Aphor. 951.) quam hoc loco non sine caussa laudavit Cullenus, inflammati ventriculi dignotio non tam obscura, aut dubia videri posset.

Ubi enim ad ventriculi sedem et dolor est et ardor ingestis quibuslibet auctus, et vomitus et anxietas et singultus et febris, ubi vixdum ingesta vomitu protinus excutiuntur, ibi profecto satis manifesta praesto sunt ventriculi inflammati indicia. Verum non adeo manifesta semper esse, pridem docuerat Hoffmannus, qui animadvertit *Operum* Tom. VI. pag. 224: inflammationem ventriculi non tam raram esse ac quidem vulgo habetur: immo saepissime occurrentem vel pro inflammatione hepatis, vel pro cardialgia accipi idque nec Fernelio incognitum fuisse: cardialgiam etiam et ventriculi inflammationem multum inter se convenire; in illa tamen febrem deficere et ardorem intensiorem, fixum in ventriculi regione, denique clementiorem benigniorem esse symptomatum accessionem. Hoffmanno Fernelioque deinceps accesserat Haenius, exemplis probare studens etiam sine vomitu et dolore ventriculum fuisse inflammatum. Haenii observationes, quas ipse Valsalvae firmaverat auctoritate, recentiorum auctorum experientia compro-

bare videtur, ita ut ex definitione Culleniana sublatis dolore epigastrii, quorsum etiam ardorem referre oportet, sublatis igitur dolore epigastrii et vomitu, supersint pyrexia typhodes, anxietas, singultus. At ne moneam, typhi, id est ex auctoris mente, febris nervosae characterem nequaquam in omnem cadere gastritidem, immo minus recte hoc nomen adhibitum esse; omnem omnino febrem a lenta morbi specie utplurimum abesse contendit Broussais, consentientibus plurimis. Singultum vero ne notatum quidem in plerisque casibus reperio, neque ullum fore hodie auctorem arbitror, qui pathognomonicis symptomatibus hujus morbi adnumeret. Itaque una restat anxietas, quae etsi semper ventriculi phlogosin comitaretur, tamen utrum sola certoque eam indicaverit, aut indicare potuerit, nemo erit, quin dubitet.

Postquam igitur totam Culleni definitionem cecidisse vidimus, ecquid nobis aliud superest, quam vel novas quaerere magisque certas morbi notas, vel nullam omnino putare. Ita quidem videri posset. Prius autem, quam hac de re statuamus, ea dirimenda quaestio est, cur in aliis ventriculi inflammationibus animadvertantur symptomata a Culleno, Boerhaavio atque Veteribus posita, in aliis desint prorsus. Et hic quidem locus, quia quam latissime patet per omnem diagnosticen, sinite eum paullo amplius explicari.

Ventriculus e pluribus compositus tunicis, ab

altera parte cum oesophago ac sinistri hypochondrii visceribus, ab altera cum duodeno dextrique cohaerens, vasis quamplurimis variisque praeditus et nervis partim a vago, partim a sympathico, propter ipsam hanc compositionem aliter aliterque inflammari poterit. Isthaec varia morbi ratio ac sedes variis modis declarabitur, ut alia esse debeat inflammatio mucosae, alia musculosae, alia serosae ventriculi, alia ubi cardiam, alia ubi pylorum, alia ubi medium ventriculum teneat. Nam, quod contendit HILDEBRANDTIUS, utplurimum omnes ventriculi tunicas inflammari, dubito, an veritati consentaneum haberi possit. Itaque ad elementa organica animum advertere oportet, quae inflammationem patiuntur, sive unum seorsum, sive plura simul, seu universa. Etiam ipsius mucosae partes notandae, siquidem inflammatio mucosae intestinalis sedem habet nunc in mucosa ipsa, nunc in folliculis, pariterque ulcera vel in membrana sunt, vel in glandulis. Nec negligendae corporum naturae, aetates, sexus, temperies ipsiusque partis conditio cumque aliis diversimode temperatis nexus, consensus, synergeia.

Nempe illud in arte diagnostica multum difficultatis parit, quod morbi tanquam alienae species vitae in corpore nascantur et crescant tenero, mobili, maxime composito simul et uno, in quo scilicet omnes partes cum aliis consentiunt et ab aliis mutantur aliasque mutant, ut nunquam pura cer-

natur et simplex morbi forma, sed semper totius corporis aegritudine obscurata. Nec tamen accuratam hujus formae notitiam mente complectimur, nisi symptomata hominis aegri a morbi symptomatibus religiose distinguamus. Inflammatio ventriculi, quae in corpus infantile, senile, robustum, aut debile, nervosum, aut phthisicum cadit, etiamsi semper sua habeat, perpetua ipsius morbi symptomata, tamen alia habebit aliaque sympathica atque synergica, unde intelligitur, cur cum in omnibus par sit ventriculi cum cerebro, pulmone, corde sympatheia, in aliis capitis affecti symptomata, in aliis pulmonum, in aliis cordis excitentur, cur morbi secundarii in aliis alii fiant: nervosi, apoplectici, phthisici, hectici, cur denique affectiones istae sympathicae atque synergicae tantopere reliqua superent interdum, ut sub febris typhoideae aliusve neuroseos larva gastritis in scenam prodeat. Etenim compositum illud, quod vocamus morbum, nonnisi exacta harum rerum computatione bene cognoscitur. Nec tamen hisce computatis confecta res est. Verum si quae in corpore lateat sive valetudo, sive diathesis, cachexia, dyscrasia, hanc quoque sedulo notare oportet: quae cuncta et singula si probe fuissent cognita, possent procul dubio omnia morbi symptomata et intelligi et explicari commode. Etenim morborum sunt, ut aliorum quorumvis naturae phaenomenorum, certae atque constantes leges, quarum notitia summo est

studio anquirenda. Jam haec quae hucusque disputavimus, poterunt indicare, cur factum sit, ut non omnes eadem ventriculi inflammati symptomata notarent aliaque sit descriptio veterum, alia recentiorum auctorum. Veterum si pervolvamus historias, videbimus ab iis descriptam potissimum eam inflammationem ventriculi, quae acutissima maximeque gravis vel omnes simul tunicas laedit, vel serosam praesertim. Talis casus est, quem (ex *Medical Essays* Tom. I. n°. 29.) citat Swietenius: In juvene florente et robusto corporis habitu primis jam morbi incepti horis pulsus oppressus erat et saepe intermittens, paulo post licet jam ter vena secta fuisset, extrema frigebant, ut in cadavere, vertigo summa sequebatur et caecitas, delirium ferox, ardoris interni intolerabilis sensus, convulsiones musculorum faciei, sitis immanis et simul horror summus, dum liquida allata videbat, ita ut hydrophobus fere esset. Leniebantur post sanguinis missiones symptomata, sed paulo post recrudescentia idem remedium suadebant; ita ut undecies misso sanguine detractisque unciis 116 intra hebdomadem, tandem a tantis malis adhuc evaserit incolumis. En morbi acutissimi eam speciem, quae praesertim serosam ventriculi tenuisse videtur, neque ipsam capitis serosam intactam reliquisse, quemadmodum symptomata phrenitica, gravia illa, manifestant.

Exemplum omnium simul ventriculi tunicarum

inflammatarum praebet observatio, quam refert praeclarus Clinices Medicinalis auctor Andral T. II. Obs. V. pag. 21 sqq.

Adolescens post anorexiam dierum decem prehenditur acuto epigastrii dolore cum nausea et vomitu repetito. Lingua parte media muco albo tenaci obducta ad apicem et margines ruberrima est. Sitis ardens, pulsus creberrimus, calens cutis. Vena secta detractae sunt sanguinis unciae sedecim. Vomitus perpetuus, vultus, ut in peritonitide gravissima, alienatus prorsus. Pulsus creberrimus perstat, cute non calente. Epigastrio admotum largum vesicans. Sub vomituritione bilis perpetua, die decimo octavo delirium, die decimo nono facies Hippocratica, summus collapsus, mors noctu a die decimo nono ad vigesimum. In cadavere, omnes ventriculi tunicae in parte sinistra cardiaca emollitae sub digitis contrectantibus diffluebant; quo loco internus ventriculi paries rubro-lividus ecchymosi tinctus. Versus pylorum tunicarum integritas ea fere, qualis esse solet: mucosa vero coloris grisei.

Graves ejusmodi gastritides in primis a venenis acribus, corrodentibus exspectaveritis. Attamen docent observationes, quas cum ab aliis, tum a semet ipso factas collegit Orfila Vir Cl. in Toxicologia docta vereque classica, non semper ubicunque vel ipsum arsenicum, quod omnium paene acerrimum habetur, fuerit ingestum, gravem con-

citari phlogosin. Immo saepius levis fuit: interdum nulla reperiuntur neque symptomata, neque indicia ventriculi inflammati, verum mors cordis, id est asphyxia aut syncope vitae finem imponit.

In observatione secunda neque vomitus, neque dolores graves, neque convulsiones, neque magna sitis, neque siccitas oris mortem a veneficio praecesserant. Notandum tamen, arsenicum sive acidum arsenicosum crudum devorasse puellam. In tertia venenum pulveris forma sumptum nulla reliquerat in ventriculo inflammationis vestigia; quamvis symptomata gravia fuerint: strictura, dolor et ardor epigastrii, sitis, facies insolita, abdomen retractum, pulsus minimus, intermittens, sudor frigidus, topicus. Quo verosimilior conjectura clarissimi toxicologi est, hoc venenum cor interimere in circulationis vias susceptum. Cui conjecturae non repugnat historia, quam narrat Morgagnus Epist. 59, art. 3, licet gravis fuerit laesio ventriculi, quam ab aliis quoque animadversam, ipse locis indicatis, docet, simul tamen praecipiens, neque signa, neque effecta eadem in omnibus exspectanda. Alias in aliis corporibus tum fluidarum, tum firmarum partium quae ad ventriculum praesertim pertinent, constitutiones, ejusque praeterea inanitatem aut plenitudinem hancque ab unius aut alterius generis alimenti facere posse, ut venena etiamsi eadem eodemque pondere revera sint, non

iisdem tamen signis effectibusque se prodant. Haec Morgagnus. Jam accipite historiam, quam ipse more suo narravit. » Mulier annos nata ad sexaginta, jam pransa, pastillos quosdam ex amygdalis in superiore aedium parte sepositos, clam domino, qui seposuerat, devoravit. Exacta vix hora molesto quodam ventriculi sensu corripi coepit, quasi flatibus vexaretur. Quo diutius perstante et dein magis magisque ingravescente, plura et vomuit et dejecit sicque levari visa est. Sed mox graviore molestia, nec sine deliquiis redeunte, tandem aliquando quid comedisset fassa est; serius tamen, quam oportuisset. Illi enim pastilli ad interficiendos mures parati, arsenicum admistum habebant. Itaque intra horam ab eorum esu duodecimam virium potius lapsu, quam acrioribus doloribus, aut manifestis convulsionibus affecta, morte sua miserrima anus puerilis gulae poenas luit."

» Cadaver publico jussu postridie inspectum sectumque est, qui dies fuit circiter Nonas Maji A. 1727. Facies corporis posterior, ne suris quidem et calcibus exceptis tota erat nigra. Corpus ipsum non rigidum. Venter non tumidus, quo et ventriculo aperto, hujus interior facies hic illic erosa, praesertim ad antrum pylori, conspecta est, adhaerente erosis partibus inter membranea frusta arsenico ipso. Nec duodenum intestinum erosionibus carebat. In thorace nigricantes pulmones: in corde polyposae duae concretiones digiti forma et

longitudine; cum caeteroquin fluidus in omnibus vasis et coccineus sanguis occurreret.

Erosus pariter ventriculus maculis nigris fuit, in priori observatione, relata in Toxicologia: mors secuta est, hora 17 post venenum adsumptum. In altera et tertia non item, in quibus mors ocyus venit, in hac jam nona hora a veneficio: in quarta observatione, viri bibacis, nullo symptomate gravi aut angore, maximeque tranquillo aegro quinta demum hora exacta vomitus contigit et frigus et convulsio, neque ita diu post mortuus est. In ventriculo mucosa graviter inflammata, pulmones colore violaceo tincti, cor dextrum plenum sanguinis fluidi, nigrescentis, sinistro vacuo. Observatio quinta magnam cordis alterationem obtulit. Erat colore maculato, partim rubro, partim subnigro: ventriculus autem manifeste graviterque inflammatus. Mors evenerat hora quadragesima octava.

Itaque universe eo gravior fuit ventriculi et reliquarum partium laesio, quo serior obitus, nec defuere sanguinis, aut cordis, aut pulmonum, ex sanguine ut videtur venenato male affectorum indicia. Cum casu supra ex Morgagno allato alter convenit, in quo tamen nulla manifesta veneni nota. Mulier quadraginta annorum, carnosa, colore subflavo cum caepam aceto et sale conditam simulque panem comedisset ex castanearum farina confectum, ilico de stomachi dolore queri coepit. Quo magis magisque saeviente, tribus ab eo cibo horis cum sudori-

bus frigidis lethali syncope ingruente mortua est. Ventre ob veneni suspicionem inciso, omnia reperta sunt secundum naturam se habentia, nisi quod ventriculus majorem in modum distentus erat et non nihil inflammatus, sanguis autem fluorem quasi naturalem servabat. Ep. 39. art. 8. Latet in hoc casu tam repentinae mortis caussa, ut neque justam, neque injustam fuisse veneni suspicionem, certo affirmare liceat. Hoc, quod vivimus, tempore fortasse chemica ciborum analysi effici potuisset, quod tunc minus certo potuit. Verum neque hac nostra aetate talia exempla quaerentibus deërunt, in quibus neque anatome, neque chemia, neque alia scientia mortis inopinatae aut subitaneae caussam certo monstrabit, et falleretur vehementer, qui crederet, unam anatomen pathologicam sufficere omnibus mortis subitaneae casibus, quotquot feruntur, explicandis. Sed haec hactenus.

Tunicam ventriculi musculosam etiam inflammari plures casus docere videntur, quorsum pertinent historiae gastritidis, quas primo loco retulit Broussais. Erant autem hae gastritides et catarrhales et rheumaticae, id est, non tantum mucosam afflixerant, verum musculosam quoque ventriculi tunicam, uti testabatur hujus cavea mirum in modum contracta, quam contractionem musculosae inflammatione effici animadvertit Gendrin, Tom. I. §. 765. p. 578. ejusque esse signum (§. 771. pag. 581.) In acuta enim inflammatione canalem cibarium solere esse

dilatatum. Cum qua animadversione conferri tamen merentur, quae circa dilatationem et angustiam hujus canalis notavit Billard Cap. V. p. 339 sqq. Op. laud., quo loco plures subesse posse scribit hujus contractionis caussas, ut nec reliqua negligenda sint hujus inflammationis signa. Verum in priori casu accesserat inflammatio serosae et fibrosae cerebri; in altero praecesserat rheumatismus, qui brachii sinistri in superiori parte suppurationem, in parte inferiori lymphae plasticae exsudationem concitaverat: utraque pulmonum catarrhum mentiebatur, neque ullum dubium est, quin simul mucosa pulmonalis fuerit inflammata: in altero casu haec inflammatio forsitan gastritide prior exstitit. Antea enim aeger passus erat haemoptysin pectoreque erat angusto depresso. In hoc viro cum pulmo infirmus natura, cerebrum vero studiis agitatum esset, ecquid mirum, sympatheiam et deuteropatheiam harum partium ex morbo fuisse suscitatas.

Tertia observatio pariter catarrhi formam habet. Miles juvenis sequentia monstrabat symptomata: Os pravum, dyspnoeam, ruborem intensum genarum, colorem ardentem cutis, pulsum durum, fortem, crebrum, tussim perpetuam vehementem, sub quavis inspiratione molestantem, cum dolore lancinante atque excretione muci spumosi cruenti, anxietatem gravem, corporis jactatione, vestium a pectore rejectione manifestam. Venam secari et

pectori imponi vesicans jubetur. Exinde symptomatum exacerbatio, alvus frequens cum tenesmo: emollientia, acidula praescripta copiose. Die 14° facies decomponitur, spiratio turbatur, retrahitur pulsus, subsiliunt tendines. Sequitur coma, convulsio, mors. In cadavere pulmones pleni sanguinis, ventriculus partim dilatatus, partim contractus, mucosa rubro-violacea, nigra, sugillata prope cardiam et tanquam erosa a veneno. Mucosa intestinalis ruberrima.

Habetis, quae tum morbus, tum mors manifestarunt morbi vestigia. Nec dubitat tamen Auctor, quin etiam bronchitis adfuerit dubitantique adsentimur et dolemus, neque in hac, neque in altera et prima observatione tracheae et bronchiorum conditionem fuisse investigatam eoque magis, quia in morbo rheumatico tussis fortasse ex contextu fibroso tracheae aut ejus fibris transversis muscularibus potuisset explicari. Videtur in hisce casibus gastritis a catarrho originem duxisse, aut cum eo fuisse complicata.

Forsitan cutis functionem primo perturbatam mucosae pulmonalis intestinalis sequitur valetudo secundaria, aut si mavelitis antagonistica, cujus primum a cute initium ducitur.

Observatio quinta obfert imaginem morbi simplicioris, sed cum enteritide, ut solet, conjuncti. Miles juvenis robustus a longo jam tempore anorexia et nausea affectus emeticum sumpserat, quo

morbus gravior factus est, cujus symptomata erant nausea perpetua, cephalalgia, motus febriles, levior alvi fluxus. Observabantur ingestorum vomitus et dolor ventriculi perpetuus, cum sensu constrictionis, qui ad omne abdomen pertinebat; pulsus parvus, frequens, contractus, cutis frigidior, arida, animus tacitus, desperatus, color in vultu vix mutatus, lingua munda, vires musculorum integrae. Praescripta sunt mucilaginea, acidula et fomentationes emollientes epigastrii. Quinta abhinc die convulsiones, anxietas summa, syncope, mors. In cadavere totus canalis cibarius contractus, mucosa ruberrima, crassa, sine ulceratione, ab orificio cardiaco usque ad anum. *Hist. des Phlegm.* Tom. II. pag. 492.

Symptomata gastritidis auctore Broussais sunt sequentia: aversatio ab omni potione calida aut irritante, appetitus refrigerantium, propter sensum ardoris interni externique, vestium a pectore et epigastrio amotio, corporis jactatio, querelae, suspiria, inquietudo ἀλογως, faciei distorsio, convulsio. Vomitus et dolor ardens epigastrii, quae vulgo recensentur, tantum ad gravem gastritidem pertinent et serosam inflammatam. Alio loco sensum auctum mucosae ventriculi commemorat, et in corporibus mortuorum hujus tunicae tumorem, ruborem, ulcerationem; inque nota adjecit, his indiciis debere adjungi nigredinem, quae ruborem sequi solet; quin immo casus esse,

in quibus sola sufficit congestio ad demonstrandam phlegmasiam praesentem. Quo loco repetatis velim, quae antea a nobis ex Billardi observationibus ducta sunt, atque cogitetis, has notas postea Historiae Phlegmasiarum, tanquam auctoris in eam glossas, fuisse additas.

Exemplum gastritidis simplicis sine ullo symptomate sympathico, praeterquam id quod a circulatione mutata est, legitur in Clinice Medicinali celebris inter Parisienses medici Andral Tomo II. initio (*).

Mulier annorum 27, malos experta fortunae casus, turbatam habuit digestionem: epigastrii dolorem acutum sentiebat, ingesta quaevis vomebat. Facie reliqua pallida, rubebant admodum malae et oculi nigro erant orbiculo cincti. Corpore, ut erat debili, ita voce submissa loquebatur. Vomuerat paullo ante bilem acerrimam copiosam et quidquid biberat. Nunc, quo tempore ipsam observabat auctor, praeter dolorem acutum epigastrii, quem manu admota indicare non desinebat, reliquus venter nec dolebat, nec tumebat. Alvus quatriduum stricta. Linguam obducebat mucus crassus. Subter vero et in apice praecipue punctis rubris tincta cernebatur. Magna sitis torquebat aegram, quam ex-

(*) *Clinique Médicale, ou choix d'observations recueillies à l'Hopital de la Charité, troisième edition.* Paris 1834.

plere propter vomitum eumque praecipue comitantes angores verebatur. Pulsus 112 vicibus pulsabat quovis horae minuto primo eoque tempore numerabantur spirandi motus 28, cute interim calida et sicca. Adhibitis primum 40, dein 30 hirudinibus, balneis praeterea tepidis, infusione malvae, potione gelida, conditio jam melior, jam pejor. Die 20° increvit valetudo, corporis habitu summe extenuato et decrescente cutis calore, nec mutata tamen pulsuum frequentia. Die 26° lingua muco orbata, rubra et glabra, die 34° aphthosa facta est. Mors secuta est die 40°, postquam vomitus jam quatriduum cessaverat.

Stomachus in cadavere contractus, colon transversum volumine referebat. Mucosa crassa erat, rubro-fusca, facile dilaceranda. Ad faciem liberam puncta numerosa partim rubra, partim nigrescentia conspiciebantur, quorum in villis sedes esse videbatur: saltem sub hisce rubebat mucosa, sanguine turgens. Haec a reliquis tunicis sine dilaceratione secerni non poterat multisque locis pulpae adinstar mollis erat.

Talis quidem mucosae adspectus erat, praeterquam versus pylorum, ubi melior fereque sanus, colore tamen subgriseo. Reliqua intestina pallida sine macula et sine folliculis surgentibus. Notetis quaeso, rem indicante ANDRALLIO, linguae conditionem exacte morbi rationem sequentem. Etenim primo mucosa fuit, sed subter rubebat, neque pallesce-

bat ad margines (ideoque nullus vomitorio locus) deinde muco orbata, rubore aequali perfusa, tandem aphthosa facta est, quod hic erat exitus funesti praesagium.

An stomachus contractus ex inflammatione musculosae? Non videtur: siquidem nulla morbi rheumatici nota et vomitus vehemens cibique et potionis defectus, aut inopia saltem rem satis commode explicant.

Etiam animadversione perdigna, altera observatio est. Anus postquam aliquot dies acutum senserat dolorem in cordis scrobiculo et crebro vomuerat primo quaecunque biberat, deinde bilem nunc flavam, nunc viridem, reliquo ventre nec dolente, nec tumente, cumque nec caetera deëssent ventriculi aegri symptomata: sitis ingens, alvus stricta, tussis levis, pulsus frequens, cutis calida, tandem ad summam maciem perducta moritur, die morbi decimo septimo. Lingua semper rubra, laevis, ultimo siccissima: nausea et vomitus ad finem usque perdurant. Anatome ventriculum summe contractum monstrabat, praesertim parte pylorica. Mucus viscosus, lentus, subflavus, mucosae tenaciter adhaerebat. Sub hac vernice mucosa color translucebat rubro-fuscus, per omnem mucosam diffusus, mollem adeo, ut pulpae speciem haberet fereque liquesceret. Reliquae tunicae integerrimae, ut pallor naturalis textus cellu-

losi suppositi a rubore summo ejus, quae ipsam velat, mucosae mirum in modum differret.

Sub nomine catarrhi gastrici plures inflammationis mucosae gastricae historias collegit Ph. Pinel in *Medicina Clinica* pag. 235 sqq., postquam antea mentionem fecerat catarrhi pulmonalis et gastrici conjunctorum. In omnibus erat vomitus cum dolore aut levi aut gravi in regione epigastrica: in morbo composito deërant aut ambo, aut unum. Nec desunt tamen exempla gastritidis, sine his symptomatibus, uti non desunt alia affectionis gastricae, sine ulla organica hujus visceris laesione.

Alterum jam docuerat Haenius, etiam adferens exemplum ex Valsalva apud Morgagnum. Animadvertendum tamen in has historias, Valsalvae illam nimis brevem esse, quam quae rite dijudicari possit; in omnibus autem inflammationem fuisse deuteropathicam, nec desiderari longae ventriculi intestinorumque aegritudinis symptomata.

Vir nobilis apud Valsalvam tantae erat alvi duritiae obnoxius, ut nonnisi artis ope exoneraret. Haenii adolescens amaurosi afflictus probabiliter nata ex contuso capite, postquam sex mensium spatio in periodicos vomitus, quos cephalaea semper praenuntiabat, inciderat, ex cranii ustione ad amaurosin curandam adhibita, ambas cerebri meninges valde inflammatas habebat. Juvenis, qui ex peripneumonia inciderat in gastritidem, et doluit ven-

tre et vomuit atque dolore conticente, nec redeunte, continuavit vomitus ad mortem. In juvencula (Tom. III. pag. 11 sqq.) qui deërant postea dolor epigastrii et vomitus, non deërant initio: praecesserat autem gastritis chronica, quam testabatur ventriculus eo crassior factus, quo magis ad dextras pergebat, cartilagineis eminentiis instructus, cui una cum pleuritide, forsitan etiam arachnitide (cranium, quod dolemus, non reclusum est) subvenit gastritis acuta, in gangraenam lethalem terminanda. (Cf. pag. 30. ibique laud. locus).

Itaque perspicitis, plures fore caussas, quibus fit, ut unum vel alterum symptoma desideretur. Ad vomitum enim tunica musculosa ventriculi, diaphragma, musculi abdominis in mali societatem veniant, oportet. Dolor cerebrum postulat et nervos integros ac silet facta gangraena. Praeterea gastritis chronica raro vomitum ciet, nisi in acutam speciem transeat, aut stomachi vitium obicem ponat materiae ineunti, exeunti: itaque in scirrho cardiae et pylori, aut canalis cibarii, si qua parte nata sit stenochoria: quodsi pars media ventriculi aegrotet, vomitus saepenumero nullus erit. Idem jam indicaverat Morgagnus Epist. 29. art. 7. Ad ventriculi scirrhum, scribens, donec incremento suo non se extendit ad pylorum coarctandum, vomitus non ita frequens accedit.

Exempla dyspepsiae et vomitus sine ulla ventri-

culi laesione in cadavere conspicua plura numerat ANDRAL (l. l. pag. 171—207.) docens, saepius neurosin subesse, quae tamen protracta auctave in phlogosin ipsumque vitium organicum transit. Prima observatio spectat parvulam triennem cerebri inflammatione ea, quae hydrocephalus acutus dicitur, extinctam. Vomitum crebrum copiosum secutum est coma gravissimum et mors. Cerebri ventriculi turgebant sero, stomacho integerrimo. Erat igitur vomitus sympathicus, ex capite aegro, cujus diagnosis ab hydrocephali signis petenda est.

Altera observatio ad phthisicum pertinet: hic erat vomitus sympathicus a pulmone tuberculoso, ulcerato, illaesis ventriculi tunicis: ulceratis tamen plurimum intestinis. Monendum, etiamsi vomuerant crebro aegrotantes, neque in hac, neque in prima, neque in tertia epigastrium doluisse. In hac, tertia scilicet, carcinomate uteri collum destructum, vesicae paries posterior perforatus, mucosa rubra, ventriculus, intestina sana. In quarta observatione et vomitus fuit et dolor, sine ulla ventriculi, aut intestinorum laesione organica; neque etiam in quinta aegra, quae longam dyspepsiam cum dolore, vomitu, alvi adstrictione, experta, quorum malorum originem ex animo calamitatibus oppresso, tristique repetebat, inedia ac macie confecta, vivere desiit. In cadavere: cranio, thorace, abdomine reclusis ipsisque nervis: sympathico, vago detectis atque examinatis nulla organica tam lon-

gae gravisque valetudinis caussa inventa est.

Gastritis chronica, quae ex acuta saepius nascitur, eadem habet, sed leviora symptomata: dolorem in regione epigastrica magis dextrorsum tamque alte, ut in pectore residere videatur, cum sensu stricturae aut obicis inter deglutiendum atque a cibo, a potione acriore exacerbatus, anorexiam, dyspepsiam, vomitum, vomituritionem, aut si haec desint, sensum lassitudinis et ponderis, ructus ipsamque ruminationem et febriculam levem sub digestionis opere, alvo interim stricta primum, liquida dein, cum dolore, tenesmo et cruenta evacuatione, ubi intestina simul inflammatio prehenderit: vultus morosus, tristis, rugosus; rubra conjunctiva, labia, genae, lingua, quae subinde crusta mucosa sicca tecta auctoque morbo macies, in qua cutis tanquam musculis accreta cernitur. Ea si in acutam speciem mutetur, pulsus durior crebriorque, cutis calor et siccitas et vespertina motuum febrilium exacerbatio illud quidem factum manifestabunt.

Hisce signis quae indicaverat Broussais, adjecit Andral, raro vomitum ciere gastritidem chronicam., nisi in acutam inclinet, aut stomachi laesio alimentorum transitum prohibeat; maxime constans signum esse pertinacem alvi adstrictionem, linguam variam esse, crebro, ad apicem praesertim, papillas surgere et rubere, interdum aphthosam esse. Sitim jam nullam, jam ingentem pariterque famem, et dolorem, ita ut nihil perpetuum sit saepiusque sym-

ptomata generalia, sympathica magis manifesta sint, quam topica. Ex illorum numero esse dolores capitis, stuporem brachii, dolorem faciei, acutum cutis sensum, cordis palpitationes, tussim atque dyspnoeam.

Haec ita variant, ut in ea parte, quae reliquis imbecillior, aut magis ad aegrotandum proclivis, symptomata illa adpareant. In hypochondriacis, hystericis hyperaesthesia cutanea, in phthisicis dyspnoea ac tussis, corde magno aneurysmatico existente ejusdem palpitationes. Atque hoc modo sympatheia in deuteropatheiam transeunte, fieri poterunt morbi cutanei, apoplexiae gastricae, quemadmodum ab altera parte ex laesione cerebri, pulmonum, aliorumque viscerum gastritides chronicae fiunt, ex cutis denique vulnere, phlogosi, ulcere inflammationes atque ulcerationes membranae villosae. Animadvertisse has sympatheias eapropter juvabit, quoniam symptomata isthaec sympathica interdum tam gravia existunt, ut idiopathica symptomata obscurare prorsus et vincere deprehendantur.

In Historia Phlegmasiarum duas gastritidis chronicae observationes notavit Broussais: in priore dolor fixus epigastrii cum strictura, anorexia, nausea, vomitus per mensem integrum perduraverant, quibus deinceps se junxit alvi fluxus. Facies tristis erat, livida, lurida, cutis sordida, frigidior, perspiratio odoris foetidi, stercoralis, quibus sym-

ptomatibus persistentibus, extincta vita est, die morbi 42°. Ventriculus portione cardiaca dilatatus, portione pylorica contractus, magno volumine voracitatem indicabat: mucosa vini rubore tincta, versus pylorum crassa, coriacea, sicca: intestina rubra.

In casu altero aeger temperamenti melancholici patiebatur anorexiam, vomituritionem, alvi fluxum. Vultus tristis erat, oculi cavi, lingua humida, non sordida, nullaque febris: cumque prius mutatio in melius videbatur, deinde error in victu exacerbationem, cum vomitu perpetuo, diarrhoea, marasmo ipsamque mortem intulit, die morbi trigesimo sexto. In cadavere ventriculus, intestina contracta: peritonaeum inflammatum, mucosa crassa, sicca, ruboris vinosi: mesenterii capillaria a sanguine rubentia, bilis atra in cystide omniaque phthiseos siccae melancholicorum indicia.

Observationes numero IX. consignatae a Clar. Andral pleraeque ad scirrhum et carcinoma ventriculi pertinent, cujus loci etiam sunt plures casus, quos in Epist. 30. *de Vomitu* commemorat Morgagnus inque *Medicina Clinica* Pinel. Prima ex Valsalvae observationibus a Morgagno selecta haec est:

Vir annorum circiter quinquaginta quatuor, jam ante quinque aut sex menses emaciari toto corpore inceperat, cum ineunte mense Augusto A. 1689, molestus accessit vomitus materiae, quae aquam

fuligine infectam referebat. Ejusmodi materia etiam per alvum, nec tamen semper dejiciebatur. Interea vix ullus in ventriculi regione percipiebatur dolor, sed cum medicus sal absinthii dedisset, eas stomacho molestias creavit, ut nunquam postea datum sit. Tandem saeviente vomitu cum ejusdem materiae excretione, languidis sensim factis pulsibus, consecuta mors est, Idibus Novembris. Cadaveris omnes articuli flexiles erant: quod in aliis haud ita crebro occurrit. In ventriculo pylorum versus, tumor erat cancrosus exulceratus, hicque fieri visus est ex glandularum congerie, quae pressae humorem promebant similem humani seminis. Ventriculus autem tres libras materiae continebat ejusdem ferme naturae, ac quae vomitu ejiciebatur. Inter ventriculum et lienem erant duo glandulosa corpuscula, fabae magnitudine, colore et substantia non multum absimilia tumori, qui in ventriculo descriptus est. Haec in ventre. In thorace autem pulmo dexter nonnihil a tergo inflammatus: ex omni autem utriusque incisi pulmonis parte serum prodibat. A cordis ventriculo dextro polyposae concretiones in pulmonarem arteriam pertinebant: minor ab sinistro in venam ejus nominis.

Materies haec fuliginosa, quae perperam habetur signum certum carcinomatis, etiam in aliis visa gastritidis chronicae casibus, ex sanguine videtur esse in ventriculum effuso ibique alterato.

En exemplum carcinomatis ventriculi cujus duas

species descripsit in *Anat. Path. Hominis* Cruveilhier: *carcinoma areolare gelatiniforme* et *carcinoma encephaloideum* (fungus). Facies lurida, vomitus ingestorum, marasmus, animus tristis, morosus, sensus aegritudinis, tumor epigastrii, symptomata sunt, quae notantur, nec tamen semper, nisi orificia affecta sint; gravissima vero, ubi sinistrum cardiacum. Ubi ventriculum medium tenet vitium, haec symptomata absunt. Notanda etiam aetas est et sexus et vitae ratio et animi habitus: siquidem in feminis senescentibus virisque bibacibus, aut animo curis tristitiaque oppresso carcinomata fieri solent. Exstat tamen casus apud Cruveilhier viri bene adpetentis animique hilaris sub signis hydropis inter facetias et jocos carcinomate stomachi interempti.

Universe et huic et claro Clinices Medicinalis auctori adsentiendum est, adfirmantibus, nullum esse certum et constans signum, quo a gastritide chronica aut ulcere ventriculi semper et ubivis discernatur ejusdem carcinoma.

Gastromalacia, quae non semper ab inflammatione est, aeque minus, quam ulcera ventriculi, certa semper et constantia signa obfert. In illa, quae etiam *ventriculi emollitio gelatiniformis* dicitur, infantibus puerisque, dentitionis praesertim tempore, crebrior, quam adultis, animi summa morositas, sitis enormis citusque virium et habitus corporis lapsus ac summa promptaque macies animadversa sunt. In

ulcere ventriculi subinde nulla, utplurimum vero sequentia symptomata observantur: anorexia, aut malacia, summa animi tristitia, dyspepsia, aegritudo, dolor obscurus epigastrii, aut potius substernalis, saepius etiam in dorso ex adverso epigastrii, nonnunquam sub digestione, nonnunquam sub inedia auctus, macies, alvi durities, nausea, vomitus post pastum, haematemesis. Ex ulcere si fiat ventriculi perforatio, peritonitis, meteorismus, frigus extremorum, syncope, mors brevi sequentur.

Horum ulcerum historias adnotatione dignas legere potestis in *Anat. Pathol.* Cruveilhierii, quorum pleraque chronica, atque, ut aliarum partium, diversae esse naturae solent. Ac quamvis neget ille syphilitica mucosas in corpore interno occupare, ejusmodi tamen duo exempla profert Andral: alterum ex patris adnotationibus ductum, alterum ex observatione medici Parisiensis experientissimi Marc, utrumque mercurio sanatum (l. l. pag. 201 sqq.) Prima observatio Cruveilhierii est ulceris recentis acuti. Baiulus 23 annos natus, corporis habitu robusto, athletico, grave onus ferens, subito tam atroci ventris dolore corripitur, ut vix domum se recipere possit; quo dolore, admotis hirudinibus, non remittente, altero mane ad Nosocomium defertur. Abdomen erat tympaniticum, graviter dolens, vultus prorsus mutatus, pulsus exiles, artus frigidi, atque trihorio post, vi-

tam cum morte commutavit. In peritonaei cavo aër plurimus et sordes liquidae et membranae spuriae. Ventriculi orificium pyloricum ulceratum, perforatum. Ante decem dies aegritudinem aliquam sentiens, labore tamen haud intermisso, nec mutato vivendi genere, bibere vini spiritum perrexerat.

Interdum cicatrices ducunt ulcera ex textu fibroso, quarum fundus peritonaeum, pancreas, hepar, colon, quibus partibus accreverunt. Nec tamen raro recrudescunt, fiuntque haemorrhagiae, aut per exhalationem capillarem aut, per diabrosin ulceratis, eroiss arteriarum: coronariae, splenicae parietibus, quo facto, observatur vomitus cruentus aut niger, aut bruneus, coffeae aut cocciolatae colorem referens.

Superest ex gastritidis terminationibus gangraena, quae et rarior, et si fiat, ex ulcere esse, aut carcinomate solet, neque fere nisi post obitum detegi. Quocirca ejus signis, haec quae scripsi animadvertens, accensuit ANDRAL subitaneam virium prostrationem, faciem cadaverosam, crebras haematemeses.

Senex octogenarius, qui ex carcinomate gangraenoso ventriculi curvaturam minorem partemque vicinam hepati occupante obiit cujusque mentionem fecit CRUVEILHIER, nulla alia symptomata obtulit, praeter levem alvi fluxum, tussim catarrhalem et increscentem debilitatem atque ultimis duobus

vitae diebus, quo demum tempore decubuit, pulsuum aliquam frequentiam ac levem quandam mentis alienationem, ut magis fato senili, quam morbo succumbere visus sit.

Ne miremini, me tam longum fuisse in symptomatibus hujus inflammationis commemorandis: brevior fuissem, si per rem ipsam licuisset, cujus tanta est difficultas, ut nisi omnibus exacte computatis, diagnosis legitima prorsus desit atque chronica gastritis ab ulcere ventriculi chronico ejusdemque carcinomate, ipso etiam teste locupletissimo Andrallio, discerni semper certaque ratione nequeat.

Quamobrem caussae etiam notandae sunt, quarum aliae ventriculum, aliae partes consentientes laedunt. Qui ventriculum habuerint sive parentum vitio, sive suo ipsorum infirmum, prae reliquis in hunc morbum proclives sunt: helluones, bibaces, quorum animus est in patinis et poculis nostrique Luculli et Appii, qui ventriculo cibis vinoque calenti glaciem ingerere arte paratam in deliciis habent: quin etiam incauti, qui aestuante et sudante corpore a potione gelida caloris remedium petunt; nec minus culpandi medici, qui vomitoriis et catharticis acrioribus abutuntur, quorum omnium exempla numerosa prostant; ne de venenis loquamur et nitrosis et cardiacis, quorum abusus multiplex; atque imprudenti morborum externorum, aut cutaneorum curatione.

Altera caussarum classis cerebrum spectat, aut nervos animique aegritudinem, quorsum in primis curas edaces referimus, et tristitiam et iram suppressam et gastritidis chronicae et scirrhi et carcinomatis, praesertim feminis senescentibus principia prima, quae ex latente neuralgia facto initio in latentem phlogosin transeunt atque scirrho et carcinomate terminantur. Secundaria denique nascitur ex morbis cutaneis praecipue, tum acutis, tum chronicis: variolis, morbillis, scarlatina, impetigine.

Praesagia in acuto morbo a dolore, vomitu, lingua, febre potissimum ducenda et nervorum valetudine: in chronico a corporis habitu, vultu, cute, alvo. Dolor aut ardens, acutus, aut obtusus, rodens, lingua ruberrima, glaberrima, aphthosa, febris continua, aut levior hectica, deliria, convulsiones artuum, faciei, hydrophobia; aut coma, atrophia, marasmus, vultus morosus, rugosus, luridus, cutis sicca, ardens, aut frigus extremorum, ac livor, alvus aut durissima, aut liquida, foetida, inter gravia signa jure numerantur. Si dolor, vomitus, febris remittant, lingua, cutis humescant, redeant in vultu color, in habitu vitalis turgor, in mente hilaritas, in corpore calor naturalis, si alvus naturae modum servet, nec stricta, nec liquida, si aegri et bene appetant et bene digerant, bene quoque sperare licet.

Difficilis morbi uti diagnosis, ac prognosis, ita

nec facilior hercle curatio est, in qua medici artem facientis prudentia maxime eminet.

Gastritis acuta, ut alia inflammatio quaevis, sola sanguinis missione rite curatur, nec topica semper, ut voluit Broussais: sed saepe universali eaque repetita. Decies repetitam esse in casu a Swietenio citato videmus, in qua inflammata serosa, magna febris, gravia symptomata nervosa inflammationis saevitiam testabantur. Circa quam observationem notetis velim, symptomata nervosa, spastica, gravissima ab hoc morbo inflammatorio non nervinis, non anodynis, sed largis, sed repetitis venae sectionibus fuisse sedata. Etenim pulsus debilis, artuum frigus, syncope, quaeque a consensu nascuntur symptomata, quo graviora, eo majorem sanguinis jacturam et imperant et tolerant, immo ad animi deliquium usque faciendam.

Generalibus illis sanguinis detractionibus succedant topicae per hirudines, ubi febre cordisque et vasorum in toto corpore renisu aut remittente, aut deficiente, topica magis fuerit solius ventriculi laesio, neque in omni corpore aut abundet, aut inflammatus sit sanguis, ubi chronica magis valetudo, ubi nutritionem jam laeserit; quarum numerum definiet casus quivis singulis: qui tamen casus tam graves sunt, ut triginta vel quadraginta admovendas jubere videantur, eos magis universalem imperare, quam particularem depletionem crediderim.

Praeter curationem antiphlogisticam universalem, haec inflammatio jure suo involventia, demulcentia, mucilaginea petit, ex hordeo, althaea, malva, gummi arabico similibusque. Nitrum salino stimulo obest atque licet antiphlogistici nomine celebretur, propter locum affectum est amovendum. Haec ipsa, utut lenissima, vix ventriculus retinet, quapropter parca copia sunt ingerenda et si vel sic aegre ferantur, aqua gelida parcissime utendum (quae in erysipelate ventriculi optima medicina est) atque enemata demulcentia, emollientia injicienda sunt. Quo magis miror, a quibusdam scriptoribus nitrosa hisce mucilagineis jungenda, ab aliis opiata, camphorata, medicaminum titulo, fuisse laudata, aut praedicata vesicatoria atque linimenta volatilia, extus admovenda.

Acida mineralia concentrata si fuerint ingesta, mucilaginosis, involventibus utendum, affatim potatis: siquidem ipsas partes causticitate urunt reagentibusque propterea vix locus est, aut agendi tempus, recte animadvertente Pinellio. Venena metallica, aut emetico valido e sulphate zinci v. c., prompte sunt ejicienda, aut si diutius ventriculo inhaeserint, magnesia usta, lixiviis, solutionibus saponaceis, aut sulphuretis decomponenda; quibus tamen minus universe confidit Orfila, quam albumini ovorum, praesertim salibus acrioribus metallicis e cupro et mercurio ingestis: nec negari sane potest, ventriculo jam irritato, demulcentia in-

volventia magis, quam stimulantia ejusmodi antidota convenire. Quarinus historiam narrat feminae postquam ingesserat lapidem infernalem (nitratem argenti) sanatae per oleum tartari aqua dilutum, postea datis lacte calido oleoque amygdalarum iisdemque per enemata injectis, ita ut deinceps per tres septimanas oleosis mucilagineis usa sit; et Pinellius alius feminae, quam adsumpto arsenico lacticinia mucilaginea jusculaque carnium a morte quidem liberarunt, relicta tamen chronica ventriculi aegritudine. Vesicantia, quae laudat Pringlius, recte notante Quarino, in sola rheumatica gastritide, aut fracta phlogosi proderunt. Proderunt pariter in erysipelatosa specie, quam erythematicam vocat Cullenus, quales sunt gastritides metastaticae: ab arthritide, podagra retropulsa, quae dicitur, in quibus conducunt loci affecti, pedis podagrici, sinapismi acres. Exemplum vid. apud Morgagnum atque Andrallium, quorum alterum Morgagni legisse non pigebit, memoratum Epist. 29. art. 10; est enim magna cura perscriptum; nec pigebit alterum, pariter laude dignum: est obs. 3. Tom. II. *Clin. Medic.*: prius patricii Bononiensis arthritici, calculosi, intestinorum tandem phlogosi ex hominum medio sublati; posterius feminae, ex gravi animi commotione propter filii calamitatem arthritide primum, sive articulorum rheumatismo vexatae, quam deinde gastritis et enteritis, quae priori morbo successerant, interfecerunt. Pessime

autem agitur, dum utantur medici regula illa (cujus numerosae exceptiones sunt) *vomitus vomitu curatur*. Nam emetico dato gravissimis convulsionibus obortis subito pereunt aegri. Hunc errorem commisisse sese candidus fatetur Sydenhamus, Opp. Sect. II. Cap. II. similemque casum habet Fred. Hoffmannus Tom. VI. pag. 227, in quo praeposterum vomitorii ex sulphure aurato antimonii usum mors brevi secuta est.

Quaerentibus autem, quae sint status gastrici signa ea, quae emeticum non tantum ferunt, sed etiam postulant, respondebo deinceps, ubi de febre gastrica verba fient. Consulant interim Andrallium, *Précis d'Anatomie Pathologique*, Tom. II. pag. 199.

Imprimis vero gastritis chronica difficulter curatur. Tam diversa enim ipsius ratio est, ut remedia ejus plurimum differant. Nunc similem fere atque acuta requiret curam, nunc contra magis stimulantem, nunc morbo declinante mutandam, quae quum antea demulcens erat, lenis, ex mucilagineis, gummosis; quae hucusque proderant, jam obesse et gravare ventriculum videntur, ut ad aromatica veniendum sit, amara, vinum et jura carnium; quodsi instemus et pergamus in diaeta stricta, aut strictiorem etiam praescribamus, metu irritationis gastricae moti, hanc ipsam inedia provocaremus, morbumque invocaremus brevi mortiferum. Quamobrem comparata hac conditione cum ea oculi post ophthalmiam rubentis, curandi medicina, non

quae emolliat, sed quae adstringat et stimulet partes relaxatas utendum, monet ANDRAL: longaque opus esse experientia, ut regulae diaeteticae statuantur, singulis aegris ex gastritide chronica laborantibus idoneae: hoc praeceptum et motum spectare, quem semper viribus et victui adcommodare oportebit: novisse sese, qui nonnisi in lectulo, aut in balneo bene coenarent et digererent.

In ulcere ventriculi curando saluberrima sunt praecepta, quae tradidit clarus Anatomes Pathologicae auctor CRUVEILHIER, quorum primum est, ut ventriculo ulcerato concilietur quies; alterum, ut ea seligantur alimenta, quae et corpus etiam minore copia bene nutriant et facili negotio a ventriculo subigantur, quo nomine laudatur diaeta lactea, aut gelatinosa: lac, hydrogala, aqua hordei, oryzae, avenae, hordei cremor, jura carnium infirmioris materiae, calida, frigida (tepida vix ferunt) balnea per horas integras continuata et usu therapeutico, magnesia usta, aut pulvis lapidum cancri ex lacte aut aqua. Interdum cibus valentioris materiae requiritur, nec nimis diu demulcentibus illis mucilagineisque inhaerendum est: inprimis vero aegrotantium adpetitus atque juvantia et nocentia consulenda sunt. Et, in hisce quidem diaetae minutiis ac subtilitatibus, rite ordinandis eodem auctore, medici practici sagacitas maxime cernitur.

Atque haec sunt, quae de hoc inflammationis

genere ab auctoribus tum antiquis, tum recentioribus memoriae prodita legimus vobisque proponenda existimavimus, tanquam scitu dignissima. Plura addi possent, fateor. Sed haec tironibus sufficient, quibus artem facientibus auctores legendi sunt et conferendi. Meum est, pauca hisce adjungere, quae circa hanc phlogosin ipse observaverim, praesertim chronicam, quae ut crebra est in hisce terris, ita rarior longe acuta cernitur. Haec fere rheumatica, aut catarrhalis est, aut pravo regimine inducta, aut feminis obrepens, subsistente ex aetate catameniorum fluxu. Praecavebunt has gastritides diaeta et victus levior inque feminis senescentibus menstruae sanguinis detractiones, sensim sensimque minuendae. Natas curabunt tum parca strictaque diaeta, tum topicae per hirudines depletiones, quas sive epigastrii regioni, sive ano admovere oportebit: tum etiam emplastrum vesicans, aut semivesicans, rubefaciens epigastrio imponendum, quo facto scirrhi et carcinomata praeverti interdum poterunt. Horum jam nascentium aut factorum si justus suboritur metus, scutum stomachicum ex emplastro hydrargyri aut conii maculati atque ex iisdem confectas pilulas utiliter quandoque adhibuimus; quae tamen remedia, quemadmodum magnas requirunt cautiones, sic prudenter ab iis abstinebunt, qui methodum nesciant.

DE ENTERITIDE.

Inflammatio intestinorum adpellatur enteritis. Hujus historiam traditurus arduum hercle opus adgredior: siquidem tantopere increverunt factae a medicis hoc, quod vivimus, tempore hujus morbi observationes, ut nullum esse morbum illo crebriorem et communem quandam febrium caussam existimaverint recentiores plurimi. Quae observationes, quum non tantum numerandae sint, sed ponderandae, medici critici personam agere ac sustinere oportebit eum, quicunque verum consequi in his cupiat. Eandem igitur viam ingressus, quam in gastritide tenui, videbo, utrum ex tantis difficultatibus me possim expedire.

Antiquiorum observationes, ab hisce enim incipiendum est, viam monstrante natura, antiquiorum observationes, multum imperfecti atque obscuri habent, quod et alios et summum antiquitatis diagnosticum tangit Aretaeum, qui sub nomine ilei hanc phlogosin descripsit eamque illius speciem, quae cum volvulo esse ac serosam tunicam praesertim tenere videtur. Quam hic subindicaverat inflammationis tenuium et crassorum diversitatem, ab ea specierum distinctionem petiit Sauvagesius in *Nosologia Methodica*, licet ipsam minus laudaverit

Morgagnus, *Epist. Anat. Med.* 34. art. 1 sqq. Perquam obscura fuit hujus valetudinis notio: id docere quemvis poterit Bonneti *Sepulchretum* Lib. III. Sect. XIV. donec hunc quoque locum illustravit criticum Morgagni ingenium, a quo primum emendatam hanc scientiae partem repetimus. Indicatam ab eo viam persecuti sunt posteri, praesertim Franciae Medici, quos inter floret maxime et viget anatomes practicae studium.

Creberrimam fore hanc inflammationem perspiciet facile, quicunque cogitaverit, idoneam ad inflammationes concipiendas intestinorum fabricam illam vasculosam et acutum sensum et motum perpetuum et continuam humorum ad intestina alluviem, quique his adjunxerit multiplices harum partium inflammandi occasiones ab ingestis: potu, cibo acriori, irritante, acido, salino, aromatico, gelido, fervido, medicamento drastico, veneno rodente, vellicante; a retentis: colluvie biliosa, gastrica, purulenta, serosa; a metastasi, rheumate, catarrho, erysipelate huc delatis; ab ingenti spasmo intestinorumque convulsione et motu incomposito, unde viscera illa mobilia alio aliove loco, tamquam injecto vinculo, stringuntur, oriturque volvulus seu ileus, cujus symptomata iis similia sunt, quae a simili herniae incarceratae, strangulatae vitio fieri consueverunt.

Morbi formam descripsit Boerhaavius, *Aphor.*

960—963. » Nata, inquit, his locis inflammatio contrahit intestina, cavitatem claudit, transitum adpulsi impedit, fistulam loco obstructo altiorem ipsumque ventriculum immaniter inflat, extendit, dilacerat, inflammat; hinc dolorem acutissimum, ardentem, fixum creat perque omnem inflammatum locum extendit; convulsiones violentas, ubi appulsis irritatur, producit in diaphragmate et abdominalibus musculis; alvum claudit, vomitum excitat ingestorum et appulsorum citius tardiusve post assumptionem, prout superius vel profundius haesit; flatus dolentes; tormina cum borborygmis acutissima, ileum, volvulum, abscessum, gangraenam, scirrhum; cancrum; febrim acutissimam; debilitatem ex dolore acerbissimo summam, mortem citissimam producit. Quamdiu in gradu inflammatorio subsistit, doloris iliaci nomine imponit incautis, frigori, flatui, vento, periculoso successu adscribitur, calidis tractatur et carminantibus, eventu funestissimo. Cognoscitur autem facile pro vera inflammatione ex febre acuta continua comite, siti ingente, calore magno, pulsu duro, dolore igneo, urina flammea, debilitate subitanea. Si flexum coli occupat, facit colicum dictum dolorem, si recti intestini ultima infestat, tum pro haemorrhoidibus coecis haberi solet; solvitur dysenteria blanda, subcruenta, biliosa." Hactenus Boerhaavius in hac descriptione veteres, ut solet, imitatus auctores.

Huic non dispar est descriptio colicae biliosae a SYDENHAMO traditae, Opp. Sect. IV. Cap. 7. quae tamen inflammatio fuisse videtur impura. Hanc descriptionem Boerhavianam legentes crederetis facile, in ea dignoscenda non magnum fore errandi periculum. Perperam tamen ita crederetis. Nam, ne nuperos memorem, de quibus mox; probatissimus Vobis auctor est MORGAGNUS, qui post observationes commemoratas, in quibus deërant praecipua intestinorum inflammatorum signa: febris nimirum et dolor, haec subjunxit: quae cum ita sint, quando cum aliis inflammatorum intestinorum signis vehementem dolorem et acutam febrem in aegrotantibus deprehendis, jure quidem merito credes rei medicae auctoribus, haec duo inter praecipuas notas magnae intestinorum inflammationis ponentibus. Nec tamen siquando alterum vel utrumque horum aut abesse, aut vix esse invenies, continuo putabis aut nullam esse gangraenam, aut levem, neque gangraenam aut sphacelum in eorum esse intestinis non posse, in quibus duo illa processisse non videris. Optandum sane fuisset, ut medici, cum signa hujus inflammationis et consequentis ipsam gangraenae proposuerunt, hoc monitum non omitterent in morbo, qui per fallaciam ejusmodi, nec raro praeceps et repentinum affert exitium, Ep. 35. art. 21. Haec ut intelligatis, monendum est, hujus inflammationis et sedes differre et caussas et complures alias

conditiones. Ratione sedis, ea primo notanda est diversitas, qua vel tenue intestinum, vel crassum morbus tenet. Notarunt ipsam cum SAUVAGESIUS, tum SELLIUS; ille in *Nosologia Methodica*, hic in *Rudimentis Pyretologiae Methodicae*, qui alteram iliacam, colicam alteram dicentes, in iliaca dolores ad umbilicum percipi et vomitum concitari, in colica dolores abdominis latera occupare, lumborum esse gravitatem alvique adstrictionem, vomitum contra fere abesse, perhibent. In quam tamen distinctionem is, quem nuper laudavimus, MORGAGNUS animadvertit: non ita facile esse dolores internoscere utriusque intestini, nec abesse vomitum in coli inflammati ea parte, quae ventriculi fundum contingit; fallax quoque signum esse a sedibus ipsis utriusque intestini ductum. Nam interdum situ anomalo, interdum flatibus aliisve caussis coli flexus mutari, ita ut post mortem alia inflammationis sedes adparuerit, quam quidem antea ex signis fuerit creditum. Haec animadvertens ille praemonuerat tamen, sese non omnino improbare hanc divisionem. Ex signis igitur hujus inflammationis constantibus atque perpetuis *vomitus* expungendus est. Alvus porro, etsi ut plurimum adstricta et quidem pertinaciter adstricta sit, nonnumquam tamen, auctoribus MORGAGNO, TISSOTO, QUARINO, SYDENHAMO, aliis, laxa, immo fluxa deprehenditur; quodque hi aliquando, id recentiores saepissime deprehenderunt. An flatus dolentes,

tormina cum borborygmis acutissima, quae symptomata consignavit Aretaeus: ructus inanes, nihil proficientes, alvus flatibus perstrepens, qui ad podicem usque properant, sed ibi exitus intercluditur, quod variis prognosticis Hippocraticis damnatur, an hi igitur inter certas notas reponendi? Credant, qui nunquam viderint, similia a passione hypochondriaca, aut hysterica concitari mala. An convulsiones universales? An meteorismus? Verum neque isthaec aut omnem enteritidem, aut hanc unam comitantur symptomata. Itaque in iisdemque versamur rerum angustiis, in quibus versabamur, ubi de diagnosi gastritidis sermo fuit, ut nullum ex signis traditis perpetuum esse cogamur fateri. Quidni eam huic difficultati adferamus medelam, quam tum adhibuimus.

Quae a Boerhaavio traditur inflammationis intestinorum historia gravem enteritidem spectat illam, in qua serosa tunica inflammatione corripitur. In hanc cadunt (acutam volumus) dolor ventris acutus, ardens, fixus, vomitus ingestorum; alvo adstricta, flatus dolentes, tormina cum borborygmis saevissima, ileus, volvulus, febris acuta summaque ex doloris acerbitate oppressio virium, convulsiones universales, meteorismus seu tympanitis, mors citissima, aut quae ab aliis pathognomonica habentur signa: tensio abdominis, dolor tactum recusans; febris acuta, debilitas subitanea. Quae debilitas adparens, minime vera, pulsu parvo, contracto,

duro, artubus frigidis, marmoreis quandoque discernitur, ex quibus inflammationis saevitiam merito suspicamur, quod probe notandum, ne in diagnosi errorem admittamus aegro funestum, adhibitis, quod vulgo fit, carminantibus ad flatus nempe pellendos, qualem casum memoriae mandavit Swietenius l. l. pag. 169, qui vidit octava hora jam lethalem ileum, dum sex uncias spiritus levistici miser aeger hauserat; hinc multos perire subjiciens, qui forte servari potuissent. En exemplar inflammationis serosae intestinorum, quod ex Valsalvae chartis protulit Morgagnus." Vir gracilis annorum quinquaginta, ob plures in venationibus labores de magno ad guttur et pectus calore queri coepit. Hic eas deserens partes, se ad lumbos prodidit itemque in ventre, ubi pungente adjuncto dolore hominem adeo vexabat, ut ne tactum quidem ferret. Primis aegrum diebus frigidus rigor invadebat crebrius. Diebus autem quinque, aut sex ante mortem, volvulus accessit, cum faecum rejectione: qui sensim aegri vires atterendo ad interitum perduxit, circa trigesimum ab decubitu diem.

Venter plenus sanie inventus est totus, quae omentum et intestina inter se colligaverat. Erant haec valde inflammata, ut jecur quoque et lien, quem altius sane quam jecur inflammatio occupaverat. Ren sinister sub interna membrana, non omni tamen ex parte, effusum sanguinem continebat. In omento et limbo mesenterii, praesertim,

ubi cum intestino colo nectebatur, multi parvi abscessus et ulcuscula animadvertebantur.

» Cum primum abscessus fieri coepti sunt, sic rem interpretatus est MORGAGNUS, incommoda non ventrem modo, sed et lumbos, quo se mesenterium alligat, afficiebant. Ubi illis suppuratio accidit, crebri hanc indicabant frigidi rigores. Effusa autem sanies ulcuscula ibi reliquit, ventrem implevit. Cum mora acrior facta tunicas viscerum et intestinorum praesertim irritavit, omnium inflammationem concivit horumque praeterea motum invertit. Hinc volvulus." Hisce MORGAGNI in hunc casum commentariis addere oportet dolorem pungentem, serosae inflammatae signum, adfuisse.

Non possum, quin hoc loco citem consimilem casum ex PETRI FORESTI observationibus, Libr. 21. Obs. 11., quem si lubet, conferre poteritis. Utrum hujus loci est, quem sub nomine colicae biliosae descripsit SYDENHAMUS? Conveniunt quidem symptomata pleraque, verum minus conveniunt remedia, quae praedicat ille post venaesectionem eamque largam, brevi temporis interjecto spatio anodynum, tum catharticum idque valentius, si gravis dolor et vomituritio, commendans.

ALEXANDER TRALLIANUS primus rheumatismi intestinorum mentionem fuisse fertur. Etiam a Medicis Anglis ABERCROMBIO ac PEMBERTONO describitur, quorum hic inprimis triplicem intestinorum tunicam animadvertit, notans triplicem esse

exitum inflammationis: membranae serosae pseudomembranam, membranae mucosae ulcerationem, membranae musculosae gangraenam. Itaque in cadavere ulcerationem indicare mucosam intestinorum inflammatam, pseudomembranas peritonaeum, gangraenam tunicam muscularem (*): et hanc et membranam spuriam utramque phlogosin junctam: ubi serosa inflammatur, alvum naturalem esse, ubi obstructio, tunicam muscularem, ubi diarrhoea aut dysenteria pertinax, mucosam tunicam inflammatam esse: vel solum igitur peritonaeum laedi, non mutata actione musculari intestinorum, vel et serosam tunicam et tunicam musculosam, ubi symptomata peritonitidis cum alvi adstrictione: eumque morbum enteritidem dici; vel solam mucosam aegrotare, ubi alia longe symptomatum series: esse ubi una species in alteram transeat: peritonitis in enteritidem, vel diarrhoea gravis, aut dysenteria in peritonitidem; hinc morbi casus explicandos et petendas esse diagnoses. Haec cum exemplorum copia ostenderat, alias etiam non reticuit notas, quae fallere medicum possent, pari studio et certa ac perspicua signa proferens, et fallacia atque obscura denotans.

In alteram igitur, rheumaticam enteritidem, quam

(*) Nec tamen omnis gangraena huc pertinet: nam alia est mucosae tunicae, de qua deinceps; ut adeo haec sententia auctoris nimis generalis, restringenda paululum videatur.

secundo loco notamus, cadit ileus sive volvulus intestinorum tunicam musculosam occupans. Hoc nomine vocant intestinorum intussusceptionem, sive invaginationem, qua una pars intestini parte altera recipitur cujusque signa sunt dolores et tormina ventris atrocissima, alvus pertinaciter stricta, ne drasticis quidem movenda, vomitus omnium ingestorum atque contentorum canali cibario propter motum antiperistalticum continuum: brevi ea symptomata, quae herniis incarceratis propria sunt. Horrendam affectionem et hucusque omnium fere judicio funestam nuncupat Sydenhamus, ex intestinorum motu inverso atque praepostero originem ducentem, ita ut quaecunque in intestinis continentur, non versus alvum, sed ventriculum protrudantur et impetu facto ad os regurgitent atque enemata et cathartica evadant emetica, vomituriente ventriculo quasi choream ducente.

Nolite tamen putare, semper volvulum esse, ubi symptomata volvuli observantur. Nam interdum haec symptomata observarunt ex gravi sine volvulo inflammatione. Ejusmodi casus notavit Abercrombius. En priorem: Juvenis annos natus septemdecim a longo jam tempore crebros paroxysmos passus erat vomitus cum alvi duritie, quibus superatis et intermittentibus prospera fruebatur valetudine. Die 26 Julii A. 1822. vomuerat ac doluerat in dextro hypochondrio, alvo reserata. Vena secta levatus est duobus, qui sequebantur, diebus. Vespere

diei 29[i] rediit vomitus et abdominis dolor, pulsu naturae modum servante (in morbi principio febrilis fuerat) alvo tamen adstricta. Inde evomuit quaecunque sumpserat, renovato per vices abdominis dolore, nec soluta alvo. Mane diei 30[i], quo ipsum vidit auctor, facies erat cadaverosa, collapsa, frigebat corpus: pulsus perquam imbecillus, et saevus dolor abdominis, pressione auctus, urgebat vomitus, venter nihil reddebat. Hora quarta post meridiem obiit.

In reliquis casibus pariter membranae praeter naturam partes alligantes impediverant motum peristalticum, in ultimo colo flexura segmoidea singularem in modum contorta, morbum fecerat. Hoc ut difficile est cognitu ante mortem, sic in arte non tanti faciendum est, quandoquidem pari genere medicinae enteritis sive cum volvulo sit, sive sine eodem recte curabitur.

Vomitus stercoraceus, occlusa volvulo via ad anum, etiamsi haud ita creber sit, ac vulgo putatur, a nemine tamen temere negabitur, qui ea quae Morgagnus et Soemmeringius de hoc symptomate monuerunt, perpenderit. Quum tenuia saepius, quam crassa laedantur, ex hoc ipso in errorem rapiuntur homines, ita Morgagnus, cum e crassis ea redire existimant, quae redeunt e tenuibus. At enim e crassis usque intestinis provenire posse, demonstrant suppositoria et clysmata ab ileosis per os ejecta.

Verum ab altero etiam errore cavendum est, quo ex symptomatum magnitudine morbi magnitudinem metiri semper ac tuto posse credamus. Nullum enim est morbi genus tam in diagnosi, quam in prognosi magis fallax, quam hoc ipsum. Rem ostendit, haec, quam MORGAGNUS produxit, aegrotantis historia. *Epist. Anat. Med.* XXXV. artic. 14.

Adolescentulus vino et vini, quos vocant, spiritibus deditus non ita pridem, cum febre laboraret intermittente, ventris dolore correptus fuerat, quem flatus per inferiora emissi sustulerunt. Verum post dies aliquot rediit dolor, quem cum domi tollere non posset; die tandem a reditu doloris sexta exceptus est in nosocomium Bononiense S. Mariae de Vita. Erat dolor in hypogastrio assiduus, sed levis, nisi quod subinde increscebat, et tunc saepe venter ibi magis intumescebat, et si manus admoveres, plures ibi duros quasi globulos percipiebas. Sed cito haec evanescebant omnia, donec iterum per intervalla redirent. Stomachus quoque condolebat et jam alimenta vomitu rejiciebat cuncta, non modo medicamenta, in his opium ipsum. Itaque cum alvus nisi per clysmata non responderet, institutum est, simul id curare, simul medelae aliquid et nutrimenti per clysteres immittere ex jure et mollientibus herbis paratos, nullo tamen doloris levamine, ut ne antea quidem, cum per injectum non semel oleum e lini seminibus expressum recrementa educerentur. Inutiles quoque ex eodem

oleo aliisve abdominis inunctiones fuerant. Levius aeger in lectulo sedens, quam cubans, dolorem ferebat: quamobrem vel cum dormiret, sedebat. Melius quoque habebat et facilius capiebat somnum inani stomacho, quam si quid forte retinuisset: quae res et quarundam aliarum, quae saepius significant vermes, notarum absentia faciebat, ne a lumbricis dolor esse existimaretur, tametsi unum teretem longiorem nudius tertius ore ejecisset. Postremo quaedam ex alimentis coepit retinere, atque adeo prandium quoque. Genae rubebant, quod ipse ex defluxione in faciem esse ajebat, cui videlicet erat obnoxius. Sitiebat. Abdomen universum distentum erat. Quinto jam die, ex quo in nosocomio esse coeperat, allocutus sum, ut solebam circa horam XVI, bruma enim instabat A. 1703. Meliuscule se habere dixit idque confirmabat vultus et sermonis alacritas et firmior, ut in sedente, corporis vigor; nam pulsus neque unquam habuerant, neque tunc habebant, quod displiceret: febris certe nulla tunc erat, neque unquam toto eo tempore, quo in nosocomio fuit, a quoquam, nisi forte semel, potuit animadverti. Cum haec ita essent, quis tunc crederet, quantum monstri aleret? Attamen duae vix erant horae, ex quo sic ego et caeteri qui invisebant studiosi juvenes et viri observaveramus, cum repente prae doloris acerbitate clamare coepit idque assidue ad nonam usque noctis horam. Vomuit interea et ad vesperam jam

pulsus sibi non amplius percipi admonuit; nec revera ab iis, qui aderant, percepti sunt. Ubi ea, quam dixi, hora fuit, continere se non posse ait, quin e lectulo ad alvum exonerandam descenderet. Dum exonerat, animo linquitur sicque intra semihoram moritur.

Cadaver postridie dum lavant, magna vis ex ore effluit quasi sanguinis putridi, stercore fluido diluti, tabacci colore et gravissime olentis. Itaque abdomen factum est in hypogastrio nonnihil flaccidum et quanquam in epigastrio quod livebat, caeterisque partibus durum esset adhuc atque distentum, minus tamen erat, quam in vivo. Ubi cultro ventum est ad ventris cavum illico exsiliens prorupit multus humor, ejus persimilis, qui ex ore effluxerat; sic autem prorupit, ut illi ipsi, qui secabat, non modo nobis, qui aderamus, dubium fuerit, an ex ventris cavo exstiterit, in quod antea esset effusus, an ex intestino distento ideoque simul cum peritonaeo facile convulnerato. Mox certe cum abdomen diductum est, eo humore plenus adparuit venter. Tenuia autem intestina omnia tam atra, quam carbo est. Eodemque sphacelo lien quoque, saltem ex parte, vitiatus erat. Ventriculus tamen quantum extrinsecus judicari potuit, sanus fuit et quidquid pariter de crassis intestinis ab extremo ileo ad sinistrum usque hypochondrium pertinet: cetera enim inquirere prohibuit incredibilis odoris foeditas, eo etiam major, quod per incuriam et fes-

tinationem perforato intestino aucta interea proluvies fuerat, quacum teres mediocris lumbricus prodierat.

Hic profecto casus quantae sint hujus morbi fallaciae, ostendit. Quem cum ALBERTINO VALSALVAEQUE mirabundus narraret MORGAGNUS, continuo uterque confirmavit non absimilia sibi occurrisse, nec semel. Quo tempore, sic pergit ille, cum mihi inculcaret ALBERTINUS, vigilandum et cavendum esse in doloribus intestinorum; se enim post leves dolores, aut certe cum minime magnis, nulla manifesta febre, nulla convulsione, nullo vomitu, animo ac corpore satis vigentibus, de improviso vidisse aegros in praeceps ruere et cito eripi ab latente inflammatione et sphacelo nec opinato intestinorum: cum haec, inquam, mihi inculcaret, quaesivi ex perattento illo medico observatore, quibus igitur e signis proximum intelligere periculum et praenunciare saltem possemus. Ille vero ex pulsu inquit, abdomine, facie. Pulsus enim debilis et humilis potius et qui, si bene attendas, sibi subobscure dissimilis sit; abdomen autem tensum et durum et cum dolore quodam; facies denique insoliti aliquid, sed in aliis aliud ostendens, ut interdum oculos quasi exterrefactos, alias livorem quendam circum labra, animadverterim; haec inquit fere (nam aliquando linguam etiam adnotavi haud bene se habentem et quandam sitim) mihi accidit, ut in ejusmodi casibus se observanda prae-

buerint. Sic ille ingenue, ut solebat, quae requirebam, signa, indicabat.

Pariter Swietenius: saluberrimum, inquit, in praxi medica monitum posuit Simsonus, ne decipiantur medici, credentes, nullam inflammationem adesse, si febris absit. Cum saepe fixos dolores intestinorum et ventriculi inflammatio producat, licet nulla febris observetur, pulsu explorato. Neque dolorem talem esse, qualis a medicis traditur, Morgagnus addit, immo potius ab aegris describi quasi canes morderent, neque assiduos esse vomitus aut alvi adstrictionem, immo hanc subinde laxam fuisse, sitim quoque in plurimis frustra perquiri. Quibus omnibus perlectis intelligitis, neque a Celeb. Broussais solo, neque hac nostra demum aetate de vulgaribus aut vulgo propositis intestinorum inflammatorum indiciis dubitari coepisse.

Atque sic sponte ad eam enteritidis speciem describendam accedimus, quae ut internam intestinorum tunicam mucosam offendit, ita minus manifestas habere notas solet. Haec ea est, quam recentiores, potissimum Galliae medici numerosis observationibus illustrarunt et a qua omnium paene febrium originem repetunt. Quorum etsi laudem diligentiam, quominus tamen credam nostrorum demum temporum hoc inventum esse, plura sunt in scriptis medicorum loca, quae vetant. Audite quaeso, Anno 1702 de hac febrium caussa praecipientem Baglivium: vulgus medicorum et vulgus

hominum eas vocat malignas febres, quae variis gravissimisque stipantur symptomatibus ruuntque in deterius. Hoc imaginarium malignitatis nomen imperitia medicorum peperit, petulantia vulgus fovet. Credit enim ignarum vulgus quoscunque rapit febris perimitque a malignitate illius semper perire: credunt id plures etiam in medicis. Non nego dari aliquando febres nonnullas productas ab humore veluti venenifero, sed tam frequentes esse ac fere innumerabiles, ut vulgus ac medici somniant, constanter nego. Quae nobis videntur malignae a viscerum phlegmone aut erysipelatode fiunt, id est a caussa evidente et manifesta: unde ergo ista malignitas? Legite Spigelium, quem citat Hoffmannus, ventriculi tunicam interiorem leviori erysipelate inflammatam in semitertiana febre notantem aliaque cum aliis observantem aliarum partium, omenti, mesenterii, caet. inflammatarum vestigia. Consulite inprimis Fredericum Hoffmannum, Opp. Tom. II. Sect. II. Cap. 12. de inflammatoria febre intestinali disserentem haecque subjungentem: qui in dextro hypochondrio sub costis spuriis urget doloris sensus, praeter naturam affectum et *inflammatum esse coli principium, ubi ileo committitur*, arguit, quod etiam Spigelius in defunctis reperit sphacelatum. Perpendite denique praeclaram Virorum Celeberrimorum Roederer et Wagler de *Morbo Mucoso* Monographiam, quam ita

accuratam esse, animadvertit GENDRINUS, vir doctissimus et peritissimus anatomes pathologicae cultor, ut ei ab hac parte nihil prorsus deesse videatur eamque habeat descriptionis subtilem diligentiam, quae, hoc quod vivimus tempore, in cadaverum historiis anatomicis a rei peritis lectoribus jure merito postulatur. Quae cum ita sint, in hac enteritidis specie describenda horum virorum verbis utamur.

» Uberior quidem in cunctis folliculis muci secretio in hoc morbo observatur, quae vero in canalem alimentarem, debiliorem videlicet, ex variis caussis et magis irritabilem, prae reliquis, congeritur. Hinc non solum ventriculi et intestinorum tenuium imprimis obvestit magna vis muci viscidi, spissi, tenacis, aegre abstergendi, sed sub his etiam conspiciuntur folliculi muco stagnante pleni, innumeri, disseminati, in totidem capitula elevati." Haec inflammatio folliculorum intestinalium, quae interdum tam levis est, ut magis congestio sit vocanda, a recentioribus, nomine improprio, dothienenteritis (*) ab aliis melius *enteritis folliculosa* dicitur quumque in febribus typhoideis, sive nervosis constanter fere, praesertim in ileo intestino, in vicinia coeci inque hoc ipso conspici soleat, ha-

(*) Cf. quae in hanc vocem animadvertit Cl. KUHN in Edit. *Lexic. Med.* STEPH. BLANCARDI.

rum febrium caussa habetur, aliis neque immerito hac de re dubitantibus, tum quod non semper, tum quod non in ratione febris, tum denique, quod etiam sine eadem, aut ipsi denique febri superstes iste folliculorum intestinalium morbus animadvertitur.

Etenim sanioris logices praeceptis minime consentaneum est, talem existimare morbi caussam, quae morbo praesente abesse, morbo ablato superesse possit, neque si adsit, morbi ipsius magnitudini congruat: ita ut meliori forsitan jure comparari possit hic morbus folliculosus, cum cutis efflorescentiis in febribus conspicuis quidem, nec tamen febres concitantibus. Verum de hisce plenius disserendi tum erit locus, ubi ad febres explicandas erit perventum. Id tantum hoc loco indicasse sufficiat, non defuisse in hisce casibus adparatus gastrici laesi notas: anorexiam, dyspepsiam et praesertim alvum liquidam, quibus febres nervosae cum hac complicatione ab aliis sine eadem discerneremus, nec defuisse etiam aliorum viscerum tum cordis, tum lienis praecipue laesiones, ut credideris a sanguine vitiato sive ex miasmate, sive ex contagio, sive ex quovis principio heterogeneo suscepto, tam febres, quam viscerum laesiones, tanquam ex communi quodam fonte, esse repetendas eamque conjecturam historiis aegrotantium ab auctoribus ipsis scripto consigna-

tis riteque explicatis censueris confirmatam (*).

Inflammatio mucosae intestinalis si acuta sit, cum dolore esse et febre consuevit, quibus accedunt symptomata dyspepsiae, raro tamen vomitus, crebro contra diarrhoea, quae communis adeo, ut fere symptoma pathognomonicum dixerim, quamvis ipsa varia sit nunc gravis, nunc levior, faeculenta interdum, aut aquosa, saepius vero mucosa, subcruenta, purulenta, alia, ubi alia morbi sedes, qui cum coli inferiora et rectum occupat, ea sub specie cernitur, quae dysenteria dicitur, cujus symptomata sunt alvus parca, cruenta, frequens, cum dolore et tenesmo. Utramque post PINELLIUM pluribus aegrotantium historiis illustrarunt auctor Francicus BROUSSAIS et Anglicus ABERCROMBIE. Diarrhoeae et dysenteriae antiquiorum rei medicae scriptorum ut plurimum sunt morbi complicati, epidemici, catarrhales, gastrici intestinorum, a miasmate saepius originem ducentes, cumque variis febrium generibus conjuncti, quibus tamen vel vera, vel spuria subest canalis cibarii phlogosis atque non eadem semper tum sanguinis crasis, tum vasorum nervorumque conditio.

Ad hanc speciem illustrandam unam alteramve

(*) Haec scripseram, quum legens Obss. Med. Angli ABERCROMBIE eadem ab hoc viro disputata iisdemque rationibus impugnatam video hanc sententiam, id quod sana ratio quemvis docere potuit.

ex his auctoribus afferam aegrotantis historiam. Miles juvenis, corpore satis robusto, temperie sanguinea, patitur dysenteriam, quam designant alvus cruenta cum tenesmo perpetuo et cui se junxerat febris acuta, cum anorexia. Curatione emolliente diaetetica cum convalescere videretur, errores in victu exacerbationes et recrudescentiam gravem symptomatum ipsamque tandem mortem attulerunt cum signis hydropis cutanei et abdominalis. In cadavere serum sub cute et serosis, quarum textus integer. Glandulae meseraicae, in vicinia coeci potissimum, durae, tuberculosae. Coecum ipsum omneque crassum inflammatum, fungosum, ulceratum, ad rectum accedendo gangraenosum. Huic Broussaissii (l. l. II. Obs. XII.) observationi alteram subjungam Joannis Abercrombie, in quo non crassum, sed ileum fuit inflammatum et ulceratum, facta ulceris perforatione indeque provocata peritonaei phlogosi. Mulier annos nata 38, postquam ante septimanam aegrotaverat ex febre, anorexia, frequenti diarrhoea gravique abdominis dolore, die 19 Junii A. 1819., atroci corripitur dolore ventris primo inferioris, tum universi, qui dolor continuavit die sequenti, incrudescens tactu et inspiratione; accessit vomitus: pulsus 130 ictuum. Sanguinem detrahere conantur. Nec tamen nisi parca ejus copia effluxit, brevique post decreverunt pulsus et calor corporis cum quadam alvi dejectione. Die 21, quo primum ipsam invisebat

auctor, dolor semper gravis tenebat: urgebat vomitus, singultus, non exonerata erat alvus: arteriarum erat pulsus 140. Moritur post meridiem. Corpus mortuae obtulit vestigia inflammationis, exsudationem scil. multam et gangraenam ad inferiorem locum intestini tenuis. Hujus mucosa inflammata, ulcerata, variis locis. Ad inferiorem ilei partem ulcus reliquis majus, in cujus centro parvum foramen in ventris cavum hians, ad cujus faciem externam hoc loco cernebatur color profundus, obscurior, lividus.

Quae nomine pustularum in membranis villosis, mucosis descripta sunt exanthemata, folliculorum inflammatio sunt. In villosis una cum folliculis villos quoque inflammari, GENDRINUS auctor est. Ad cryptas sive folliculos pariter pertinent aphthae, quae efflorescentiae non tantum in villosis, sed etiam in mucosa pulmonali interdum inveniuntur. Hujus exanthematis mucosi egregia exstat descriptio medici Batavi KETELAER, quam in Commentariis ad magni BOERHAAVII Aphorismos secutus est ejus discipulus SWIETENIUS. Locus perdignus est, quem legatis. Inter recentiores eas interpretati sunt BILLARD, CRUVEILHIER, ANDRAL et complures alii in scriptis ad anatomen practicam pertinentibus. Crebro adparent in morbis tum gastricis, tum catarrhalibus, ubi laesa cutis functio est, magnamque habent cum exanthemate miliari affinitatem. Sunt parva, rotunda, superficiaria ulcuscula os, fauces, oesophagum, in-

testina occupantia, iterum et repetitis vicibus repullulantia interdum quorumque sedes est in folliculis mucosis phlegmasia affectis. Verum operae pretium est, praecipua historiae aphtharum loca colligere.

In locis humidis, depressis, autumno calido, humido potissimum visuntur. Abest interdum omnis febris: ut plurimum tamen praecedunt febres praecipue illae, quae cum diarrhoea, aut dysenteria incipiunt, sudoribus raris et parcis.

Erupturas praesagiunt nausea, vomitus, anorexia, anxietas ingens circa praecordia, virium languor, stupor, hebetudo, somnolentia, singultus.

Post eruptionem, ubi pacantur symptomata, cessat aut multum remittit febris, ipsaeque aphthae adparent discretae, sparsae, albae, superficiariae, citoque decidunt (epithelium enim frustulatim solvi et secerni et separari solet) et loca, in quibus haeserint, pura, rubra, humida cernuntur, spes est, non renasci. Sin vero sicca haec loca et glabra, novae exspectandae sunt, aut viribus integris expellendae, aut fractis viribus aegrum oppressurae. Fit ista separatio et recrudescentia repetitis vicibus, interdum aut sexies, aut septies, imo saepius. Quodsi multo tempore interposito fiat, sciendum est, crisin fuisse imperfectam, morbumque fore diuturnum et dubium.

Quis non perspicit aphtharum et inflammationis folliculosae analogiam, quam recentiorum firmavit industria, nec tamen, quod novimus, ad interpre-

tandam enteritidem folliculosam adhibuisse videtur. Aphthae si nihil aliud sint, nisi folliculi, sive cryptae mucosae inflammatae et ulceratae, quae inflammatio ab alio morbo: catarrhali, gastrico, miasmatico, epidemico, aut contagioso interdum provocatur, cur exanthema illud internum aliam habere originem, aut naturam crederemus. Cur, ubi ventriculum, aut oesophagum occupent aphthae, ipsas febris caussam non dicimus, cum ileum teneat aut coecum hanc morbi caussam, febrim vero symptoma habemus. An credamus, omnem morbi naturam mutatam esse, quam primum mutaverit locum et versus ileum migraverit? Poterit forsitan accuratior morbi aphthosi contemplatio multa enteritidis folliculosae problemata illustrare, sive aetiologiam ipsius, seu therapeiam spectemus; qua de re in explicandis febribus plenius dicendi erit et locus et tempus. Nunc ad enteritidem revertamur.

Praeter folliculorum phlogosin, alia est cum hac conjuncta varietas, quae pseudomembranosa dicitur, quorsum pertinet illa infantum neonatorum, quam ab aphthosa distinxit Billard, licet cum ea confundatur ut plurimum, quaeque Gallis dicitur *Muguet*, ei similis, quae ex laryngitide et tracheïtide infantum nascitur. Non latuit haec analogia Morgagnum, quemadmodum haec ejus verba indicant: ut enim aliquando in utero et intestinis ex viscidis corpusculis in unum compactis fiunt polyposae concretiones, cur non etiam in aspera arteria?

Ecce casum ejusmodi (GENDRIN Tom. II. l. l. Obs. 94) Mulier 26. annorum, praegnans, febre intermittente corripitur; deinde partum enixa est feliciter. Verum decimo a partu die dysenteriam patitur, leviorem primo, dein post alteros dies decem ingravescentem, ita ut ex ea defuncta sit die tricesimo quarto. Colon et pars recti pseudomembrana tecta, sub qua rubebat villosa leviterque tumebat. Hic illic maculae violaceae a sanguine villosam imbuente. Pseudomembrana alibi fortiter adhaerens, alibi molliter fereque sejuncta, alibi interposito muco puriformi secreta, alibi tenuissima, ut transluceret membrana supposita. Alios casus legere poteritis in praeclaris Epistolis MORGAGNI, praecipue in Ep. 31.

Et mihi obtigit, sunt verba MORGAGNI, calendis Juniis A. 1729, ut ob consimilem casum enixe rogarer, ut Hebraeum Mercatorem Jacobum del Vecchio consilio juvarem meo. Huic in febris malignae declinatione dolor ad rectum intestinum molestissimus obortus erat, cum ponderis et impedimenti sensu: et denique cum sanguine exire nuper ex ano inceperat, quam inde pendentem conspexi, crassa quaedam, ut videbatur, membrana, ad sex digitos transversos longa, pollice latior, colore ex cinereo livida, ut gangraena tentatae membranae solent: neque excidebat tamen, quippe intra intestinum continuata eique annexa, quantum animadvertere chirurgus poterat, lenissi-

me explorans; nam etsi ab ejus exitu dolor factus erat mitior, sanguis tamen subinde prodibat, febris autem ea hora major erat, quam mane fuerat. Itaque iis, quae visa sunt convenire, cum seniore aegri medico tunc constitutis, discessi. Hic autem insecutis diebus certiorem me fecit, excidisse membranam per sphincteris potius constrictionem, ut videbatur, abruptam, quam integram: sanguinem iterum et pravum ichorem exiisse; singultum, qui omnes perterreret, accessisse: sibi tamen aliquam propterea spem superesse, quod meminisset aegri patrem, cui jam grandaevo, similis, sed brevior membrana e podice excederat, se medente evasisse, cum hoc quidem, ut recrementa continere postea non potuerit: hunc autem filium, etsi in parente neque maligna febris praecesserat, neque singultus accesserat, annum tamen vix agere quadragesimum quintum. Nec spes fefellit probabilem illum medicum, cognomento Marina, quocum iterum statutis iis, quae, ut res tunc se habebant, ad priora addi possent, factum est, ut pure dejecto, nec pauco, aegrum extra lectum viderim, pridie nonas Julias, jam vires et corporis habitum coloremque manifesto reparantem, nec faeces modo, sed et ea, quae injiciebantur, retinentem. Dolor quidem aliquis tum erat, sed is plane levior, neque in ea ipsa sede amplius, in qua antea fuerat molestissimus. Itaque hic etiam, ut aeger Tulpii atque alii, quos brevitatis gratia sciens praetereo,

sanatus est, atque adeo sanus adhuc vivebat, cum hanc historiam e scripto dictarem, sub finem A. 1747." Haec MORGAGNUS; qui quoniam TULPIUM nostrum citat, hujus etiam casum proferam.

Helmerus Christianus excruciatus impense ab acribus intestinorum torminibus dysentericis, sensit ex fervida illa bile adeo exulcerari sibi intestina, ut intra octidui curriculum excreverit infra integram illam tunicam, quae intestinum rectum intus obvelat. Propellebatur autem illa non confestim in pelvim, sed adhaerescens firmiter podici, nequiit inde convenienter separari ante exactum biduum. Quod insolitum pendulae tunicae spectaculum perterruit usque adeo familiares, ut vererentur, ne utique prociderent et reliqua intestina. Sed re accuratius perpensa, ereximus perperam prostratos et convocatis in auxilium ob affectus magnitudinem pluribus medicis, decrevimus communi consilio, primum auferre abrasam intestini tunicam, deinde praeter quotidianam aquae multae infusionem lacera intestina frequenter abluere clystere sequente, cujus ope etiam ex toto tandem convaluit: ℞ Hbar. veronic. agrimon. centaur. min. scordii singular. manip. med. mercurial. parietar. singular. pugillum. Decoquantur ex aqua plantaginis et vino rubro et adm. dein colat. unc. VI. succi apii palustr. mellis mercurial. singul. unciam. myrrhae, aloes pulver. singul. drachmam m. f. Clyst. Has veras fuisse intestini tunicas, quae TULPII

erat et veterum opinio, negat et recte quidem MORGAGNUS (*).

Transit Enteritis in mortem, alios morbos, sanitatem. Quando peracutus est morbi decursus, tribus, aut ut plurimum septem diebus definitur. Subitanea interdum fit rerum mutatio, atque prostratis aegri viribus, convulsionibus apoplecticis obortis cordisque deliquiis derepente moritur: quod mortis genus a nervorum paralysi iis, quorum acutior sensus est, imminere nonnulli perhibent. Ita ARETAEUS, multos vi torminum perire docet, quibus ita viventibus ipsamque mortem expetentibus mori beatum est. Aliorum, gangraena facta, deletur vita. Illud, quod cito interdum et inopinato contingit, factum denotant: doloris prompta et absque caussa cessatio, facies cadaverosa, extrema frigida, livida, sudores topici, pulsus miserabilis, intermittens, mens serena, aut delirans leviter: subinde aphonia, singultus, quae brevi mors sequitur, nisi, quod raro fit, pars intestini strangulata et sphacelata per anum secedat, aut extus facto abscessu, anus alter vicarius creetur. Hujus spontaneae sanationis rationem in herniis, more suo, explicuit ANT. SCARPA, praeclarus naturae interpres.

Hunc exitum rarum esse, contendit medicus ex-

(*) In ileo aut hernia incarcerata intestini partem fuisse expulsam observationibus probatur. Cf. VOIGTEL *Handb. der Path. Anat.* II. B. s. 538 u. folgg.

pericntissimus Baillie cavendumque esse monet, ne gangraenosa habeantur intestina, quae sanguine obruta et repletissima, aut facta ejusdem ecchymosi, obscure colorata sunt et characteres anatomicos recenset, quibus gangraena vera discernitur. Contrariam opinionem tuetur tamen peritissimus harum rerum judex Gendrinus l. l. Tom. I. pag. 715. eique suffragatur experientia (*). Escharae et circum eas partes liquescentes et tetricum odorem spargentes et lividae, en gangraenae in cadavere indicia maxime certa! Denique tenendum est, inflammationes impuras, erysipelaceas universe crebriores longe intestina invadere, quam puras, iisque hunc exitum per gangraenam esse peculiarem et prompte et inopinato evenientem. Id cum usus docuit, intelligitis, cur medici seniores et prudentiores, ut ab hac aetate rerumque usu exspectaveritis, cur hi tam cauti sint in praedictionibus eorum dolorum, quos colicos adpellare solemus.

Alter transitus, quem memoravimus, suppuratio est, in quo doloris sine crisi remissio, reliquis abdominis aegri signis subsistentibus, febris mitior, horripilatio atque pressionis cujusdam sensatio.

Hic exitus praecipue in crasso exspectandus, aut ilei fine. Fontes purulentos satis magnos reper-

---

(*) Cum hisce conferatis, quae supra circa sententiam Abercrombii nimis generalem animadvertimus.

tos esse inter parietes intestinorum aut in mesenterio vicino eosque ut plurimum in canalem cibarium patere, animadvertit GENDRINUS. Ulcera autem fieri tribus modis: ex phlegmasia acuta, in ipsa tunica villosa, muco puriformi tecta, vix profunda: ex enteritide folliculosa, facto abscessu parvo, haec profundiora; denique majori plaga ulcerata (pag. 693.) qua plures et cryptae et villi continentur ab iisque metuendam esse intestini perforationem, eodem auctore docemur.

Ulcerum intestinalium et perforationum historias plures apud auctores recentiores CRUVEILHIERIUM, ANDRALLIUM, ABERCROMBIUM, ALBERSIUM notatas reperietis, quae quoniam ad enteritides chronicas non minus, quam ad acutas pertinent, agite, has etiam investigemus. Notandum tamen, ulceribus factis, vel vas quoddam majus exulcerari, unde haemorrhagia intestinalis, brevi lethalis, vel pus evacuari per intestina factaque diarrhoea purulenta, ex phthisi abdominali perire aegrum, vel per alias vias egredi, per renes, ventriculum, vesicam: haec diarrhoea urinalis; vel effundi in abdominis cavum: hic ascites purulentus; vel extus ejici per fistulam stercoraceam, aut ad umbilicum, aut ad inguina.

Est inflammatio quaedam intestinorum lenta, chronica, quae difficulter admodum dignoscitur, in quam aliquando acuta enteritis transit cujusque indicia sunt: dolor obscurus in quadam ab-

dominis parte, fixus, aut attactu, tussi, risu, sternutatione aliave corporis commotione sese manifestans, molestus quidam ventris sensus, sub digestionis opere auctus, cum alvo sive dura, seu nimis fluxa, ventre duro, tumido, aut retracto, artubus quandoque frigidis, pulsu parvo, debili, febricula vespertina, genis rubentibus, urinae excernendae difficultas, nausea, interdum vomitus. Haec symptomata per annos integros afflixisse aegrotantes, observatum est.

Aliquando obscura sunt adeo, ut ex intestinis laborare quidem aegros cognoscamus, verum, quo tandem morbo, quam gravi, neque ex sympathicis, neque ex idiopathicis laesionibus, nisi divinatione quadam, assequi liceat. Inflammatis tenuibus, post PINELLIUM, alvum strictam esse, quae laxa est inflammatis crassis, animadvertit BROUSSAISSIUS, illamque, tenuium scilicet phlogosin, saepius indolentem esse, quam dolorosam, subjunxit.

Prima observatio Broussaissiana hujus loci, inflammationum abdominalium ordine 10ª (pag. 517 sqq.) est militis tympanistae, cui ex tertiana febre duos menses laboranti, ad quam nullo remedio usus est, alvus fluere coepit. Quarto fere valetudinis mense, quo in nosocomium Udinense receptus est, marasmo, alvo quinquies aut sexies quotidie exonerata, nulla febre, sed doloribus colicis magnaque aegritudine afflictus primae officinae valetudinem manifestavit, ad quam curandam usus est fa-

rinaceis gummosis, tum alimentis, tum medicamentis, eo quidem eventu, ut brevi et bis tantum, aut ter alvum deponeret et ab omni dolore esset liber ac cute explicatiore et coloratiore vultu convalescentem medicus crederet; unde auctus victus, nec ita diu post recrudescens et fluxus et dolor novaque macies et imbecillitas. Ad pristinum medicinae et cibi genus factus est recursus; sed frustra: lentum virium decrementum fit, die ab ingressu in nosocomium quadragesimo secundo vomere alimenta coepit et anxius esse et accelerari pulsus et incalescere cutis, indicio phlogosin invasisse stomachum. Datae sunt potiones acidulae et oleosae (?) brevi cessavit febris, sed ad eum marasmi gradum perductus est, ut sceletum dixeris. Cutis petechiis et vibicibus tincta idemque color albi oculorum: aeger ex hilari, qui fuerat, tristis, taciturnus factus est, biduo ante mortem deliravit, vigente adpetitu, quem explere perrexit; vivere desiit tandem, ut senex decrepitus.

Cadaveris summe emaciati, atrophici intestina adeo erant contracta, ut ubivis ferme mutuus esset mucosae contactus. Ventriculi membrana rubra, crassa ad pylorum humore griseo oblinita: caeterum intestinorum mucosa usque ad anum sicca, rubra, coloris ligni campechiani, ut intestinorum cavea contineretur fere nihil.

In observatione altera non alia observabantur

symptomata, praeterquam quod oculi dextri (*) visum periisse querebatur aeger, licet ab altero nihil differret; pulsus frequens, celer, cute non calida, appetitus bonus, nullus dolor, alvus paullo et frequentior et liquidior, quae postea primum dysenterica graviterque diarrhoeica facta est: apositia, nausea, sensus plenitudinis, decrescentibus pulsu, calore, viribus, debilis, hydropicus defecit, d. morbi 55°. Mucosa ventriculi, tenuium inflammata, coli nigra, sphacelata, ulcerata, a caeco ad finem.

In tertia inflammatio erat ex acuta chronica facta, propter pravum vitae regimen. In quarta alvo dysenterica, cum epistaxi et pulmonum phlogosi; crassa inflammata, sphacelata.

Morgagnus Ep. 31. *de alvi profluviis cruentis et incruentis*, diarrhoeam commemorat ex inflammatione et ulceratione mucosae intestinalis. Adolescens, cui toto vitae spatio vel cum egregie valeret, lubrica alvus fuerat, ad vigesimum accedebat annum, cum in tormina et crebras sanguinis dejectiones, i. e. in dysenteriam incidit. Haec post 12 aut 15 dies in flavam diarrhoeam, sine torminibus mutata est: quae cum remediorum ope nonnihil remissa videretur, febris tertiana simplex accessit, quae intra mensem finiebatur. Dejectione persistente, improviso acuta fe-

---

(*) Serum in ventriculo cerebri sinistro laterali fuit.

bre correptus est, quae manifestas accessiones habebat. Pulsus erant frequentes, celeres, molles, parvi, debiles. His se addidit mentis stupor, non levis surditas, peculiaris quaedam intumescentia anterioris sinistrae partis thoracis. Ita obiit, circa diem ab acuti morbi initio 14um, quo morbi tempore, qualia essent, quae dejiceret, assidentes non adnotarunt.

Venter etsi nullo modo tumere videbatur, tamen multum continebat saniosi ichoris, qui ex intestinis prodibat, pluribus in locis ad quendam tractum perforatis. Is tractus ilei finem et proximum insuper colon, ad duarum palmarum longitudinem comprehendebat. Erant ibi haec intestina erosa, exulcerata et facie interiore etiam gangraena affecta, ut facilius perforari potuisse intelligeres. Prope hunc tractum nonnullae mesenterii glandulae excreverant in tumorem, in quo ichor non absimilis ejus, qui in ventris cavum eruperat: ipsa autem tumoris substantia mollis ac flaccida erat et ad corruptionem inclinare videbatur. Lien triplo major, quam secundum naturam. Thoracis cutis et musculi, qua intumescentia erat, cum secarentur, multum seri emittebant. Caeterum pulmones sani. Intra pericardium serum aquae simile, in qua caro recens lota est. Cor si tangeres, molle adeo et laxum inveniebas, ut non musculosum, sed membraneum videretur. In ejus ventriculis sanguis fluidus atque

ita spumosus, ut agitatum tonsorum lixivium referret. Sed et omnes venae tantam concludebant aëris copiam; ut tametsi paucum sanguinem continerent, valde tamen essent turgidae. Intra cranium paululum seri inventum est: cerebrum ipsum nullum usquam laesionis ostendit indicium.

Ulcerum initia in plexibus glandularum Peyerianis tum Brunnerus, tum ipse Peyerus recte posuit. Intestinorum ulceratorum exempla plurima profert Abercrombius. In aliis ulcera parva, numerosa, in aliis unica at magna ulceratio; membrana in aliis durior et crassior, cartilaginea, in aliis tincta parvis maculis nigris, et quemadmodum symptomata in plerisque ejusmodi erant, quae abdominis aegritudinem indicabant subphlogisticam: diarrhoea, anorexia, dyspepsia, macies, febris hectica, caet., nonnunquam tamen adeo erant obscura, ut inopinato ex haemorrhagia intestinali, aut inflammatione peritonaei aegrotantes tollerentur e medio, tunc inprimis ubi aut duo, aut unum tantummodo, nec magnum ulcus, sive vas quoddam sanguiferum eroserit, seu perforaverit intestinum. Tunc vel leviorem febrim, aut non gravem valetudinem haemorrhagiae sequebantur ex alvo repetitae animique deliquia, vel abdominis tensio, dolor, tympanites, dyspnoea, virium lapsus et mors cita.

Vix opus est, ut moneam, ejusmodi infortunia neque medico, neque arti esse imputanda. Nam

quae pustula levis in cute morbi nomine vix digna est, interanea ubi occupet, propter solam sedem in morbum gravem, lethalem evadere poterit. Sed forsitan ex me quaerent nonnulli, utrum non possit interdum praevideri a medico prudenti ac familiari ejusmodi casus. Respondeo, posse quidem, potissimum si vitae regimen, aegri valetudinem, morbos praegressos spectemus. Vitae regimen aut lautum, aut pravum, multumque varium, aegri valetudo infirma, mutabilis, praesertim imbecilliore stomacho, alvo aut stricta aut laxa, vultu pallidiore sibique dissimili, cute crebro exanthemate foeda, neque sano nitore splendente, ventris aut aegritudo, aut dolor, aut teneritudo quaedam; morbi praecedentes gastrici, crebri, aut longiores, habitus aut scrofulosus, aut phthisicus, ac crebra denique tussis gastrica, horum igitur si aut aliqua, aut plura observetis, scire oportet, magnam esse ad ventris affectiones tum acutas manifestas, tum chronicas occultas easque fere phlogisticas opportunitatem; quam nisi tollere, at mitigare saltem, aut emendare cauto prudentique victus vitaeque regimine licebit.

Plures aliae leguntur observationes complicationum phlogoseos intestinorum, cum aliis morbis acutis febrilibus, in quibus alvus liquida, saepius dysenterica, dolores jam leves, jam graves colici, cum tenesmo, motu febrili jam nullo, jam manifesto, accedente macie, nec raro hydrope,

Ex omnibus vero signis maxime constans erat diarrhoea cum atrophia. Cum his consentit observatio celeberrimi ABERCROMBII, diarrhoeam rebellem jam perpetuam, jam cum alvi adstrictione alternamtem, summam maciem, singularem cutis pallorem, appetitum varium, cum dyspepsia et aegritudine abdominis a cibo et vomitum ab adstringentibus, aut opiatis motum atque abdominis aut dolores, aut tormina inter morbi symptomata numerantis. Sequens casus huc pertinet. (est ipsius obs. 99.). Vir nobilis quinquagenarius, a multis annis alvum fluxam habens praesertim noctu, tandem diarrhoeam experitur pertinacem. Sequitur pallor, macies, anorexia, dyspepsia, mors ab inanitione. Hepar magnum, pallidum, tuberculosum. Intestinorum mucosa partim obscure fungosa, rubra, praesertim in tenui, reliqua mucosa interposita sana, sine ulcere, integra.

Quoad characteres anatomicos inflammationis chronicae villosae notandum est, augeri secretionem muci, rubere membranam, tumescere folliculos, deinde vero evanescere, si nova accedat eaque acuta inflammatio, sanguine, aut sero cruento imbui textum membranae induratum et villosam emolliri. Fiunt subinde vegetationes ad superficiem cryptarum muciparum, rubrae, inaequales, rugosae propter graviorem, aut acutiorem phlogosin ex venulis parvis replicatis. Tandem sciendum, ramulos vasculosos voluminosos injectosque

superesse, qui ramuli ad nullum truncum pertinere videntur: quo charactere a congestione passiva discernitur. In villosis primo injectio capilliformis conspicitur, tum striae, maculae tandem; color rubro-fuscus, aut lividus est, aut griseus, ubi maxime chronica; membrana ipsa extenuatur; si lenta admodum, color albidus fit ipsaque membrana dura, rugosa. Inflammationum chronicarum villosae et quidem plurium annorum exempla protulit GENDRINUS l. l. pag. 669 sqq. Ulcera phagadaenica villosae saepenumero perforationes intestinorum faciunt; quod tamen saepe praecavetur adhaesionibus cum aliis intestini partibus, per peritonaeum; quibus factis aliquando ulceratio invadit parenchyma alius visceris: ventriculi, diaphragmatis, hepatis, caet. (pag. 701). Ulcerationis majoris loca exstantia, protuberantia (*plaques en reliëf*) proveniunt ab inflammatis radiculis venae portarum. Eas sequi solet inflammatio et ulceratio glandularum mesentericarum, propter pus absorbtum, per ipsas illas venae portarum radiculas, unde transfertur humor per venas ad mesenterii glandulas. (GENDRIN l. l. pag. 707). Quae morbis malignis succedunt ulcerationes gangraenosae in villosa intestinali GENDRINO similis habentur originis ac gangraena nosocomialis (pag. 718.)

Praesagia enteritidis, quam cauta esse debeant, quis non intelligit, qui morbi historiam, fata, infortunia cognoverit.

Acuta, quae septimanae spatio terminatur, et manifesta magis symptomata et decursum habet certum atque perspicuam aut periculi, aut salutis significationem. Et haec tamen brevi neque opinato vel dolorum atrocitate vim nerveam sufflaminare, vel phlogoseos vehementia gangraenam inferre, vel ex diaetae errore recrudescere animadvertitur. Quanto magis fallax praesensio erit, ubi impura, aut chronica fuerit plurium annorum, clam proserpens, aut vitam obscure exhauriens, aut facto impetu opprimens. Quapropter tam diu bene sperare non licet, quamdiu vel leve supererit vitium digestionis, neque symptomatum aut remissioni, aut intermissioni fidendum, nisi temporis profectu firmatae, diuque victus ratio prudens servanda aegro, ne laboriosae curationis fructus omnis aut medici indulgentia, aut licentia aegrotantis pereat.

Inflammationum intestinalium therapeutice naturalis exponenda est, priusquam artis auxilia exponamus, ad veterum imitationem, qui naturae res gestas diligenter enarrare solebant. Quemadmodum noxia ventriculus vomitu, sic diarrhoea intestina expellunt, quae non tantum natae enteritidi medetur, sed nascentem etiam tollit, quam in morbo peracuto die tertio, aut quarto, in longiori die decimo octavo factam viderunt medici. Morbos ex plethora abdominali provenientes aut curari, aut mitigari diarrhoea, docent ejus in podagricis, ar-

thriticis, melancholicis beneficia, a multis merito praedicata. Enteritide afflictos tum praecipue levasse dicitur, quum biliosa haec fuerit et cum colluvie gastrica juncta, aut ab ea suscitata. Diarrhoea critica accurate a symptomatica discernenda est eaque notanda et memoriae imprimenda signa, quae diligens observatio naturae docuit, tum ad ventrem ipsum, tum ad urinas, tum ad pulsum pertinentia. Ventris σημεία notavit HIPPOCRATES.

Solvi visa est enteritis biliosa die 3°, aut 4°, alvi fluxu spontaneo, aut sudoribus copiosis (*) in morbo peracuto; in longiori vero die 18° diarrhoea vehementissimis doloribus comitata prorupit (†). BOERHAAVIO (Aph. 963.) intestini recti inflammatio solvi dicitur dysenteria blanda, subcruenta, mucosa: quod etiam haemorrhoidum fluxu factum legitur. Ita JO. PET. FRANK, *Epit.* Tom. II. p. 257, quamvis, inquit, enteritidis feliciter abactae historiae saepe colicam magis ac spasmodicam hujus canalis affectionem, quam veram intestinorum inflammationem referre videantur, certum tamen est, hanc ipsam sub recta methodo non tam raro aliarum adinstar per resolutionem terminari: quae tum largo et satis aequali sudore, ac urina sedimentum puriforme, lateritium deponente; tum

---

(*) De KIRCKHOFF *Obss. Medic.* Ed. II. pag. 153.

(†) ELLERUS *Obss. de cogn. et cur. Morbis* pag. 257 sqq.

blanda diarrhoea vel puriformem iterum, vel subcruentam biliosamque materiem excernente, manifestatur.

Crassorum intestinorum inflammatio tenuium illa forte minus timenda, per haemorrhoidum fluxum solvitur felicius. Sudorum evacuatione sola vix sanabitur, nisi et critica accedat diarrhoea et urina critica, cum morbi remissione ac levamine constanti. Rem docet obs. 35. ANDRALLII, in qua sanguinis per hirudines detractionem secutus est sudor copiosus nocturnus et remissio manifesta, matutina: sed undecimo abhinc die exacerbatio facta est ac post varios casus lethalem eventum morbus habuit. Aliquando cum sudore benigno plurimas erupisse pustulas rubras, prurientes ac saepe molestissime urentes, per totum fere corpus, quibus erumpentibus et dolorem rheumaticum et colicum se mox subduxisse in morbo colico epidemio Damnoniorum, animadvertit HUXHAMUS: interdum icterum hanc colicam pro tempore solvisse, quo recedente, mox rediisse dolores, in uno tamen et altero casu verum, permanentem icterum hunc morbum absolvisse prorsus, manente tantum quadam artuum molestia, tametsi dolores colici rheumaticos saepe praecederent: frequenter etiam artus primum adortum esse morbum, dein metastasi facta, stomachum et intestina, imo in cauponis robusti exemplo primo paralysin artuum superiorum factam, paulo post vo-

mitum ventrisque dolores consecutos esse, tandem etiam membra paralytica angorem rheumaticum torsisse, refert. Repetit autem hanc colicam ex pomorum uberrimo proventu et abusu, tum vini vel musti et cerevisiae ex pomis paratae (*).

Requirit hic morbus inflammatorius adparatum antiphlogisticum strictum. Opus est larga, repetita sanguinis missione, ad vires morbique magnitudinem adcommodata, ex qua tempestive facta ad animi deliquium usque, in morbo peracuto, in quo occasio praeceps, aegrotantis salus pendet. Audiatis Aretaeum, hac de re medicos omnis aetatis praecipientem. » Si causam ilei inflammationem esse invenerit medicus, venam in cubito magna sectione aperiat, quo ilico atque ubertim sanguis inflammationis alimentum, vel ad animi deliquium usque profundat." Sic enim vel dolorem levari monet, vel sensu ad tempus privari aegrum, ut a tanto cruciatu respiret aliquantisper ac reficiatur.

Praesertim opus est clysmatibus demulcentibus, oleosis, saepius quovis die repetitis, nec tamen largis nimium, ex furfurum decocto, aut althaea cum melle, oleo lini, similibusque. Ano constricto, mollissima unguenta, vel balneum vaporis commendant Swietenius et Quarinus. Quae vulgo adhibentur cataplasmata, seu epithemata, in morbo

(*) Opp. Tom. III. pag. 54 sqq.

gravissimo non feruntur; quaeque laudantur a Pringlio vesicatoria abdomini imponenda, aut ab aliis linimenta volatilia, solis inflammationibus spuriis, rheumaticis idonea, in vera enteritide, internum, quod extinguere deberent, augebunt incendium.

A repetenda venaesectione caveatis, ne vos abducat fallax debilitatis significatio, frigus corporis, status nervosi signa, pulsuum parvitas: haec enim saeviente immaniter dolore ipsam iterare jubent, qua facta emergentes pulsus, redeuntes turgor et calor vitalis et color in vultu, disparentia nervorum generis symptomata, non exhaustas fuisse, verum oppressas vitae vires, manifestabunt. Praestabit in omni casu, praesente medico manumque carpo admovente, sanguinem detrahi.

Universales sanguinis detractiones sequuntur topicae per hirudines, aut cucurbitas. De quo genere curationis monendum est, primo minus recte a medicis Gallis universali praeponi topicas depletiones, tum adeo numerosas ad quinquaginta et ultra hirudines, ut mos fert, abdomen vulneribus irritare, adeo, ut quod boni facere potuisset depletio, id malo, quod faciet irritatio, abunde compensetur. Cui conjecturae eo major vis accedit, quo certior et arctior est cutis atque villosae intestinorum tunicae sympatheia, quam vel traumaticae ipsorum ex cute vulnerata crebro suscitatae phlogoses testantur.

Quodsi topicae per hirudines fiunt depletiones, rectius eas, praecipiente STOLLIO, ano adplicare curabitis, quam adplicandi rationem etiam ab ANDRALLIO in multis casibus enteritidis mucosae video adhibitam, qui ipsam in ea magis proficuam esse censet, quam venaesectiones, quibus eam tolli posse negat. Is ut methodum medendi optimam in hoc morbo cognitam faciat, siquidem multum diversam medici et probant et sequuntur, sanatorum et mortuorum ex singulis methodis numerum in tabula adscriptum comparavit. Ea scilicet vivimus tempora, quibus Arithmetica colitur tanquam Dea fatidica, cujus oracula consulunt, sicubi problemata in scientiis solvenda sunt.

Nec tantum in physicis, verum in physiologicis quoque disciplinis mos ille percrebuit. Novimus morbos specie similes dispari methodo curari a medicis inque eo, de quo sermo est, valetudinis genere laudari sanguinem deplentia, ab aliis purgantia, ab aliis sedantia, ab aliis tonica. Jam ut efficiatur, quae tandem optima curatio, numerant aegros, quibus profuit singulum genus medicinae, atque inito calculo quidnam reliquis anteponendum sit, demonstrant. Habet haec arithmetica ratio, quo sese commendare videtur ingeniis numerorum amicis. Nimirum et commoda est, et certis formulis adstricta et minime subtilitatibus dialecticis impedita. Verum si rem accurate perpendamus, quam ni-

hil sit illud intelligemus, quod cognitionis summam putabamus. Etenim quot quantaeque sunt conditiones, quae faciunt, quominus unum enteritidis casum alteri prorsus similem judicemus: aegrotantis habitus, aetas, temperies, idiosyncrasia, anni tempestas, regio, vitae genus, morbi indoles naturaque vel simplex, vel complicata, magnitudo, gradus, stadia et complures aliae, quae nisi prorsus conveniant, ex disparium rerum numero vitiosus calculus habebitur. Idcirco talis ratio mihi magis ad empiricen rudem, ad opinionem, ad scepticismum denique, quam ad veri cognitionem ducere videtur. Nec minus pertimesco in rebus medicis recentiorum scepticismum, quam dogmatismum antiquiorum medicorum, et quemadmodum Academia vetus ab utraque ratione abhorrebat, sic hujus potius ad exemplar, eam ineamus viam, quae observatione, comparatione et analogismo utitur, caute discernentes singulos casus a singulis et similes cum similibus comparantes omnibusque adhibentes judicium criticum.

Id si constanter teneamus, intelligemus, non calculo definiri aut comprehendi medicinam, sed consilio, neque ab arithmetice oracula petenda esse, sed ab ea, quae ut est, ita dicitur, therapeutice universali. Itaque in vera, peracuta illa veterum enteritide, ubi et serosa et musculosa intestinorum tunica laeditur, unica salutis spes in larga et re-

petita venae sectione est posita. Haec et febrim mitigabit et phlogosin tollet et dolores leniet et alvum solvet et servabit aegrum, dummodo tempestive et audacter adhibeatur: quaeque sub hoc remedio principe militant tum interna, tum externa auxilia, ex una antiphlogisticorum, diluentium, demulcentium classe petenda erunt. Sanguine detracto refraenatoque morbi impetu, epithematibus, clysmatibus, decoctis potionibusque emollientibus, tepidis, humectantibus locus erit et calidis semicupiis, quibus a mucosa ad cutim avocantur humores et purgationibus eccoproticis. Quodsi serosa aut sola, aut praecipue inflammata sit, corpore abunde depleto membranarum spuriarum genesis turbabitur, aut inhibebitur saltem antiplastica virtute hydrargyri, cujus in peritonitide praesertim puerperali, laudibus meritis efficacitas celebratur.

Caeterum medicamina interna sint oportet demulcentia, mucilaginea: decocta althaeae, consolidae, infusa malvae, verbasci, emulsa seminum refrigerantium, amygdalarum dulcium, similia, omnibus acrioribus: acidis, salinis, purgantibus sepositis. Ex omni purgantium classe nil ferunt sensilia intestina, inflammatione correpta praeter oleosa, aut mannam, aut mel. Salia quaecunque et nitrosa propter stimulum obsunt. Etenim pertinax alvi adstrictio ab ipsa inflammatione nascitur ideoque venae sectio et methodus antiphlogistica hic

unica sunt purgantia remedia: nam quo acriora dederis drastica, eo strictiorem facies et duriorem alvum et universe morbi soluti indicium optimum dabit alvus soluta.

Hoc loco medicorum Anglicorum notandus error est, qui ipsis catharticis: sale Ebshamensi, aloëticis, similibusque perperam utuntur. Isthaec enim in enteritide vera convenient neutiquam. Et quemadmodum medici Francici hirudinibus abutuntur, Angli catharticis, sic Germaniae medici opiatis et nervinis. Nam opiata, quamdiu subest vel levissima inflammationis verae suspicio, valdopere nocebunt. Quare non audiendi sunt recentiores, qui cum Frankio et Richtero in enteritide, aut peritonitide linimenta volatilia, opiata, camphorata commendant. An igitur nunquam opio utendum est? An nullo pretio habenda Sydenhami aliorumque principum medicorum vox est, uno ore opium in ileo, colica, dysenteria laudantium? An summi illi practici laudarent remedium, cujus salubritatem usu non haberent comprobatam? Ego quidem ejusmodi quid nequaquam adfirmabo. Quid igitur? Omnibus doloribus intestinorum spasmus subest isque crebro vel inflammationem mentitur cruciatuum atrocitate, vel inflammationi se jungit. Tunc opiata profuisse et profectura esse largior facile, quae tamen nonnisi omni inflammationis metu sublato, ac praemissa

in morbo composito larga sanguinis evacuatione, propinari tuto poterunt. Locus dolens, impatiens tactus, dolor ipse fixus magis et continuus, non variabilis aut mutabilis, numquam intermittens plane, febris acuta similiaque inflammationem loquuntur.

Verum dignus est, quem hoc loco consulamus probatissimus de opii usu medico auctor BALTHAS. LUDOV. TRALLES, medicus cruditissimus simul et prudentissimus.

» Is, animadvertendum est, inquit, non saltem spasmum et dolorem inflammationem intestinorum natam comitari et sequi, sed et spasmum et dolorem inflammationem eorum fere semper praecedere, id quod, omnibus possibilibus inflammationis intestinorum caussis solertissime examinatis, liquido constat. Ubi igitur dolor in corpore praecedit inflammationem et ejus caussam constituit, ibi opium aliis antispasticis et fibras relaxantibus remediis irritis vel insufficientibus, egregium est remedium; secus ubi res aliter se habet, tum enim vere nocet." Et paulo infra: quam idoneum, si rite adhibeantur, locum in intestinorum inflammatione et quod bene notari velim, non imminente, sed adeo jam actu praesente, opiata habeant, suffragio suo ponderoso hercle monstrat Illustr. BOERHAAVIUS, dum aliis indicatissimis remediis a se traditis opiata disertis verbis addi cupit, quae ta-

men omnino prudenter usurpari vult iisque praecipue jungi, quae caussae singulari cognitae adversa sunt. » Neque igitur omittenda esse antiphlogistica praecipit, id docuisse SWIETENIUM, prius venae sectionem et clysmata infundenda suadentem, cum alioquin contingere posset, ut per opiata sopito doloris sensu inflammatio destruerit, gangraena nata, partem affectam; quod certe non facile fiet, si medicus uni opio non fidat unquam, sed semper inter ejus et post ejus usum inflammationem ipsam omnibus antiphlogisticis impugnare non intermittat. Ubi autem conclamatum jam de aegro est viribusque omnibus exhaustis pulsuque jam debili et intermittente ac subitanea doloris acerbissimi abolitione, sine bona caussa gangraena imminet et mors instat, non amplius indicatur opium, sed abstinere ab eo praestat, cum in eo rerum statu, HOFFMANNO et SWIETENIO monitoribus, non sine magna medici infamia adhiberetur. Tanto judicio opus est pro recto ejus usu in inflammatoriis intestinorum affectibus adornando."

Circa usum opii in ileo probatissimos auctores ab omni aevo hoc remedii genus commendasse, ipsis testimoniis allatis, ostendit TRALLESIUS idque non tantum vomitum compescere, verum etiam, spasmo soluto, alvum reserare, quod nisi fiat leniori carthartico superaddito effici. Minus vero eorum methodo favet, qui simul cum opio catharticum praebent, cui tamen, quo minus hac in re adsen-

tiar, vetat experientia, qua hujus connubii usum saluberrimum didici, ubi vel gastricae, vel rheumaticae indolis morbus fuerit, quo primum sudores motos vidi, adinstar remedii Doveriani, tum alvum solutam. Hoc fine Ol. Ricini, in aliis Rhei infusum cum laudano adhibui.

Crebro etiam alternis vicibus opiata et leniora purgantia praescribuntur, ita ut convulsione ventriculi per opium sedata, ea quae alvum solvunt ingerantur: quo etiam stratagemate practico usus est Stollius.

Nec tamen adeo facile est cognitu, quando opiatis utendum, quando ab iis abstinendum sit. Nempe consilio hic opus est, quo solo res magnae bene geruntur. Illud autem tenendum est, quamdiu vigeat in corpore inflammatio, antiphlogistica convenire et tunc demum suum esse opiatis locum, ubi corporis habitus satis fuerit relaxatus, ubi deferbuerit phlogosis et spasmus solvendus sit, quem depletiones et reliquus adparatus antiphlogisticus solvere, aut superare non potuerunt.

Aquae gelidae usum laudant alii, de quo eadem monenda sunt. Nimirum in doloribus colicis interdum prospero eventu actu frigida, aqua gelida, nix, glacies fuere adhibita, quae in herniis quoque, dolores colicos provocantibus, utilia fuisse leguntur. Haec autem actu frigida, quemadmodum virtute sua adstringente agunt, sic juvant potissimum, ubi propter faeces congestas et propter

intestinorum laxitatem sive debilitatem atonicam non rite eliminatis faecibus, viae sint interceptae atque ilei symptomata incidant, quoniam aucto intestinorum tono eorumque motu peristaltico concitato propelluntur et excluduntur faeces. Nocent vero haec actu frigida in vera, acuta, vigente intestinorum phlogosi.

Factis intestinorum ulceribus eadem curatio respondet, quam in ulceribus ventriculi exposuimus: per alimenta levia, eupepta, euchyma, praesertim lacticinia. Adversantur contra valentioris materiae cibi, qui robusta viscera poscunt et multas faeces creant.

Gangraenam factam declarant: pulsus minimus, intermittens, sudores topici frigidique capitis, cervicis, facies, quae dicitur Hippocratica, artus frigidi, doloris absentia, faeces cadaverosae, quae dummodo possit, oppugnanda erit cortice Peruviano. Quam fallax saepe sit morbi ratio, pluribus aegrotantium historiis ostendit Abercrombie p. 191 seq. ut interdum sit doloris cessatio, prostratio virium, pulsuum imbecillitas et corporis frigus, aut sudor frigidus, facies pallida, collapsa et tamen cardiacis sat prompta sanatio obtenta, quapropter nunquam aegri prorsus relinquendi sunt.

Prognosis gangraenae factae pessima, neque faustior profecto, sicubi natus fuerit scirrhus, quem nisi praecavere prudenti subantiphlogistica methodo per topicas depletiones, cautum mercurii usum

potuerimus, lenissimis tantum medicinis: extracto graminis, taraxaci, sapone medicato ovique vitello tentare tutius erit. In hoc casu digestio esse solet tardissima et pertinax alvi adstrictio. Nam acrioribus irritatus in carcinoma mutabitur: quo facto demulcentia e lacte parata, aut carnium teneriorum juscula ovique vitella et his similia enemata miseram sustentabunt vitam iisque interposita anodyna, opiata levem inducent brevemque summorum malorum oblivionem.

Coli stricturas scirrhosas notavit ABERCROMBIE tum arcus coli, tum flexurae sigmoideae: in priori observatione contracti intestini tumores observabantur fungosi; in alia adspectus erat tuberculosus; in casu ultimo cartilaginea durities. Exstat etiam observatio viae per membranam spuriam interceptae. Verum perspicitis, quam impar prorsus ars sit talibus vitiis aut tollendis, aut emendandis.

Plures casus, scirrhi symptomata obferentes, sunt intestinorum inter se per pseudomembranas concretorum. Stricturae praesertim in crasso, tum colo, tum recto animadversae sunt. Scirrhi, qui crassorum magis, quam tenuium esse reperiuntur, loco circumscripto esse solent. Hos ut plurimum esse hypertrophiam tunicarum intestinalium, auctor est ANDRAL, tum aliarum: mucosae, musculosae, tum praecipue cellulosae submucosae, tum denique plurium simul, vitiosa nutritione, mutatarum.

Harum autem singularum diagnosis ut ardua res est, sic curatio difficilis. Id eo magis dolendum, quoniam jure posset dubitari, nonne subinde mercurius dulcis, cicuta similiaque medicamina aut cohibentia nutritionem, aut incitantia absorbtionem cum aliqua spe successus possent adhiberi.

Superest, ut quaedam de aphtharum curatione moneamus, quam bene expositam legimus a SWIETENIO in *Comment. ad Aphor.* BOERH. 990 sqq. En hujus curationis summam! Initio juvabit potus multus, diluens, calidus: emulsiones amygdalarum, decoctum althaeae, infusum malvae, decoctum sarsaparillae, chinae, caet. Deglutitione impedita, fomenta, balnea ex lacte duplici aquae quantitate diluto, quibus nunc pedes, nunc manus immerguntur et enemata similia sunt adhibenda. Cibus sit liquidus, tenuis, ex hordei, panis decocto, cum aliqua vini sive rhenani, sive albi, sive hispanici parte, majori, minori, pro aegri viribus et impetu febrili: quibus tamen male aromata adjecit KETELAER. Vitanda etiam quaevis adstringentia, aphthas repellentia. Aphtharum decidentia, quae dicitur, promovenda: fomento, gargarismate, clysmate laxante, emolliente: decocto hordei, raparum, jusculo carnis vitulinae cum oryza et rapis contrito, levi salviae infuso, cum vino dulci pro gargarisatione, infuso malvae, verbasci, cum ovorum vitellis ac melle rosaceo, cataplasmate faucibus admoto, emolliente, clysmate ex decocto fur-

furum cum melle, decocto althaeae cum manna. Aphthis deciduis opus est medicina demulcente, anodyna, ex solutione saleb cum syrupo papaveris albi, emulsione amygdalina cum eodem et mucilagine g. arab., decocto albo SYDENH., jure carnium teneriorum, absque sale, cum panis decocto.

Quemadmodum duplex est malorum genus ab aphthis, quorum primum oritur a superficie primarum viarum ipsis obtecta, alterum, post aphthas deciduas, a cruda et dolente superficie, nimiam humorum copiam demittente; priori medentur ea, quae ad promovendam aphtharum separationem (decidentiam vocant) supra laudata sunt, alteri tum quae emolliunt et leniunt dolores: mucilaginea cum anodynis, tum, ubi dolor minui incepit, adjuncta hisce subadstringentia: mel rosarum, pauxillum catechu, ut nimius praecaveatur leni adstrictione humorum effluxus. Caeterum animadvertendum est ex observatorum nostrorum sententia, tunc inprimis aphthas fieri, quum aut calida nimis adhibentur remedia, aut adstringentibus datis alvique purgatione neglecta morbi fomes retinetur, primisque viis in morbi principio alvi purgatione evacuatis, saepe feliciter hoc exanthema praecaveri. Crisin factam esse testantur: febris sedata, urina hypostatica, pulsus arteriarum liberior.

An malo fugato, purgante aphtharum reliquiae expellendae sint, uti auctoribus antiquioribus pla-

cuit, utique dubitandum est et post morbum inflammatorium magis ad morbi reversionem suscitandam, quam ad convalescentiae curationem perficiendam ejusmodi catharsis apta videtur. Tutius foret, leni per clysma emolliens alvi lotione uti, siquidem tali remedio opus fuerit. Singultus ab aphthis internis in morbi principio periculi signum, post aphthas lapsas raro perniciosus est, auctore gravissimo SYDENHAMO, soloque mollissimo victu sanandus. Malam vero crisin indicant, una cum aphthis, deliria animadversa et jactatio et pervigilium et sudor frigidus.

Ex iis, quae de hoc morbo disputavimus, intelligitis A. A.! quam pravo consilio in doloribus ventris alvique torpore aut stomachica dentur et carminantia, aut purgantia acriora: quod in ipsis observavi tenellis, quoties venter dolere videatur, toties a matribus, nutricibus, aut obstetricantibus per calida remedia externa, interna male curatis: cur ab intempestive exhibito vomitorio aut hyperemesis, aut hypercatharsis, aut convulsio funesta; cur eclampsia infantum doloribus colicis superveniens fotu potuque emolliente et balneo sanetur, remediis contra purgantibus calidisque exasperetur. toties et alia plura saluberrima BOERHAAVII monita, quae posteritatis memoriae mandavit.

INFLAMMATIO MUCOSAE HEPATICO-CYSTICAE.

Rarior est haec inflammatio, sive ipsius cystidis bilis, sive ductuum. Exempla illius tamen proferunt MAX. STOLL, BAILLIE, GENDRIN.

STOLLII observatio legitur *Rat. Med.* Tom. III. pag. 334., mihi pag. 380 sqq.

Vir 62 annos natus, operarius et ut hoc hominum genus solet, paululum vinosus, elapso anno febre continua corripiebatur, brevi postea in tertianam conversa; qua post quatuordecim septimanas sanata, sanus degebat hucusque.

Ante 14 dies inhorruit incaluitque per vices incertas. Propinatum a chirurgo remedium est, quod multam per os et per alvum saburram eduxit, cum quodam levamine. Manebat tamen ab eo tempore ponderis in epigastrio sensus, appetitus dejectus et ventriculi regio dura. Tussicula pauxillum muci educens; hypogastrium molle; facies atque oculi per hos quatuordecim dies flavo colore tincti: vomitiones frequentes, spontaneae ingestorum.

Die 18[a] in nosocomium susceptus est, strigosus et carnibus absumtis: alvo morosa, bile tamen colorata. Febris nulla.

Die 9ͭ Decembris vesperi moritur, cum jam mane extrema frigerent et arteriarum ictus levissime adhuc micantes at apposito digito evanidi observarentur. Mentis et sermonis facultas integra ad ultimum usque vitae momentum fuit. Cranium resectum exhibuit duram matrem icterico colore tinctam: cerebri cortex obscurioris paulo coloris ac alias solet, exterior vero ejusdem substantia multo durior: caeterum nihil exhibuit vitiosi. Parum aquae inter utramque meningem fuit atque in utroque laterali ventriculo, in dextro plus, quam in sinistro: hic plexum choroideum parvis hydatidibus obsitum monstravit: plexus vero uterque multum rubebat. Vertebralis utraque, ubi intra calvariam emergit, laminis osseis, quasi insulis, interstincta, quin et ossea ex toto paucarum linearum spatio fuit: dextra tamen magis, quam sinistra. Pulmones hinc inde granulis albis durisque interspersis ferme toti incipiente phlegmone tentari, duriores, rubicundiores magisque, quam sanorum pulmo solet, ponderosi fuere. Levioribus hic inde nexibus cum pleura et diaphragmate cohaesere.

Aperto abdomine, ventriculus ingens in conspectum prodiit, cujus posterior facies longe lateque ex inflammatione, totam ipsius substantiam penetrante rubebat; qua is in pylorum desinit, hepati firmissimo crassique membranaceo vinculo nectebatur. Hepar magnum multumque infra costas prominens et per regionem epigastricam protensum,

colorem ex toto ictericum exhibuit. Vesicula fellea inflammata, intus puris albi, sed solito consistentioris unciam, aut paullo plus, at vero bilis nihil continuit, ductus ex hac vesicula prognatus ex toto coaluit, cohaerentibus inter se ejus parietibus idque ibi arctissime omnium, quo is a vesicula nasci incipit. Canalis socius, quem hepaticum appellant ita dilatatus inveniebatur, ut crassiorem viri pollicem facile admitteret, latis aeque canalibus quasi totidem radicibus hepar subiens. Bilis ibi profunde flava et ductilis continebatur. At vero latus hic ductus mox in perangustum canaliculum, ductum scilicet choledochum duros et sex fere lineas crassos parietes habentem terminabatur. Duodenum quo loco canalem hunc susceperat, crassius multo duriusque fuit.

Baillie arbitratur horum ductuum concretionem ab inflammatione fieri, propter irritationem ex calculis concitatam atque subjungit, hujus inflammationis symptomata nulla certa esse ac fortasse cum iis hepatitidis membranaceae consentire.

Gendrin alterum casum notavit, in quo canalis cysticus symphysi coaluerat ex inflammatione duodeni, quae sese usque ad bilis vias extenderat (I. pag. 552.) alterum huic similem in puerpera, in qua phlogosis ex duodeno in ductum choledochum et per hunc usque ad initium canalis cystici pertinuerat: duos alios, in quibus membrana interna viarum bilis erat inflammata, usque ad ca-

nalis hepatici initium, ductu cystico integro: in altero horum canalis hepaticus erat obliteratus; prope initium ductus cystici; in altero erat obliteratio ad hujus tantum orificium. Interdum inflammatio per omnes canales biliferos extendebatur. Symptomata febris biliosae symptomatibus adeo consentiunt, eodem auctore, ut rectius ab hac phlogosi, quam a gastro-enteritide febres biliosas explicari posse ab iis crediderit, qui ad topicos morbos febres revocare student.

Ab hac caussa icterum nasci observatio 85. ostendit, in qua peripneumonia cum ictero calido conjungebatur.

Vir mediae aetatis patiebatur dolorem acutum lateris sinistri cum tussi et expectoratione sputorum sanguini mixtorum; alae narium flavescebant; vomuerat bilem viridem. Sensus doloris et ponderis in epigastrio. Abdomen molle. Urinae lateritiae, alvus liquida, biliosa. Sequebatur vomitus bilis porraceae: vespere delirium. Lingua sicca, cutis ardens, facies vultuosa, inde livida, jactatio, spiratio molesta, pulsus parvus inaequalis, deglutitio difficilis, mors.

Membrana gastro-duodenalis et viarum bilis inflammata, hepate sano. Inflammatio pleurae, pulmonisque sinistri lateris et arachnoideae cadaveris sectione detecta est.

Ultimo loco quaestionem proponit auctor, annon viarum hepaticarum phlogosis saepius sit deutero-

pathica, similiter atque canalis cibarii (pag. 560.) ad quam quaestionem affirmative respondendum videtur.

DE HEPATITIDE.

Hepatitis, sive hepatis inflammatio morbus est regionum calidarum. In nostris terris acuta et primaria raro cernitur: crebrius vero chronica, secundaria, quae medicos alius valetudinis specie fallit, sive dyspepsiae, sive infarctus, sive febris biliosae, errore interdum difficulter vitando, siquidem tam occulte ac clanculum istae hepatitides chronicae subrepunt, ut nulla fere sui praebeant indicia. Hepar ex eorum viscerum numero est, quae morborum atriis non proxima sunt, verum ab iis aliquantulum remota. Itaque a duabus partibus maxime periculum imminet: ab interiore, cui mucosa reliquarum mucosarum suppar praetenditur, ab exteriore, quam serosa tegit, peritonaei propago, pleurae atque arachnoideae passionum etiam similitudine cognata.

Quae a serosa incipit et externa jecoris facie, pleuritidis similior; quae a mucosa ejusque parenchyma tenet, gastricae affectionis specie induta est.

Summi pretii est, non decipi: quare eam primo spectemus morbi formam, quae germana maxime

atque nativa, qualem Indiae medici conspexerunt. Prostat de hoc morbo liber singularis a medico Brittanno Andrea Murray anno 1779 Gottingae editus. Is cum in India Orientali aliquamdiu esset moratus morbumque saepius observasset, ipsum cum inflammationibus similibus, pleuritide inprimis, contulit eoque auctore hepatitidi sequentia symptomata tribuuntur: dolor lateris dextri sub costis spuriis, saepe pungens, saepius autem obtusus et ad jugulum, nec non summum humerum adscendens. Decubitus in latus sinistrum semper difficilis, et presso hypochondrio dextro, dolor ad humerum etiam auctus, cum tensione, tumore plerumque et ponderis sensu; tussis sicca, aut quemadmodum Aretaeus recte monet, tussiendi tantum cupiditas, vel si ea forte expleatur, nihil humoris secum trahens; cibi fastidium atque cibo sumpto praecordiorum angustia, cum anxietate spirandique molestia aucta; nausea, vomitus, dejectiones crebrae, parvae, biliosae, singultus, color in facie subfuscus, luridus, plumbeus, nonnumquam flavescens, ut in morbo regio. Haec symptomata differre, prouti differt morbi sedes, hortatur. Nam si inflammatio superficiem hepatis convexam occupet, dolorem lateris et ad claviculam acutissimum fore, praesertim ubi inter inspirandum diaphragma movetur: hinc spiritum magis laboriosum ac difficilem fieri et claviculae veluti deorsum tractae sensum effici, pulsum etiam tangi durum, fre-

quentem, tensionem insignem esse et duritiem et inflationem circa jecoris regionem tantam interdum, ut tactum recuset. Dolorem ad summum humerum adsurgere, presso hypochondrio increscere ac molestiorem fieri, si in sinistrum latus aeger decumbere conatur. Linguam tandem aridam et exustam esse et calorem corporis et quaevis symptomata, quae in pleuritide saeviunt, urgere maxime. Sin vero inflammatio concavam jecoris partem afficiat, dolorem mitiorem et magis obtusum sentiri, nec diaphragmatis motu increscere: aegrum etiam in oppositum latus sine insigni molestia corpus inclinare posse, verum sitim inexplebilem, cibi fastidium, nauseam vomitumque biliosum magnopere aegros vexare: quin etiam praecordiorum anxietatem summumque languorem aegrotantes premere. Praeterea hypochondrii tensionem, colorem faciei ictericum et singultum inanem et a cibo sumpto dyspnoeam majorem observari: denique labentibus aegri viribus, animi deliquia accedere pedumque oedemata.

Plures deinceps et nuper etiam morbos Indiae descripserunt. Eminet inter ipsos Jacobus Annesley, qui in opere splendido non tantum complures hepatitidis casus notavit atque explicuit, verum etiam permultis iconibus magna cura et arte exaratis et pictis eam plurimum illustravit.

Is plura signa notavit, quae vulgo pathognomonica habentur, nec sunt, singulaque a singulis

secrevit atque distinguendo accurate nobis longe pleniorem effecit morbi dignotionem.

Memoria recolentibus, quae in scholis de anatome et physiologia didicistis circa hepatis fabricam, situm, usum, intelligetis, tantum viscus tamque late in abdominis caveam protensum alio alioque loco inflammatum, alia plurimumque discrepantia editurum esse aegritudinis signa, neque sufficere illam vulgarem externae internaeque hepatitidis distinctionem. Nam incumbit ventriculo, accumbit diaphragmati et reni dextro magnamque partem intestinorum tegit, cum splene praeterea, pulmonibus, cerebro, associationis, antagonismi, consensus lege conjungitur.

Longe igitur lateque in oeconomiam organicam regnat hepar, longius latiusque, ubi vel climatis tropici potentia, vel alcoholis venenum aut pulmonum, aut cerebri vim labefactaverit. Saepius ex gastritide hepatis phlogosis accenditur, in bibacibus praesertim iisque, quorum animus est in patinis; nec deest isthoc hominum genus inter Indiae accolas novosque colonos. Ea origo chronicae etiam hepatitidis, ex dyspepsia nascentis est. Minime vero, quia crebro fit, semper fieri existimetis, quam quidem opinionem tuetur novae doctrinae auctor Broussais: a calore fieri gastro-enteritidem, hanc sequi hepatitidem, tanquam ipsius satellitem: remque testari febres flavas, quae hodie tantam nominis celebritatem nactae sunt.

In fidem hujus placiti duo citat exempla aegrotantium, alterum aegroti in nosocomio Udinensi, quem ut aegrotare crediderat ex febre flava, post obitum vidit, hepar habuisse suppuratum summeque rubentem ventriculum et canalem cibarium; alterum militis, qui dolens in regione hepatica et epigastrica, colore flavo, febre vehementi, summa corporis jactatione, spiratione intercepta, suspiriosa, motibusque convulsivis quum perierat circa diem decimum quartum et videbatur subfuisse hepatitis, manifesta obtulit gastro-duodenitidis, id est inflammationis ventriculi et duodeni signa, hepate coloris legitimi, verum ex sanguine congesto tumente. Ejusmodi fraudes medico artem facienti crebro fieri notavit etiam is, quem mox citavi, locupletissimus testis Annesley. In compluribus casibus, inquit, phlogoseos, afficientis ventriculum et organa bilis, difficile est, propter deficientem anamnesin determinatu, a quanam parte inceperit, in quam contra desierit: quae morbi complicati exempla in Indiis neutiquam rara sunt ac quemcunque habeant eventum, quaestio saepenumero solvi nequit. Quando in mortem transeunt, aegritudinis indicia erunt in hepate maxima, minima vero in ventriculo, hic primas quamvis notas aegritudinis monstraverat.

Non semper tam exacte limites inflammationis constitui possunt, neque externa ab interna, neque acuta a chronica distingui. Progreditur malum

a superficie ad parenchyma: nam solius involucri serosi absque hepatis inflammatio non minus rara est, quam solius pleuritidis, sine peripneumonia.

Subinde etiam a parenchymate ad superficiem progreditur. Quando solum parenchyma hepaticum morbi sedes, clanculum proserpit morbus atque obscuris tantum signis detegitur, propter obscurum visceris sensum: praesertim ubi chronica fuerit morbi forma, cui peculiare est in parenchymate incipere, quemadmodum acuta saepius in externa facie ac membranacea esse consuevit.

Hanc ubi sedem elegit, symptomata pleuritica aut peripneumonica medicum nisi cautum fallunt. Id quod vel magnis etiam in arte viris evenisse accipimus: Valsalvae, Cleghorniique exemplo. Hujus aeger pro pleuritico curatus, quum 12°. morbi die inopinato decessisset, secto cadavere in pulmonibus quod credebatur vitium non apparuit, verum diaphragma inflammatum et ingens in lobo hepatis dextro abscessus, totum etiam abdominis cavum colluvie purulenta odorem foetidum spargente, repletum erat. Valsalvae Clericus post longam intermittentem, quae pallorem faciei corporisque maciem reliquerat, acutam febrem expertus est cum dolore in regione hepatis, qui tangendo augebatur quemque propriis manibus indicabat. Primis diebus vomitus fuit et diarrhoea, tussis quoque humida fuit, sed paucos post dies sicca et irrita. Decubitus erat utrumlibet ad latus diffici-

lis, ut non nisi supinus jacere posset: vehementis autem aegro quidam caloris sensus ad dorsum, renem versus dexterum: pulsus celer, frequens, debilis, inaequalis, intermittens. Multum erat VALSALVA incertus animi, quam esse morbi sedem censeret. Attamen cum aeger nullum in thorace doloris signum patefaceret, sed ibi semper, ubi dictum est, dolorem indicaret, tandem esse credidit hepatis inflammationem. Interea morbo in dies ingravescente magisque semper aucta spirandi difficultate pulsusque debilitate, septimo exacto die mors accessit. Cadaveris sectio mei judicii, inquit VALSALVA, digna ipso ingenuitate (ut recte MORGAGNUS rem referens subjungit) detexit errorem. Nam in ventre sana omnia, si lienem excipias, quadruplo majorem, quam par fuisset. In thoracis autem sinistro cavo serum limpidum: dextrum sero plenum crassiori, cujus partes aliquae concreverant dexterque pulmo totus ab inflammatione induruerat. Haec signa plura erant, quae hepatitidem comitari solent. Adeo in medicina facile est, ita MORGAGNUS, per ea ipsa decipi, quae facere videntur ad vitandas deceptiones!

A GALENO quo possit modo talis deceptio vitari, monemur, sequente historia aegrotantis, quam ea qua pollet facundia et arte narravit.

» Quum primum Romam venissem, magnifice admiratus est me GLAUCO propter ejusmodi diagnosin, inquit. Etenim per viam mihi occurrens, op-

portune, inquit, advenisti; jungensque dextram dextrae, proximi sumus inquit laboranti teque oro, ut una mecum ad ipsum venias. Est autem Siculus medicus, quem non ita pridem mecum ambulantem vidisti et quoniam heri Gorgias et Apelas mihi nunciaverunt, diagnoses ac prognoses edidisse te, quae divinationes sunt potius, quam medicinae, cupio equidem periculum facere, non tam tui, quam artis medicae, num haec ei sit dignoscendi et praenoscendi facultas. Igitur quum haec diceret, venimus ad laborantis aedes, ut neque verbo ejus provocationi respondere, neque ea quae saepenumero me dicere audivistis, effari possem, quod interdum nobis feliciter adparent aliqua certa signa, interdum vero omnia sunt ambigua. At in primo statim aditu obviam nobis venit quidam pelvim a cubiculo ad sterquilinium efferens, continentem tenuem cruoris saniem, carnium nuper mactatarum loturae similem, evidentissimum affecti jecoris indicium. Itaque ac si nullo modo id intellexissem, cum Glaucone ad medicum ingressus sum admovique manum carpo, quo intelligerem, utrum etiam inflammatio, an sola imbecillitas esset in viscere. Quum vero medicus esset, ut diximus, qui decumbebat, nuper, inquit, a dejectione decubui, itaque perpende pulsuum frequentiam ob surrectionem adauctam esse. Haec quum dixit, ego deprehendi inflammationis indicium, prospiciensque deinde fenestrae impositum aliquid hyssopi cum

aqua mulsa paratum in ollula, cogitavi medicum se esse pleuriticum putare, dolore costas spurias occupante, qualis hepatis inflammationibus interdum accidit. Hunc itaque quum ipse sentiret essetque respiratio parva et crebra, atque exigua tussi irritaretur, pleuriticum arbitrari se cogitavi, quamobrem hyssopum ex aqua mulsa praeparasse. Intelligens itaque ego, quod fortuna viam mihi praeberet, qua apud Glauconem clarum nomen adipisci possem, manum meam ad nothas in dextro laborantis latere costas detuli, indicatoque simul loco dixi, eum ibi dolere; quod quum ipse fateretur, Glauco ex solo pulsu existimans me sedis affectae dignotionem invenisse, admirari me coepit. Verum ut vehementius stuperet, haec quoque addidi: quemadmodum hoc in loco dolere te confessus es, ita velim fatearis etiam, tussiendi cupiditate vexari te ex longis intervallis, tussim exiguam, aridam et qua nihil expuisti, molestare. Atque ita me dicente, incepit forte fortuna hujusmodi quadam tussis specie, qualem dicebam tussire, ut Glauco vehementer commotus, continere sese non valens, magna voce exclamando in laudes meas prorumperet. Tum ego, ne putes, inquam, sola haec ab arte circa aegrotos posse praesagiri, sed alia quoque, quae nunc dicam, quibus et laborans ipse testimonium feret. Hinc rursus incipiens, ipsi dixi: quum magnam ducis respirationem, dolor ea parte, quam notavi, vehementius scilicet te

cruciat, sentisque insidentem hypochondrio dextro gravitatem. His auditis ne infirmus quidem se potuit continere, quo minus prae vehementi admiratione una cum Glaucone exclamaret. Itaque sentiens ego arridentem mihi tunc fortunam, de clavicula quoque, quod ad inferiora trahi videretur, aliquid afferre volebam. At quia magnas inflammationes pariter ac scirrhum id comitari sciebam, dicere non audebam, veritus ne laudem, quam antea de me excitaveram, sauciarem. Animum tamen induxi caute eloqui, atque aspiciens laborantem, haud ita multo post, inquam, jugulum ad inferas partes detrahi senties, nisi fortasse id jam tibi evenerit. Ac quum hoc quoque fateretur, videns aegrotantem mirifice attonitum, unam, inquam, addam adhuc praedictis divinationem; etenim dicam, quam de morbo suo laborans ipse habuerit suspicionem. Tum Glauco ne de hac quidem divinatione desperare se ajebat; laborans autem hac incredibili pollicitatione stupefactus, acriter me intuens, quid essem dicturus, attenta mente exspectabat. Itaque dicente me, quod infestantem morbum pleuritidem esse putasset, ille rem admiratus id quoque mihi assensus est, ut et qui adstabat et qui paulo ante latus ei oleo tanquam pleuritico foverat.

Atque ex eo tempore Glauco tum de me, tum de universa medendi arte optimam concepit opinionem, quum antea nihil magni in arte esse puta-

ret, quod nunquam cum consummatis in arte viris esset versatus."

Sensus ponderis opprimentis et doloris gravativi est sub motu corporis et situ in lecto mutato in hypochondrio dextro, in scrobiculo cordis sub cartilagine ensiformi, pulsus noctu acceleratus, caeterum tardior, oppressus, irregularis, subinde intermittens. Habitus pallidus, anxius, lingua flavescens, sicca, adpetitus deletus, sapor oris depravatus, alvus irregularis, urina parca, crassa, colorata, cephalalgia, somnus turbatus, tumor hypochondrii, saepe symptomata post cibum aucta. Haec autem alia erunt alio loco inflammato. Non semper dolor humeri dextri aut scapulae, interdum dorsi, aut lumborum: saepe si internam sedem occupet morbus, oppressio magis praecordiorum, cum anxietate crebrisque suspiriis. Si in parte superiori major congestio et tumor, dyspnoea et pneumoniae signa, si in parte concava, ventriculo contigua, nausea, vomitus, singultus, decubitus in latus sinistrum, aut corporis antrorsum versus inclinatio. Si superficies hepatis inflammatur, universe magis acuta morbi forma est: febris major, pulsus durior, dolor acutior, quae symptomata si interna inflammatio ad superficiem procedat, accedunt, utriusque inflammationis symptomatibus secum invicem conjunctis.

Cernitis variare plurimum morbi faciem, ut inductione magis, quam observatione morbus detegi

possit; flavum faciei colorem non semper hepatitidem comitari, quod Swietenium non fugit aliosque antiquiores, verum tunc solummodo notari, ubi vel duodenum, vel fellis vesicula, vel viae bilis excernendae in mali societatem venerint, nec semper esse laesae bilis officinae in hoc morbo signa, verum accuratissimo et repetito examine opus esse, ut latens in corpore phlogosis detegatur. Quocirca caussarum etiam animadversio in computationem veniat, tum praedisponentium: quo temperies et corporis universi et hepatis ipsius; tum occasionalium: quo laesiones externae sive regionis hepaticae, sive capitis; tempestas anni, aut loci natura calida, clima tropicum, ebrietas, ira et quae sunt id generis alia, hepatis valetudinem male afficientia, pertinent.

Est calida quaedam hepatis temperies, cibi animalis praesertim fastidio, oris amarore, siti, alvo dura, parca, scybalosa, vomitu bilioso, lingua sicca, viridi colore tincta, cutis flavedine icterica insignis, in hepatitidem proclivis ejusque quoddam quasi primordium, quae si aëre fervido, exercitationibus corporis animique nimiis, vigiliis, ira, victu calidiori, animali, vinoso exacerbetur in hepatitidem transibit facile. Legant, qui rem exemplo firmatam cupient Historiam Apollonii Abderitae apud Hippocratem, quam in Chrestomathiam Hippocraticam traduximus, pag. 37 sqq. aut similem in Historia Hepatica Jo. Bapt. Bianchi pag. 434 sq. Viri 30 annos nati, cholerici, iracundi, inflamma-

tione hepatis caustica 4°. die sublati, in cujus corpore durum, exsuccum, ulcerosum hepar deprehendebatur simulque notent subfuisse jam in utroque casu aut congestionem, aut chronicam hepatis phlogosin, acuta tandem ut fit hepatitide eaque lethali accedente.

Gravidas mulieres icterum pati, notaverat SWIETENIUS eumque inprimis per menses ultimos, licet nec ante graviditatem, nec post puerperium hoc morbo laborarent; idem fieri iis feminis, quibus fluere catamenia cessaverant, aliorum observatio est. Utrique ictero latens subest hepatici parenchymatis phlogosis, quod eo magis notandum, quia non a febre, neque a pulsus duritie, sed ab aliorum potius signorum concursu cum caussis effectibusque comparato colligi debere hepatitidis parenchymatosae praesentiam in practicis lectionibus suis monere solebat PARADISIUS seque vidisse idem quod FORDYCIUS medicus Anglus, hic repetitas venae sectiones fuisse necessarias, nec magnas tamen, subducta dein vel eccoproticis, vel clysteribus magna faecum crassarum quantitate.

Reliquas caussas quod attinet: capitis vulnera cerebrique commotiones animadverterunt praesertim medici chirurgi AMBROSIUS PARAEUS, DESAULTUS et post hosce PINELLIUS, BROUSSAISSIUS, alii, quorum PINELLIUS citat casum ex diario celeberrimi, quem secundo loco nominavi, chirurgi: Militis scil. ex duobus gladii ictibus capiti inflictis, die 25°. vulnerum

acceptorum mortui, in cujus cadavere hepar parvis ulcerationibus obtectum est inventum.

Circa ebrietatem, semper in bibacibus turbas systematis hepatici eamque animadvertimus hepatis temperiem, quam facete Richterus vocavit hystericam.

Proclivis est inflammatio hepatis, ut omnis phlegmone in abscessum, qui anceps profecto rei eventus est ideoque omni, quo fieri possit, artis molimine avertendus. Avertit interdum natura, aut lysi, aut crisi facta. Haec fit alvo biliosa cum pauco cruore urinave multa, crassa, subrubra, cum alba hypostasi, ante diem quartum, mitiori lienis dolore ante suppurationem superveniente, epistaxi larga e nare dextra, haemorrhoidum, mensium fluxu, sudoribus criticis. Alvus biliosa cum pauco cruore, a diarrhoea cruenta, symptomatica pariterque a dysenteria probe discernenda, nec mala arte cohibenda est.

Quemadmodum in pleuritide bene ominatur dolor transiens ad humerum, dorsum, manum, cum harum partium stupore ac gravitate, sic in hepatitide fausti augurii est doloris ad lienem, ante abscessum factum, transitus. Nam hoc facto quandoque ille dolor observatur, infausto augurio. Asclepiadarum veterum observatio erat: sanguinem e diverso fluere malum esse, ut in liene magno e dextris atque similiter in hypochondriis. Ea utrum constans sit, ea propter difficile judicatu est,

quoniam Asclepiadarum mos erat naturae rem mandare, quod ea artis infantia certe laudandum magis, quam vituperandum videtur: hodie autem minus tutum foret. Universe largam haemorrhagiam sive ex naribus, sive ex ano per haemorrhoides, seu ex utero, per catamenia, sanguinis copiam demendo, fore proficuam, nullus dubito. Atribilariis, inquit Quarinus, et quibus haemorrhoides suppressae, morbus etiam per haemorrhoides multum emendatur, idemque fieri in hepatitide metastases ad crura, auctor est. Sudores criticos praeter Galenum et Chomellium observavit etiam Pinellius. Observatio non ob unam caussam memoratu digna est. Unus ex priscis Pinellii discipulis, post vitam sedentariam at laboriosam, experitur horripilationem, quam sequitur calor et dolor hypochondrii dextri. Proximo mane lassitudines spontaneae, os amarum, cutis ardens, insomnia. Die tertio conatus vomendi; vespere symptomatum omnium exacerbatio: calor ingens, oris amarities, dolores acuti, ardentes lumborum, tensio dolorosa hypochondrii dextri, urina colorata cum sensu ardoris emissa, alvi durities. Die 4°. vomitus humoris flavi, amari ex emetico antimoniato; color flavus faciei et oculorum, excrementa tarda, alba; vespere calor et siccitas cutis; decubitus molestissimus, dolor lumborum et dextri hypochondrii usque ad latus oppositum, epigastrii strictura. Die 5°. mane sudor, aucta cutis flavedo et truncum tingens,

vespere auctus calor, dolor obtusus hypochondrii dextri, acutus sinistri, sensus ponderis in epigastrio, decumbendi impotentia, color fuscus totius corporis, urina nigrescens, cutis sicca, ardens, alvus adstricta. Die 6°. levis sudor, indusium colorans. Die 7°. acutus hypochondrii dolor. Die 9°. sudores largi, symptomatum decrementum; vespere exacerbatio, faeces albae, urina colorata. Die 10°. mane color in facie non ita flavus, vespere dolor hypochondrii et epigastrii gravior, calor abdominis, urina larga, coloratior, cum dolore et molestia, pervigilium. Die 11°. paroxysmus gravis, dolor hypochondrii, spiratione auctus. Die 13°. urina copiosa, decrescentibus symptomatibus; vespere exacerbatio, colica, borborygmi, tensio abdominis. Die 14°. mane diarrhoea larga, urina multa, minus colorata, icterus minor; vespere levis paroxysmus, alvus liquida, flava. Die 15°. apyrexia, quam pedetentim perfecta sanatio secuta est. Exemplar habetis morbi per plures at imperfectas crises sanati.

Alter exitus suppuratio est: cujus symptomata: horripilationes, formicationes, sensus fluctuationis, praecordiorum oppressio, anxietas, inquietudo, sudores nocturni, febris hectica ut plurimum valde obscura; estque hic eventus perquam dubius et varius.

Nam aut in abdominis cavum effuso pure factaque peritonitide morietur aeger, aut in cavum thoracis, ubi hepar diaphragmati accreverat, aut in

ventriculum, aut colon erumpet, aut in urinae excernendae vias, aut per ductus fellis in intestina evacuabitur, aut extrorsum per abdominis musculos et integumenta exibit puris materies et sine numerosa exceptione, tristis futurus est rei finis.

Abundant scripta medicorum observationibus abscessuum hepaticorum, quorum plures collegerunt Bonnetus, Morgagnus, Voigtelius, quibusque numerosae postea accesserunt recentiorum. Potissimum ea legere non poenitebit, quae cum Morgagnus, tum Gendrinus, Andrallius et Annesley circa eos abscessus notarunt. Ex antiquiorum observationibus plures sunt perbreves et truncatae, quod recte circa Bonneti in sepulchreto casus dolet Morgagnus, unum tantum Coiteri nostri excipiens.

En casum, priorem evacuandi modum illustrantem. Anno 1570 Noribergensis quidam, natus annos 42, totus cholericus, levi tussi correptus, de molesto quopiam hypochondrii dextri dolore, edendi appetitus amissione, totius corporis languore, aestu affatim et plerumque faciem manuumque palmas pedumque post cibum plantas invadente, ac oris ariditate conqueri coepit. Vi morbi crescente viribus decrescentibus, corpore extenuato, totius anni spatio post fuit coactus decumbere ac medicorum opem implorare. Usus est multis medicis, meque tandem accersiri jussit. Invenimus intra caetera febrim erraticam quandam atque tumorem durum tensivumque in hepatis regione, ad

medium ventris et umbilicum usque protensum, febris minime erat intensa et periodica, sed hecticae similis, quae incerto tempore subinde per totum corpus diffundebat aestum solito majorem, qui interdum prius, interdum tardius remisit. Magis potus, quam cibi desiderio movebatur, ut fere semper hominibus, qui similibus affectibus, vel etiam hepatis magnis obstructionibus, aut scirrhis, quibus calida temperies accedit, usu venire solet. Tumor erat durus cum magna tensione, vehementi punctione doloreque ulceroso conjunctus, quamvis neutri lateri incumbere potuerit, tamen facilius dextro quam sinistro, ad quod quid ponderosi in corporis commotione perlabi sensit. Alvus erat difficilis et cum clysteribus vel lenientibus pharmacis commovebatur, exibant faeces pituitosae et biliosae corruptae. Urina fuit subflava, tenuis, cum pauco sedimento eoque divulso. Punctio, quae aegro molestissima fuit, nullis unctionibus, emplastris caet. remisit. Tandem barbitonsor quidam, doloris mitigationem pollicitus, imposuit cataplasma anodynum emolliens et suppurans, unde tumor crevit efferebaturque magis ad umbilicum et dilatabatur ita, ut quidam suspicati sint hunc morbum in hydropem terminaturum. Aliquot diebus post in ileo dextro in conspectum venit tuber, quod barbitonsor existimavit ab apostemate inter musculos abdominis genito prodiisse, quare apertionem suasit. Ego cum nec undationem, nec alia suppurationis

signa manifesta deprehenderem, conatui barbitonsoris restitui. Aeger morbi molestiae ac diuturnitatis pertaesus, permisit sibi a barbitonsore lapidem causticum (ab incisione enim abhorrebat) apponi. Hic lapis triduo, maximo aegri dolore ac cruciatu, abdominis musculos ad peritonaeum fere usque perrosit et antequam abdomen penetraret, pus in folliculo collectum intus, folliculum rupit atque per abdominis cavum inter peritonaeum et intestina dispersum est. Tumor desiit, durities evanuit, eodem die aliquot animi deliquiis correptus, animam dedit. Aperto corpore invenimus vomicam simae parti hepatis (cujus non parum putrefecerat) connatam eamque satis magnam atque apertam. Reliqua fuere satis sana.

Huic exemplo alia subjiciam, materiae aliorsum evacuatae et primum quidem in thoracis caveam et pulmones.

Hujus loci est mulieris sexagenariae historia, ex VALSALVAE observationibus una, quae obiit: nec non celeberrimus casus nostratis STALPAERT, v. D. WIEL 46. *Cent.* 1. *Obs. rarior.* Is cum mirabatur sputa purulenta eduxisse hominem, dum nulla essent pulmonis affecti indicia, sed omnia signa docerent, hepar aegrotare, post mortem vidit vomicam hepatis accrevisse diaphragmati in latere dextro et pulmonem pariter in eodem loco diaphragmati adhaesisse: sicque pus ex hepate in pulmonem venerat et per sputa educebatur.

Id crebro animadversum est atque vomicae pulmonalis specie incautos fallit, aut si pus retineatur intus, intra pectoris cavum hydrothoracem mentitur, aut ad axillam dextram congeritur, uti PORTALLIUS observavit. Quomodo hanc viam paret, illustrat egregie casus 86[us] ANNESLEY. Thoracica facies diaphragmatis eo loco, infra quem haerebat hepar, erat inflammata, saltem pleura investiens rubra vascula, sanguine rubro injecta, monstrabat et lobus pulmonis dextri hac parte coeperat adhaerere.

Est ubi infra per alvum evacuatur, sive effuso pure, per ductus bilis in duodenum, sive facta coli cum hepate concretione et intestini perforatione. Puris per intestina evacuati historiam complectitur casus 88[us], quem notavit experientissimus medicus ANNESLEY, et cum dubitari posset, aegro sanato, utrum revera ita factum sit, GENDRINUS citat observationes anatomicas BAUHINI, FRANKII filii, RAYERI et PORTALLII rem confirmantes. In RAYERI aegra duae erant perforationes: altera in duodeno, in colo altera; utroque loco concreverat cum hepate canalis cibarius et videbatur phlogosis, sive ex vesicula fellis, sive ex canali cystico, ex calculi ibi haerentis irritatione concitata, provenisse. Suppuratio autem destruxerat et cystidem felleam et ramos venae portae feceratque haemorrhagiam lethalem. PORTALLII ancillam, postquam sanguinem nigrum evomuerat anoque excreverat cum striis purulentis, febris hectica sustulit. Post mortem ductus hepa-

ticus, cysticus, fellis vesicula, ductus choledochus, intestina tenuia sanguine et pure turgebant.

Interdum extus per abdominis musculos atque integumenta erumpit. Quo facto, educi arte materies purulenta poterit et aeger, abscessu evacuato, servari. Cavete tamen, ne vos decipiat fellis vesicula, bile turgens, quemadmodum hortatur ANNESLEY et pridem hortati erant PETITUS et SWIETENIUS. Hic anno 1732 cadaver aperiens pauperculae ex ictero et marasmo mortuae, in ileo dextro tumorem mollem detexit, ab ultimo limbo costarum ad cristam ossis ilei usque pertingentem, quo loco diu doluerat aegra. Abscessum existimans, incisione facta, nullum invenit, sed hepar durum tuberculosum; tumorem vero illum esse ex fundo cystidis felleae ex contento humore calculisque turgente. Quae cum commemorasset, citat casum chirurgi celeberrimi PETITI, qui ejusmodi tumorem incidens, quem qui aderant cum medici, tum chirurgi omnes abscessum arbitrati sunt, perscissis jam integumentis, tumorem subsidere vidit atque observatorum antea casuum memor, ab ulteriori sectione abstinuit praedixitque brevi per alvum prodituram bilem, quae in cystide fellea haeserat accumulata. Vix deligato vulnere, aeger copiosam bilem viridem dejecit atque intra paucos dies convaluit.

Est denique, ubi suppuratione lenta totum consumitur hepar inque saccum mutatur, puris plenis-

simum. Primo fiunt parva apostemata, quae postea confluunt. Haec phthisis hepatica est, quae tamen, ut pulmonalis, ex tuberculoso vitio magis, quam ex phlogistico morbo nasci videtur.

Aposthematis hepatici per urinas purulentas evacuati naturaeque beneficio sanati, exempla feruntur. La Motte *Tr. c. de Chir.* I, vii. *Obs.* 670.

Alter morbi exitus scirrhus antiquis dicebatur, quo nunc pondere et volumine increvisse, nunc decrevisse plurimum hepar, animadversum est. Durius fit hoc viscus ex inflammatione chronica, ex tuberculis, ex vero denique scirrho. Has indurationes inflammationis exitus non facile dixerim. Illam tantum hoc loco attingam.

Quemadmodum ex acuta hepatitide, praesertim ubi gravis est atque magna venae portarum congestione, sive ex pneumonia, sive ex cordis hypertrophia oriunda stipatur, hepar magnopere tumet ejusque emollitur contextus, ita chronica inflammatione ejus parenchyma et durum magis et densum fit. Idcirco hic simul et de hepatitide chronica et de ea, quam comitatur, induratione verba fient.

Illius symptomata feruntur: anorexia, sensus plenitudinis dolorisque ad cordis scrobiculum, acor primarum viarum, ructus acidi, levantes, dolor aliquis sub magna inspiratione praesertim, aut pressione, in hypochondrio dextro, facies pallida, subflava, tumida, oculis moestis, torpor, somnolentia, animus tristis, quietis et solitudinis amans, cutis

sicca, alvus stricta, quandoque liquida, nunc alba, nunc colorata, biliosa. Pulsus tardus, debilis, aut aucto dolore frequens, subdurus, febrilis, potissimum vespere. Ea symptomata ut crebro observata sunt, ita crebro aberant. Exempli loco unus sit casus ex MORGAGNO; nec deerunt alii ex laudatis antea auctoribus. » Bajulus consistentis, ut videbatur, aetatis, nullo unquam tentatus morbo, dum gravius attollit onus, illico non levem ad lumbos molestiam sentit, quae tunc biduum cubare cogit, in reliquum autem tempus ita debilitat, ut ne viginti quidem librarum pondus sine lumborum incommodo jam possit tollere. Mense interjecto, sibi visus est, dum in lectulo se converteret, aquae in ventre agitationem audire, mox quoddam quasi corpus percipere, quod ex hypogastrio in scrobiculum, ut appellant, cordis adscendens ibique subsistens, initium faceret tumoris praeduri, nec modici; quo simul et febricula afflictus, quinto jam mense, ex quo grave illud onus sustulerat, in nosocomium hoc venit et ea quae dixi, narravit omnia. Id erat certum, adsiduam tunc esse febriculam et noctu exacerbari, tumorem esse in scrobiculo illo et infra imas costas quoque, praesertim dexteras et in ventre esse aquam effusam. Crevit haec interea; ut cum mihi fere occasio esset in nosocomium adscendendi, uno exacto circiter mense, ex quo ibi decumbebat, et rogatus ventrem hominis contrectarem; vix alibi quam in scrobiculo, tumo-

rem perciperem, abdomine videlicet aqua distento. Erat is tumor praedurus, nonnihil inaequalis et si vel premeres, doloris expers. Quaesivi, num pondere molestus esset? num dolore aliquo ad jugulum usque producto? num tussis aliquando vexaret? Diserte negavit haec omnia. Cum autem quaererem, an tum etiam incresceret tumor? imo, ait, subsedit minorque est factus; credo, quod crescens aqua obscuraret; et sane qui alias tetigerant, minorem esse factum, non agnoscebant. Subpallida erat hominis facies; non flava, non lurida: ne album quidem oculorum a me perattente inspectum, ullo modo flavescebat. Supinus plerumque cubabat: quanquam poterat in utrum liberet latus. Sitiebat quidem; sed non valde spiritumque ducebat incommode; nec tamen incommodissime. Quibus eo diligentius annotatis, quod hominem haud longo post tempore interiturum et rimandi viscera copiam nobis factum iri prospiciebam, incerto ex parte suspensoque de universa tumoris sede judicio, discessi. Ille vero exilescentibus demum pulsibus, sana usque ad extremum mente et loquens placide obiit, initio Aprilis A. 1745. decimo quarto, postquam videram die. Cadaver autem cum postridie secaretur, graviori negotio impeditus, adesse non potui. Pro me tamen dissectioni praefuit Mediavia noster: a quo haec accepi eodem die.

Corpus macilentum et nusquam, nisi leviter ad scrotum, multo autem levius ad pedes, oedemate af-

fectum. Venter multam effusam aquam habuit, non graveolentem, non crassam, non a quibusdam quasi membranulis innatantibus turbidam, sed pellucidam, vergentem tamen ad eum colorem, quem in oleo amygdalino videmus. Omentum retractum in hypochondrium sinistrum, integrum quidem fuit; sed ex subviridi fuscum. Ventriculus parvus et contractus. Lien duplo major, quam aequum esset, subalbus exterius, intus alba quaedam habens, nec tamen dura. Hepar longe maximum, ut eorum qui aderant, aliqui libras pendere ad quatuordecim judicarint. Certe etsi non multum infra costas se extendebat, ventris universam regionem superiorem et proximae huic partem anterius occupabat: sinistrorsum autem adeo increverat, ut suspensorio ligamento, quod crassius alioquin factum erat, plurimum in eam partem curvato; fissura umbilicalis ad sinistrum latus esset cartilaginis ensiformis. Totum erat hepar durum et exuberantibus maculis, digito pollice non angustioribus, passim distinctum iisque subflavis, caetera pallidum. Haec exterius. Interius autem; si paucas exceperis hic illic intermistas hepaticae substantiae portiones, totum viscus constabat ex substantia, quae non facilius posset, quam mammaria glandula dissecari: ea ex albo flavescebat et pressa ichorem quasi purulentum emittere videbatur. Denique cystis erat prorsus exigua."

Haec hactenus de induratione quatenus ab in-

flammatione est. De alia scirrhosa, tuberculosa alio loco dicam.

Etiam gangraena terminari hepatitis dicitur. Quae tamen terminatio auctoribus Baillie et Gendrin perquam rara est et magis emollitio parenchymatis fuisse videtur. Ille nunquam a se visam esse gangraenam hepatis animadvertit, hic unicum citat Morgagni casum, in quo sinister hepatis lobus inventus est laxus et sphacelo prorsus vitiatus. Probabilem conjecturam faciunt inventa, in sene septuagenario eoque vinoso, ventriculus et intestina gangraenosa.

De curatione morbi praecepit nuper Annesley, etiam in parenchymatosa hepatitide promptam esse debere sanguinis et largam per venaesectionem, repetitam etiam, detractionem, maxime in plethoricis, sanguineis, juvenilibus corporibus: deinde topicas convenire, per hirudines sedecim vel octodecim in adultis, quas ebriosi facilius, quam generales detractiones ferunt, earumque repetendarum indices esse linguam, anxietatem, dolorem, tensionem loci aegri. Haec quo magis urgeant symptomata, eo audentius corpus deplendum est atque interim bibacibus, ne citus fiat virium collapsus, analeptica volatiliaque stimulantia esse offerenda. Loco affecto cataplasmata emollientia imponenda et alvus movenda mercurialibus inprimis, id est mercurio dulci, qui larga dosi propinatus, in hepatitide Indiae tanquam panacea ab omnibus, qui ibi artem fecerunt me-

dicis cum pridem, tum nuper uno ore celebratur, nec tamen nisi praemissa sanguinis evacuatione legitima praebendus est.

Laudatur usus granorum viginti mercurii dulcis dandi vespertino tempore, cui altero mane superadditur pulvis e supertartr. potass. et jalappa. Post haec oleum ricini aut inf. sennae cum inf. gentian. comp., quibus vel salia neutra vel spiritus ammoniae aromaticus vel spiritus aeth. nitricus, vel aliud quodcunque requiritur corrigens, adjungi potest. Cavendum maxime in curandis morbis hepatis aliisve regionum calidarum, ne cathartico quies turbetur noctu; quod a mercurio plena dosi exhibito minus metuendum est, siquidem matutino demum tempore purgat: atque insuper cavendum, ne nocturno frigore et humore corpus iis pateat potentiis nocentibus, quarum maxime efficacitate morbi vel excitantur, vel aggravantur. Mercurius autem eo usque dandus, donec moveat ptyalismum et secretiones restituat et symptomata tollat, quodsi ante ptyalismum meliora haec facta sint, eo non opus est, sique post priores quatuor aut quinque dies non evenerit, a mercurio desistere melius est. Copula mercurii cum antimonio inunctionesque mercuriales cum camphora promovere dicuntur actionem peculiarem mercurialium atque irritatio intestinorum praeverti clysteribus emollientibus, una cum purgantibus remediis refrigerantibus. Post topicas depletiones vesicantia loco affecto imponen-

da inque chronica specie sustentanda iis mota ulceratio est. Interim non negligenda faecum inspectio est, quod pluribus verbis monet auctor et tanquam proprium signum in hoc valetudinum genere plurimi faciendum est.

Denique etiam commendat lotiones acido-muriaticas internumque acidi nitrici aqua diluti usum, atque convalescentiae tempore, nutrientium et mitiorum tonicorum. In chronica morbi specie eadem fere curatione utitur, nec tamen universalibus, sed topicis per hirudines depletionibus et acido nitroso, multa aqua soluto, pro potu, quod tamen acidum nequaquam, quae quorumdam medicorum sententia est, mercurii remedium habet succedaneum: eccoproticis etiam aperientibus, simul cum balneis tepidis semicupiis atque diaeta et regimine strictis. Abscessu facto, si superest phlogistica conditio, depletiones topicae, cataplasmata, emollientia et acidi nitrici solutiones maxime dilutas; sin abest, et vires aegri decrescant, tonica magis medicamina fore salubria existimat; alvumque per enemata eluendam et farinacea alimenta praebenda: ubi symptomata dysenterica, demulcentia, balnea calida, epispastica, cataplasmata, pulvis Doveri vespere datus proderunt. Abscessu extrorsum tumente, si cum spe successus evacuari possit, aperiendus, vulnus curandum, vires alimento sustentandae; leniora tonica ipsumque vinum quandoque juvabunt; atque universe ad singulos casus accommo-

danda erit medicina. Habetis eam curandae hepatitidis methodum adumbratam, quam Indiae medici, praesertim Angli adhibere solent. Circa quam animadvertendum videtur, ipsos nimios esse in mercurialium adhibitione. Nam auctore doctissimo Waitzio, qui et ipse in India orientali artem fecit, mercurii dosis granorum ad summum 10 sufficit consilio movendae salivationis, neque protracti remedii usus innocuus haberi potest inque hepatitide chronica topicae depletiones et diaeta refrigerans acidula salubriores sunt longe, quam aut largae venaesectiones, aut ingentes mercurii dulcis doses. Cf. Illius brevem adumbrationem Hydrargyromaniae et Haematomaniae, Amstelodami anno 1829 editam.

Hoc remedium (Merc. dulc) multos habuit et laudatores et vituperatores. Inter recentiores in hepatis inflammatione laudatur a Richtero; Quarino et Frankio patre ejus usum ad hepatitidem chronicam restringentibus, Pinellio ipsum proscribente.

In nostris terris leniora eccoprotica acidula: decoctum graminis tamarindinatum cum manna, tartari cremor similiaque aperientia antibiliosa, post celebratas venaesectiones, aut topicas detractiones sufficient, nec opus erit ad mercurialia, nisi in chronica hepatitide devenire. Praeterea enemata emollientia, cataplasmata similiaque adhibenda, nec non diaeta refrigerans, acidula, antibiliosa. Abscessu facto, leniora etiam nutrientia, evacuato, iis-

dem et tonicis interdum antisepticis: c. Peruviano, spir. vitrioli, vino rhenano utendum erit.

Sicubi rheumatici quid subsit, vesicantia imponere jubet natura mali inque ea specie etiam, quae erysipelacea appellatur, quam solvi per erysipelas in cute externa auctor est Bianchi *Op. laud.* p. 434. Post morbum denique superatum diu regimen refrigerans antibiliosum adhibere propter illius reversuri metum, juvabit.

Caeterum uti universe moliminibus criticis succurrendum, ita clysteribus visceralibus lenioribus, purgationibus hirudinibusque ano appositis circulationem abdominalem et plethoram abdominis et emendabitis optime et hujus phlogoseos tum seminium, tum reliquias, aut tollere, aut corrigere saltem plurimum poteritis.

SPLENITIS.

Splenitis sive inflammatio lienis rara esse dicitur, praesertim acuta, cujus characteres anatomicos Gendrinus tradidit: chronica saepius secundaria, post febres intermittentes longas ac pertinaces easque aut neglectas prorsus, aut male curatas. Distinguunt inter splenitidem externam membranaceam et internam parenchymatosam. Illam ut membranaceam hepatitidem, cum pleuritide con-

fundi posse et ipsi intelligetis et vero sequens docet casus nostratis ANTONII DE HAEN, quem cum SWIETENIO communicavit. Homo triginta quatuor annorum a medico tractabatur ut pleuriticus et quidem tali cum successu, ut secundo jam morbi die a febre et dolore sinistri lateris fere integre liber se sanatum crederet, omnemque medelam negligeret postea, sed infelici cum eventu. Languit enim postea et fassus fuit, se semper obtusum dolorem in loco prius affecto percepisse. Post paucas septimanas a primo morbi insultu insignem habuit in dextro crure tumorem, sponte postea evanidum. Similem tumorem deinde percepit in dextro latere perquam magnum, sponte etiam postea evanescentem. Similis tumor denique adparuit in femore sinistro et illo minuente novus tumor occupavit internam brachii dextri partem, mollis et pugno major. Successit deinde dysenteria, ascites, una cum hydrope amasarca totius corporis, prostratio virium et mors.

In cadavere, biduo post mortem dissecto, apparuere sequentia. Abdomen turgidum, lividum praesertim in latere sinistro. Omentum brevissimum, macilentum. Intestina inflammata, pluribus locis gangraenosa. Lympha non admodum copiosa in abdominis cavo. Ventriculus pariter turgidissimus et sinistra ac maxime superiori parte longe lateque gangraenosus. Pancreas flaccidum, parvum. Mesenterium integrum, exsangue. Mesocolon exhibuit plura friabilia cor-

puscula, obscure viridia. Hepar perquam magnum erat, in parte inferiore magis fuscum, quam esse solet. Lien inferiore parte peritonaeo accretus, pure albo, crasso, copioso plenus: copia quaedam similis puris aquae in cavo abdominis repertae innatabat. Tumor brachii lanceola apertus dedit idem colore ac consistentia pus, ac in liene deprehendebatur. Pulmones hinc inde membranae pleurae adhaerebant concreti.

Duo in hunc casum, qui refert, animadvertit Swietenius: alterum, pus ex splene resorbtum metastasin fecisse variam; alterum, hepar auctum volumine, liene consumpto, fuisse ac si hujus vices egerat. Quod ad prius, phlebitidis etiam natae suspicionem hic casus movet. Alterum, Malpighii Brunnerique observationibus factis in animalibus, quibus splen exsectus erat, firmatur.

Praecipua signa inflammati lienis febris acuta, continua, dolor in loco lienis, quandoque ad humerum, mammam aut claviculam protensus, ut ipsa obscura sunt, ita obscuriora, ubi parenchymatis lienalis inflammatio est, ut cum Swietenio fateamur, saepius faeces induratas circa flexum coli haerentes subfuisse, ubi credebantur tumores lienis, alias fuisse congestiones, qui habebantur, scirrhi. Nam crebra et prompta hujus visceris a sanguine mutatio est et plurimum varia illius vario tempore conditio.

Utrum lienis, quae dicitur emollitio, semper inflammationis sequela sit, nuper inter viros doctos

nota quaestio est. Semper ita esse vix credo: esse tamen interdum nequaquam nego. Haec post intermittentes crebra est atque vomitus alvique cruenti origo.

Hujus nuper ipsi vidimus exemplum in viro mediae aetatis, qui post diuturnam et neglectam intermittentem tandem in nosocomium nostrum exceptus cum sinistri lateris dolorem accusabat, non ita diu post gravem haematemesin perpessus est, quae brevi adeo increvit, ut exsanguis prorsus defecerit. Cadaver ventriculum exhibuit nihil vitiatum, lienem prorsus emollitum, rubri sanguinis plenum.

Suppurationis exempla, praeter Haenii illud, etiam Portallius refert atque addit irrupisse abscessus in abdominis cavum mortemque attulisse, dum nihil ejusmodi vitii suspicabantur; quandoque in ventriculum pus sibi viam fecisse, quandoque in colon, quandoque in sinistrum pectoris cavum, quandoque etiam pone peritonaeum perque abdominis musculos exiisse.

Praeterea lienis gangraenosi, sphacelati quoque mentionem facit Portallius, et ante eum fecerat Morgagnus, quos laudat Gendrinus T. II. p. 356 sq. Curatio ab hepatitidis illa parum utique differt. Minus tamen mercurialia, propter facilem, quae splenis morbos comitatur, sanguinis dyscrasiam, laudanda, ut contra magis acidula, eccoprotica: ex tamarindo, cassia similibusque atque enemata emol-

lientia proficua, nec sine caussa, censentur.

Quoniam ex intermittentibus magnos lienes observarunt, ubi de iis febribus verba fient, ad hunc morbum redeundi dabitur locus.

NEPHRITIS.

Ipsos vera renes inflammatione occupari scimus (ita Boerhaavius *Aph.* 993.) ex dolore ardente, pungente, magno, inflammatorio loci, ubi renes siti sunt; ex febre acuta, continua concomitante; ex urina pauca, saepe parva copia emissa, admodum rubra et flammea, vel in summo malo aquosa; stupore cruris vicini; dolore inguinis testisque vicini, dolore iliaco; vomitu bilis, ructu assiduo.

Perfectum sibi proposuit vir summus, ut solet ad imitationem veterum, nephritidis exemplar. In quam descriptionem simul et nephritidem, quae a renum calculo, et aliam suscepit, quae sine calculo est: ad priorem pertinere stuporem cruris vicini, dolorem inguinis testisque, aut potius testiculorum retractionem, in ea, quae de morbis systematis uropoietici scripsit, monographia notavit Chopartus atque addidit, dolorem etiam non augeri motu corporis, quod rheumatismi signum est.

Nimirum ab inflammatione musculi psoae (psoitis dicitur) discernitur, tum quod dolor corpore in-

anteriora flexo immaniter aegrum cruciat, tum quod desunt in hac inflammatione signa ab urinis petita.

Par doloris atrocitas est, si corpus erigere conatur aeger, in lumbagine rheumatica, in qua pariter et urinae signa et vomitus, Sydenhamo auctore, desunt.

Qua utriusque morbi similitudine ipse magnus Boerhaavius in proprio corpore deceptus est. » Dum Boerhaavius de rheumatismo loquebatur, coram auditoribus suis, ita rem refert Swietenius ejus commentator et discipulus, dixit se circa medium mensem Augustum, dum hora quarta matutina observationibus in horto botanico faciendis occupabatur, sensisse dolorem quasi nephriticum, quem mirabatur. Dolor a renis sinistri regione incipiens secundum decursum ureteris ad os pubis usque tanta cum vehementia pergebat, ut crederet calculum de rene per ureterem in vesicam descendisse: simul aderat propensio in vomitum; qui dolor per tres menses persistens, postquam parum remittere incipiebat, evolvit auctores et vidit Sydenhamum notasse illa, quae passus fuerat; reliquos vix quidquam bonae frugis dixisse. Dum enim agit de rheumatismo, habet sequentia: est et alia hujus morbi species licet non hujus prosapiae vulgo credatur, quae lumbago rheumatica aptissime dicetur: immanis dolor scilicet idemque fixus circa lumborum regionem ipsumque aliquando ad os sacrumse demittens, paroxysmum nephriticum mentitur,

nisi quod aeger non vomituriat; nam praeter dolorem atrocissimum et vix ferendum circa ipsos renes, aliquando et ureteres per omnem eorum ductum ad vesicam usque eodem, licet mitiori, tentantur. Qui et mihi olim imposuit, tanquam a materia aliqua sabulosa in iis partibus haerente penderet, cum revera materiae rheumaticae peccanti et inflammatae ortum suum debeat, quae quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore." Denique ad diagnosticen nephritidis notanda sunt, quod, observante summo MORGAGNO, plerumque ren sinister phlogosi tentetur, quodque ab inflammatione intestini coli eo nomine differat, quod in hac alvus soleat esse admodum dura, stricta et pertinax. Verum in morbo BOERHAAVII dolor occupaverat latus sinistrum, nec deërat propensio saltem in vomitum: praeterea CHOPARTUS inter alia sympathica morbi symptomata: sitim, anxietates, pervigilium, etiam dolores colicos alvique constipationem enumerat. Videtis igitur et hic rem dubiam, ut ad reliqua etiam, urinarum praecipue, signa, quae initio flammeae, deinceps limpidae, decolores, tandem, morbo vigente, parcae, at crebrae cum tenesmo sique ad alterum renem inflammatio perrexerit, supprimi prorsus CHOPARTO dicuntur. Diagnosin etiam juvare poterit caussarum contemplatio, quales sunt ictus, equitatio, plethora, diuretica acria, spirituosa, arthritis, calculus. Fructuosa est aegrotantis historia a MORGAGNO memoriae prodita,

Ep. 30. Art. 22." Vir nobilis, annos natus sexaginta, vomitibus coepit vexari crebris et permolestis; quamvis uno interdum die quiescentibus. Rejecta nihil peculiare habebant. Medici pro viri dignitate aderant tres, qui tunc peritiores existimabantur et facile erant, certe erant seniores. Hi cum mali sedem in ventriculo esse non dubitarent, quae ad sanandum hunc facerent et plurima, et varia, et diu satis adhibuerunt, sed incassum omnia; donec aeger macilentior jam factus, remediorum pertaesus consilium per se coepit, haec cuncta abjiciendi et rus secedendi. Unde neque ita multo post in urbem regressus, ecce tibi, magno sine caussa frigore toto corpore sub noctem corripitur eaque ipsa nocte multum cum urina sanguinem reddit. Hunc eadem via mox consequitur multum puris. Itaque sanguineis et purulentis urinis alterne se excipientibus, cito dejectae vires sunt et intra dies quam paucissimos vivendi finis est factus. Ex hoc morbi exitu proclive fuit intelligere, vomitus caussam non in ventriculo, sed in iis partibus fuisse, quae ad lotium pertinent; renibus praesertim, qui nempe illum solent facile adeo in consensum trahere et ad vomitiones concitare. Simulque intellectum est, quid significarent crurum non stupores quidem, sed dolores tamen, de quibus jam inde ab initio morbi plurimum queri solebat aeger, quid insolitus mingendi stimulus, ut urinam vix ac ne vix quidem retinere posset, dum matulam

sumeret, noctu potissimum, quid denique duritia quaedam circa regionem epicolicam. Haec utique etsi de lumbis conqueri aeger non solebat; indicii aliquid dare poterant, cum inutilibus praesertim curandi ventriculi experimentis conjuncta, alibi quam in hoc vomitus caussam haerere et in renibus dexteroque potissimum congestum fortasse aliquem materiae morbificae esse factum. Cui suspicioni pondus addi aliquod ex eo potuisset, quod in generosissima hac familia frequentia fuerant renum mala.

Inter caussas etiam, nec immerito recensetur equitatio diuturna et vehemens, unde vidi aliquoties, ita Swietenius, mictum sanguinis et quidem tanta copia, ut vitae periculum a vasorum inanitione immineret. Dum haec scribo, talem aegrum curandum habeo, qui tota vita validissimis equitationibus usus fuit, mira in arte equestri peritia indomitos equos coërcere novit et ad fraena patienda dociles reddere. Illi frequens talis sanguinis copiosi mictus absque ullo dolore, unde totus pallidus et exhaustus languet. Simulac vero cessat malum et vires renasci incipiunt, denuo equitationi indulget sicque eidem periculo se exponit, nimis audax ideo, quod toties evaserit.

Hos autem Aretaeus non ex haemorrhagia, qua forsitan nimii motus noxae praevertuntur, sed, si retentus fuerit sanguis, ex retentione ob ingentem phlegmonem mori scripsit; eaque mala plethoricis

potissimum mutuenda esse, facile intelligitis, praecipue si vino, quod diathesin calculosam arthriticam in corpore creat, hi abutantur, maxime vino acidulo, quale rhenanum est, aut moselanum, nephriticis atro carbone notanda.

Ex gravissimo malo plena ischuria fit, quod lethali eventu in filio septenni, natu majori vidit Hildanus, qui corripiebatur lumborum dolore cum febre et urinae suppressione et licet plures celeberrimi medici opem adhiberent, septima morbi die moriebatur. In cadavere insignis renum et vicinarum partium phlogosis in gangraenam transiens reperta est.

Omnium creberrima vero morbi caussa calculus est. Naturae beneficio tum lysi, tum crisi sanata fertur, urinis quippe criticis ante 14um morbi diem redditis, aut morbi initio, haemorrhoidum fluxu. Haec urina critica, ut ipse vidi, crassa est, fusca, potus caffeae delutioris ad instar, qualis in aliis morbis foret ominosa, nec tantum hypostatica, verum etiam turbida, aut nullum habens, aut inaequale sedimentum, quia ipsis renibus inflammatis, vix nisi crudior secerni nequit et quia in nephritide calculosa, omnium creberrima, sic ipsa morbi caussa aut materies ejicitur partim.

Haemorrhoidum fluxus utilis est ex Aphor. Hipp. 9, Sect. VI: melancholicis et nephriticis succedentes haemorrhoides utiles; cui jungatur observatio Galeni: evacuatione haemorrhoidum cohibita, quosdam

nephritide correptos fuisse. Prodest fluxus ille in morbi principio tanquam prophylacticum naturale. Balnea etiam et semicupia summopere proficua expertus est CHOPARTUS in puerpera nephritica, cui semicupia et dolores nephriticos abstulerunt et suppressa lochia revocarunt. Si saburrae gastricae indicia sint, ante balnea vomitum concitare proderit, eodem auctore. Caeterum potiones emollientes ex decoct. alth. mannato, emulsionibus amygdalarum, semin. lini, sem. cannabis sat. similiaque conveniunt. Vitanda acria, praecipue nitrum propter stimulum renibus inimicum, vitandus lecti calor et mollities et decubitus in dorso. Inflammationem nascentem praecaveri posse epithematibus frigidis, auctor est FRANKIUS (Epit. II. pag. 299.) recte tamen, raro implorari hoc tempore medici opem adjiciens.

RICHTERUS praedicat usum linimenti volatilis opiati camphorati ad regiones lumborum inungendum et sinapismos quoque, quae morbi naturae amica an adversa habuerit ignoro, ego aegrotanti nocitura magis, quam profutura censeo. Fortasse spuriam, rheumaticam cogitavit.

Opiata in sola nephritide calculosa, post venaesectiones mucilagineis, oleosis nupta concedi possent, auctoribus gravissimis, post veteres PAULUM et AETIUM, BOERHAAVIO, SWIETENIO, FRANKIO patre: quorum hic ad vomitum sympathicum compescendum laudat G. Arab. solutionem, ille contra po-

tionem tepidam mellitam ad eum juvandum.

Nephritidem acutam inprimis afficere renum substantiam medullarem, quae ab infuso sanguine liquescit, atque ad mucosam renalem pertinere, docent, quae in cadaveribus nephriticorum animadvertit GENDRINUS. Nec tamen substantiam corticalim periphericam ab inflammatione immunem esse, idem exemplo a MORGAGNO Epist. XXXVI. art. 20. ducto monstrat. Casus laconica brevitate a VALSALVA traditus, hic est. Virgo corripitur ingenti vomitu et febre. Ille sedatur; haec remanet. Vehemens sub nothis sinistris costis accedit dolor, a quo intra biduum interficitur. Ren uterque naturali triplo major: sinister vero inter propriam membranam et huic subjectam substantiam paululum saniosae materiae continebat, ab ea praesertim, parte qua lienem spectabat. (An haec a peritonaeo, an a membrana propria renum, quae fibrosae naturae HILDEBRANDTIO habetur?) In ventre serum limpidissimum inventum est, pauxillum in thoracis cavo, multum in pericardio. Brevis casus interpretationem longam recusat.

Ex chronica inflammatione renum parenchyma increscit densum fit et carnosum.

Nephritidis, quae aliarum inflammationum curatio antiphlogistica est. Propter renum fabricationem gravis inflammatio magnam facere jubet eamque brevi tempore repetendam sanguinis jacturam; deinceps ano adponantur hirudines, unde in

haemorrhoidariis praesertim promptum levamen. Juvant praeterea enemata emollientia laxantia ob loci inflammati viciniam tanquam, balnea interna adhibita.

Subinde in gangraenam, saepius in suppurationem nephritis transit. Illius exemplar exstitit in HILDANI filio, cujus historiam antea vobiscum communicavi. Hujus numerosa exempla sunt. Indicatur horripilationibus crebris, febris dolorumque remissione, urinis turbidis foetidis, purulentis, cruentis.

Nec semper tamen perspicua res est, immo saepe obscura admodum. Rem ostendit MORGAGNUS, in nephritide calculosa, caussasque CHOPARTUS attulit has duas: alteram, complicationem morborum hepatis, lienis aliorumque viscerum vicinorum cum renum morbo; alteram, lentam suppurationis occultamque originem. Pus autem factum vel cum urinis ejicitur, vel extus concitato abscessu per abdominis parietes emittitur, vel intus in abdomen effunditur, vel denique ulcera facit fistulosa, partes adjacentes perreptantia. GENDRINUS varium hunc suppurationis eventum a sede abscessus repetit, vel in substantia corticali, vel in medullari substantia haerentis. Esse nempe, ubi canales secretorios teneat tuncque pus in renum pelvim, ureteres, vesicam profundi, quod denotat substantia isthaec emollita, rubro grisea ac compressa, pus dimittens: inde medicorum, HAENII inprimis errorem natum esse, qui metastases puris has crediderunt idque in variolis

potissimum fieri et quater a se visum esse. Abscessus illi quandoque mirum in modum increscunt, ut de toto rene nil praeter involucrum supersit, sive saccus, puris plenissimus. Pus infra in lumbos, inguina, crura; supra in pectus effusum viderunt medici. In hoc casu, sunt verba HAENII, qui ipsum notavit, ren cum pulmone unicum saccum, sine ullo intermedio sepimento formabat. Per colon perforatum renis sinistri abscessum erupisse, a DUVERNEIO observatum est.

Nec semper magni, saepe parvi abscessus fiunt, praecipue ex nephritide chronica, qui calculos recondere solent. Hos calculos cum GENDRINO harum inflammationum magis sequelas, quam caussus habeo.

Abscessum extus tumentem aperiendum esse, praecipitur, etsi dubius eventus sit. Nam praestat anceps remedium, quam nullum: quodsi aliorum viscerum inflammatione, aut carie ossium morbus complicatus sit, melius est manum non admovere. Duo id generis exempla profert CHOPARTUS; alterum CABROLII, eventu fortunato; alterum HILDANI, eventu dubio. Sed in priori abscessum in textu peritonaei adiposo haesisse, neque ad renem ipsum pertinuisse eapropter opinatur CHOPARTUS, quia nulla superfuit fistula et prompta fuit sanatio. In altero HILDANI recruduit vulnus et ulcera facta sunt fistulosa.

A renum ulcere phthisis renalis superest, malum perquam chronicum quidem, sed vix medicabile.

In hoc ulcere curando multae antiquitus jam fuere lactis laudes, quocum utiliter miscentur aquae minerales et prae omnibus aqua Selterana, aequa lactis copia addita. In quibus lenioribus refrigerantibus, quamdiu phlogistica conditio superest, pergendum esse recte praecipit RICHTERUS: qua sublata ad roborantia tonica deveniendum est, ita ut lacti, jungatur aqua calcis, cujus magna celebratur in his renum morbis ulcerosis utilitas, deinde decoctum lichenis Islandici, cort. Peruviani, pulv. folior. uvae ursi, conserva rosarum rubrarum similiaque.

Praeter haec balsamum copaivae, myrrham aliaqae balsamica, complures ex antiquioribus medicis praesertim laudibus efferunt, quorum tamen balsamicorum actio, praecipiente FRANKIO, viro summo, saepe suspecta et cum febris urget, noxia est.

Reliquum est, ut commemorem nephritidem albuminosam renum, quam nuper egregiis iconibus illustravit RAYERUS; *Traité des maladies des Reins etudiées en elles mêmes et dans leurs rapports avec les maladies des Uretères, de la Vessie, de la Prostate, de l'Urètre etc. Paris* 1837, *première Livraison*, non adjectis, quod doleo, aegrotantium historiis, quae tamen cum sub forma hydropis praecipue sensibus manifesta fiat, de hac tum dicemus, ubi morbos hydropicos interpretabimur. Hic tantum notamus, urinas in ea mingi albuminosas

tenues, ex quibus aliquam cum *diabete* analogiam suspicaremur, de qua postea a nobis erit disserendum.

INFLAMMATIONES MUCOSAE PULMONALIS.

Catarrhus pulmonum ex eorum morborum numero est, qui sympatheiam ejusdem generis membranarum inprimis manifestant. Nam, ut ex capitis catarrho, coryzàm vocant, nasci solet, ita vel intestinorum catarrho, sive diarrhoea catarrhali, vel urinarum profluvio, vel sudoribus crebro terminatur, aut simul et conjunctiva et Schneideriana et fauces et pulmones ipseque ventriculus eodem morbo tenentur, quod in catarrho epidemico eo, qui *Influenza* adpellatur, observatum est, praecipue Annis 1762, 1782, 1788, 1800, 1837.

Talem Anno 1737. a semet Plymuthi, regnante humido frigido, animadversam descripsit HUXHAMUS, his verbis: » Per omnia undique loca incessit hoc mense (Novembri) morbus, medio tamen hoc in oppido potissimum, omnes fere cujuscunque fuerint habitus, aut aetatis corripiens: modo quidem haud absimili, quo febricula catarrhalis epidemica Anni 1733, at saeviore multo. Magna adfuit gravedo et capitis dolor, nausea frequens, sternutamenta perpetua, destillationes maximae, ac

tussis saepissime importuna valde. — Per initia discruciavit multos acerbus dorsi atque lumborum dolor, quod male plerumque significabat; nam et magna simul accessit praecordiorum oppressio et haud modica febris, saepe plane peripneumonica: perliquida vero exspuerunt, raro coctum aliquid. Tanta saepe fuit in fauces destillatio, ut anginam haud levem faceret: saepius vero faciei tumor, parotidum, maxillarum sequuta est, ac immensa pituitae acris ex ore naribusque fluxio. Plurimos acutissimus dentium dolor torsit, etiam quibus ante fuerant sanissimi: idque persaepe uno solum a latere, desinens accuratissime inter dentes incisores. Doluit et saepe dimidium tantum caput, quasi in hemicrania exquisita. Longe plurimi sola laborabant febricula cum gravidine infesta, catarrho et molestissimis dentium doloribus, accedente ut plurimum tumore faucium et aspredine. Juniores autem, increscente morbo, delirabant saepe. Permultos cruciavit dolor rheumaticus vagus. Quosdam ischiadus vehemens, non raro durans diu: haud paucos errantia tormina corripuerunt, diarrhoea saepe insequente critica. Lingua fuit alba plerumque, raro arida, nec multum sitiebant aegri: urina turbida fere et subrubra. Cruor saepe pleuriticorum similis. Febris haec catarrhalis plures jam per hyemes plus minusve grassata est: varias autem induit formas, pro ratione variarum hominum constitutionum. Plures levis solum febri-

cula tenuit, modico protinus discussa sudore; haud paucos autem peripneumonia gravis: in genere tamen multo vehementius hoc anno saeviit et largiorem sanguinis missionem postulavit. Omnino mihi pendere videtur a crasso, udo gelidoque aëre, spiracula cutis occludente et acrem intra corpus colluviem congerente; nam et praecedit hunc morbum semper ac comitatur crassa admodum humidaque atmosphaerae temperies, nec grassatur unquam nisi mensibus hybernis et ejusdem prope indolis esse videtur, cum hyemali febre Sydenhami."

Circa curationem notandum est, eam differre ratione locorum et aegrotantium, quemadmodum alio loco monui (*).

Pinellius in medicina clinica collegit nonnullos casus catarrhi, quorum unum exempli loco referam. »Puella annorum 14, cui crebrae fiebant epistaxes, necdum catamenia fluxerant, patitur horripilationem, quam sequitur calor, sudor, faucium titillatio, dolor pectoris, diarrhoea. Altero die

(*) Cf. Diss. Acad. Inaug. *de Const. Epid. Doctr.* p. 110. deque *Influenza* A. 1782. Lentin *Beyträge* I. pag. 31 sqq. C. H. à Roy, *in Actis Societat. Serv. Civib.* Tom. IX. p. 336 Cum Lentini descriptione convenit Epidemia Influenzae, quae nuper grassata est, varias regni mucosi provincias invadens: fauces, nares, oculi conjunctivam, pulmones, ventriculum, intestina.

hisce accessit tussis, dolorem pectoris augens, sine expectoratione: paroxysmus pomeridianus. 3°. die facies colorata, dolor dextri thoracis, excitatus tactu et tussi, cutis halituosa, pulsus frequens, mollior, noctu sputa stricta; 4°. dolor ad tactum minor, sed auctior, tussiente aegro: tussis crebrior, sputa aeruginosa, altero mane expectoratio mucosa prorsus: die 9°. tussis crebra, sputa de muco copiosa, dolor thoracis vix sensibilis: die 10°. apyrexia; nullus paroxysmus, convalescentia."

Stethoscopio percipi rhonchum (*râle*) etiam a morbi initio idque e praecipuis esse hujus signis primus animadvertit Cl. Laennec, hunc rhonchum interdum cum sibilo esse addens, saepius cum sono gravi, fremitumque denotare locum pulmonis affectum, qui, nisi in casu graviori, circumscriptus esse solet et in quo ex muco obstruente spiritus suspenditur.

Ex catarrho acuto, qui nascitur chronicus estque senibus praesertim familiaris, subinde etiam pueris, si cum febre hectica, atrophia similibusque symptomatibus est, phthisin tam exacte refert, ut cum ea confundi posset, nisi stethoscopio nec pectoriloquium, nec respiratio cavernosa, nec materies tuberculosa emollita, nec spirationis sonique ex tuberculis absentia indicaretur.

Catarrhus siccus, potius bronchitis chronica sicca, supprimit spirationis sonum in parte affecta, propter mucosam tumentem, in catarrho mucoso

chronico contra bronchiorum dilatatio a muco esse solet, ut catarrhus siccus ad emphysema pulmonum ducit.

Denique catarrhus suffocativus reliquarum specierum exitus est; in senibus ex catarrho acuto, qui mucoso chronico catarrho supervenit; ex oedemate pulmonum, cui jungitur phlegmorrhagia bronchialis; ex effusione seri cruenti in moribundis; infantum et adultorum catarrhus suffocativus acutus, qui bronchitis generalis est, sive phlegmorrhagia bronchialis acuta. In hac ubi expectoratio fieri incipit, transit morbus in catarrhum acutum imminente initio suffocatione, propter tumentem mucosam bronchialem et pituitam copiose secretam. Catarrhi suffocativi historias consignavit Pinel, *Medic. Clin.* p. 223 sqq. Prior casus senis fuit cum haemoptysi sanguinis nigri et oedemate, inque sanitatem abiit: alter juvenis, lethalis, ostendit mucosam trachealem, bronchialem gangraenosam, bronchia muco repleta, pulmonibus integris.

Broussais catarrhum pulmonum a peripneumonia non sejunxit. Bronchitidem tam acutam, quam chronicam descripsit Gendrin. Prioris historiam refert gravissimae, morte terminatae, in puero morbilloso, in cujus corpore anatome firmavit, quas stethoscopium indicaverat laesiones (*Obs.* 83. pag. 547 sqq. Tom. I.). Observatio 98. chronicam formam exemplo illustrat, quae lethalis facta est, superveniente peripneumonia acuta, pag. 647 sqq.

Cadaver obtulit pulmonem dextrum fere totum hepatisatum, mucosam bronchialem rubram, densam, rugosam, bronchia lobi inferioris pulmonis dextri, mucum flavum, crassum continentia simulque dilatata paululum. Ista dilatatio si ramos occupet et vesiculas aërem ferentes, circumscripta beneque distinguenda est a dilatatione universali bronchiorum, quemadmodum utramque distinxit atque accurate scrutatus est Cl. Laennec (*).

Plures bronchitidis historias narravit Andralius. Interdum levis est haec inflammatio et circumscripta, interdum gravis lateque extensa, nunc acuta, nunc chronica, nunc perquam rubente post mortem mucosa, nunc contra decolore eadem et omnino pallida, qualis in fabro ferrario adparuit, morbo pectoris, tussi, expectoratione copiosa, marasmo, extincto. Rara ulcerosa inflammatio est, in bronchiis eoque minus rara, quo superiora magis loca: tracheam, laryngem teneat; utque intestinorum perforatio aliquando ex tuberculis nascitur a foris proveniens, ita perforatio tracheae ex glandulis tuberculosis.

Alius exitus bronchitidis est stenochoria, quâ aëris transitus cohibetur oriturque species sibili, sub spiritu pariter et respiritu, atque dyspnoea primum et tandem asthma: hoc nonnumquam subito

---

(*) *Traité de l'auscultation médiate et des maladies des poumons et du coeur* Tom. I. Part 2. Sect. I. ch. II.

invadit, ex congestione subitanea mucosae laryngeae et bronchialis.

Nec semper mucosa definitur hypertrophia, verum simul et textum fibrosum et cartilagineum occupans, bronchiorum caveam arctat. In ejusmodi casu rhonchum stethoscopio audivit Andral. Denique θλῖψι comprimitur, ex tumore externo, quemadmodum idem senis exemplo demonstravit (p. 193 sq.) neque infantibus infrequens vitium est. Cavea vel arctatur tantum, vel prorsus deletur, atque subinde quia, ut bene animadvertit Laennec, potentiae inspirantes exspirantes potentias superant, aër vesiculis pulmonalibus inclusus neque emissus has distendit primum, rumpit dein, atque in lobum pulmonis aegrum effunditur. Ubi truncus princeps pulmonis unius clauditur hicce atrophicus fieri posset. Ex quo chronica perennat dyspnoea. Subinde unicum signum minutae cavitatis est debilior longe sonus respiratorius, loco aegrotante. Neque ab ea abhorret opinione Andrallius, solum quandoque spasmum subesse.

Interdum bronchia inflammata subeunt dilatationem, quam indicabit pectoriloquium, nisi facta sit loco interiori pectoris et simul limitata. Tunc solummodo hoc symptoma provocat, ubi et notabilior et bronchus dilatatus ad superficiem pulmonis pertinuerit, praesertim si non unus tantum, sed plures bronchi ita fuerint affecti. Hujus dilatationis tres notarunt varietates. Nimirum vel ad bronchi ramum aut ramos plures pertinet aequa-

bilis, per omnem canalem porrecta dilatatio, quae difficulter dignoscitur, nisi perquam notabilis fuerit: tunc vox resonat et rhonchus mucosus auditur subinde, aut eum excipit perflatus. Vel dilatatio unius loci ingens est adeo, ut vel amygdalam vel nucem possit continere eo tamen loco duntaxat definita, quae dignoscitur sive pectoriloquio, sive perflatu sub inspiratione. Vel, quae tertia varietas est, alio loco dilatatos bronchos obfert, alio strictos, parietibus non crassioribus, ut in priori et altera, sed tenuioribus, cujus caussa mechanica posita est in muco. Haec infantibus magis, quam senioribus evenit. Hujus diagnosis longe obscurissima est. (Andral l. l. pag. 214.)

Secretio muci mutata nunc serosa est, copiosa, cruenta, rhonchum humidum faciens, nunc viscida obstruens bronchum, quo facto nullus sonus respiratorius editur, oboriturque dyspnoea, quam tollit tussis mucum expellens, quod nisi fiat, morte pulmonali tolluntur aegrotantes.

Interdum muco concreto obstruitur bronchus princeps idque subito factum orthopnoeam et mortem infert. Hunc casum denotat dyspnoea subitanea ex bronchitide. Caeterum et majores et minores bronchi obstrui possunt.

Sputa in morbi principio plerumque nulla; tum mucosa, pellucida, viscosa, spumosa, subinde parvis grumis ex faucibus aspersa (quae perperam ex tuberculis pulmonum esse creduntur) tandem opaca, alba, viridia, flava, quae indicant morbum solutum

iri. Aliquando sunt foetida idque tum etiam, ubi nullum ulcus subest. Secretio nonnunquam adeo copiosa est, ut nisi abesset febris et signa abessent tum colliquativa, tum ab auscultatione ducta, credideris ex phthisi tuberculosa provenire. Nec semper rubra cernitur mucosa, subinde pallet (p. 240 sqq.) Quodsi ingens subito fiat in bronchos effusio seri, inopinato ex suffocatione pereunt aegri orthopnoici, quemadmodum exemplis docuit Andral (p. 244 sqq. et Swietenius *Comm.* Tom. IV. p. 60.) nisi expectoratione evacuetur. Aegrae, cujus historiam refert Rob. Bree, tam felici esse contigit, quippe quae paene suffocata, asphyctica, intra bihorium quatuor pintas seri spumosi ore et naribus ejecit, atque servata est. In alio casu hydrothorax ejusmodi profluvio seroso fuit sanatus. (Cf. Andral l. l. pag. 247 sqq.) Similem in tussi quinta observavi eventum. Casus bronchitidis acutae ex morbillis natae ejusque lethalis, simul eruptione suppressa factaque asphyxia propter gravem systematis bronchialis phlogosin legitur apud Andral, p. 251. Alter casus pariter lethalis exstitit, siccato ulcere cruris; et consimilis herpetis, aegro tamen revellentibus liberato.

Caveatis tamen, ne semper has caussas accusetis, ubi vel gravis dyspnoea est, vel asthma. Nam sub hac larva vel congestio latere, vel spasmus potest, adeo bronchitidi similes, ut hanc mentiantur omnino. Hi tamen eo rariores casus fient, quo accuratius colitur anatome practica, quae docuit,

neque ipsos nervos spirandi apparatum regentes a laesione organica fuisse immunes. Hujus rei exemplum notatu perdignum obs. 21. pag. 263 sqq. protulit celeb. Andral.

Quaeritur, utrum spontaneae ferantur bronchitidis sanationes. Ad quam quaestionem affirmative respondendum est. Tolli catarrhos sudoribus, urinis, diarrhoea, etiam vulgo notum est. Ad hanc methodum revellentem naturae, siquidem fida futura sit, accedat oportet topica per sputa evacuatio. Isthaec expectoratio morbi designat ipsius vel remissionem, vel declinationem. Tum sputa non ut antea pellucida exeunt, verum opaca, crassa, cum levamine symptomatum. Exstant quidem exempla bronchitidis gravioris sanatae sine ejusmodi expectoratione. Sed haec, auctore Andrallio rariores sunt regulae generalis exceptiones (p. 229.) ita ut ex sputis sat certum ducatur indicium periodi morbi et gradus irritationis mucosae bronchialis. Morbus subinde habitualis fit, in senioribus praesertim, quibus quotidiana muci excretione natura utitur, tanquam fonticulo, ad eliminandum humorem nimium: quamobrem haec secretio non tuto cohibetur. Rem exemplis probavit Doct. Greiner (*Der Artz im Menschen* Vol. I. pag. 301 sqq.) firmavitque Andral pag. 236. subjiciens, aegros tales plerumque asthmaticos esse atque suppressis sputis nisi revocetur expectoratio, suffocari.

Loco sputorum expectoratur interdum mucus

concretus, plasticus, bronchos obstruens, ad similitudinem membranarum spuriarum, quae in angina polyposa expuuntur, ut hanc anginae speciem bronchialis cum quibusdam dixeris (ANDRAL p. 224.) Aut magna vis seri ex ore naribusque profunditur, qualis ille casus feminae fuit, quem commemoravit ROBERTUS BREE, quae intra bihorium quatuor seri pintas excrevit sicque a mortis periculo liberata est, et alter viri, cui ejusmodi profluvio seroso pectoris hydrops evanuit. Tandem morbum ab ulcere, aut exanthemate natum sustulisse morbi veteris antiqua sede redintegrationem, testantur observationes medicorum. Nuper rem observavit BOUILLAUD in viro herpetico. Huic herpes sine caussa manifesta siccatus quum esset, successit dyspnoea gravis, quam sanavit vesicans eo loco impositum, quo herpes antea fuerat. Unicum praeterea exemplum morbi, aetate soluti profert ANDRAL; is tamen magis ex neurosium genere fuisse videtur. Cf. ibid. pag. 260.

Universe bronchitidi medetur curatio antiphlogistica. De depletionum autem sanguinearum modo finibusque dissentiunt medici. Huic remedio minus favet PINELLIUS. Et profecto, ubi res intra catarrhi continetur fines, venaesectione vix opus erit omnisque curatio mucilagineis leniterque sudorem primum, dein sputa moventibus, optime absolvetur. Fluctuat tamen morbus inter diathesin phlogisticam et nervosam, id quod catarrhi

epidemici *Influenza* vos docere poterit historia, ut consilio opus sit, neque sanguinis prodigus, neque calidioris medicinae fautor bene rem peragat. Ille nimirum optime medebitur, qui nulli doctrinae adhaerens caute noverit singulis casibus adcommodare medicinam, quod neque omnium medicorum est, neque praeceptis comprehendi potest, neque usu tantum addiscitur, sed praecipue consilio eaque ingenii felicitate acquiritur, sine quibus nemo bonus esse medicus poterit. Id autem tenendum est, omnem catarrhum initio magis versus phlogosin inclinare, ideoque tunc temporis nonnisi leni medicina tractandum esse. Vera acutaque bronchitis, ut tracheitis sine sanguinis detractione universali eaque, siquidem opus fuerit, repetita, haud rite curabitur. Laudantur ab aliis vomitoria, ab aliis spirituosa, initio catarrhi pulmonum acuti: illa infantibus idonea maxime censet Laennec, haec adultorum catarrhum quam brevissimo tempore tollere contendit. Mihi anceps remedium habetur, quod si non tollat morbum, eum exasperabit procul dubio, id quod in viro vidi, cui exinde pleuritis oborta est, qua graviorem nullam observavi. Magis tuto vesicantia, sinapismi suris admoventur et si in nervosam diathesin inclinet, diacodiata, opiata, aut pulveres doveriani: et in chronico catarrho expectorantia validiora ipsaque vomitoria repetita, quae multum laudat Laennec, praecipue in catarrho se-

num, quorumque usus in peripneumonia notha, quae varietas bronchitidis, omnibus medicis celebratur. In leviori casu antimonialia, scilla, ipecacuanha, g. ferulacea, interdum, labentibus viribus, balsamica tum ingesta, tum inspirata utilia sunt. In bronchitide sicca vena secanda, deinde si tussis urgeat spastica, syr. diacodii sedanda, si sputa tenacia difficulter expectorentur, ad anacathartica validiora deveniendum: alcalina, saponacea, g. ferulacea, sal. ammoniacum, scillam ejusque oxymel, rad. polyg. seneg., fl. arnicae montanae caet. Ubi cum hydropica effusione jungitur morbus, tum emetica, tum cathartica juvabunt. Horum usum exemplo firmavit Andral, incassum datis diureticis: illorum indicat ipsa natura, quae vomitu aliquando restituit rem, qualis casus erat profluvii serosi, hoc modo sanati, quem saepius citavi a Roberto Bree, relatus: in hydrope autem vomitum spontaneum juvasse et notat Swietenius et observavi ipse.

Saepius catarrho chronico accedit acutus. Tunc ubi gravis casus, venaesectio celebranda est, ubi levior, hirudinibus aut cucurbitis utendum est. Cucurbitas autem scarificatas saepius hirudinibus anteponerem, quoniam nudato propter eas corpore, respiratio laeditur. Quodsi et generali et topica depletione opus sit, minus bene a topica incipitur, quod in bronchitide acuta ex morbillis nata ab Andrallio factum legimus, qui primo pectori hi-

rudines viginti admovit, deinde venaesectione sanguinis libram demit. Praestitisset ab hac incipere eamque repetere, ab illis vero abstinere.

Brevi si inflammatio acuta bronchos teneat, vena secanda est, si catarrhus, demulcentia danda, si retuso inflammationis impetu, spasmus urgeat, opium praebendum, si sputa prodeant, anacatharticis utendum, si supprimantur subito ex nova phlogosi, denuo sanguis mittendus, ex subitaneo seri profluvio, emesis, catharsis concitanda, ex virium infirmitate, vesicantia pectori, suris admovenda, ad calidiora deveniendum: senegam, arnicam, c. c. spiritum: si blennorrhoea chronica facta sit, tonica, balsamica, pix liquida, victus roborans jure merito laudantur.

DE OTITIDE.

Pervetus querela est, in auditus vitiis medendi artem parum proficere. Nec mirum. Siquidem vere harum rerum peritissimus judex Gendrinus, anatomen pathologicam auris internae nullam esse contendit atque physiologiam hujus sensus omnium minime perspicuam cognovimus. Tristis profecto isthaec cogitatio est, tam parvam esse medicinae potestatem in illius sensus custodia, quem venerandus ille senex Gaubius sensum dis-

ciplinae nobiliorem dixit. Idcirco colligamus dispersas in scriptis medicorum de otitide observationes iisque ita utamur, ut pleniorem nobis efficiamus hanc disciplinae medicae partem.

Aurium inflammatio adpellatur *Otitis* atque inflammationibus mucosae adnumerari a medicis solet. Otitis alia externa est, alia interna. Externa meatus auditorii inflammatio est: interna vel tympani caveam tenebit, vel labyrinthi anfractus, canales semicirculares, concham, nervos. Illam igitur ad mucosas inflammationes recte referunt: haec utrum in omni casu, eodem jure, huc referatur, dubitari utique posset.

Incipiamus ab otitide externa. Ea uti catarrhalis fere est leviorque inflammatio, ita catarrhi instar plerumque pruritum magis auriumque tinnitum, quam dolorem verum excitat. Auditus hebes est, neque ita diu post effluit humor tenuis, limpidus, deinde crassior rursusque tenuior, atque ita saepe variat, aliter atque in catarrhis reliquis solet, in quibus continuo pergit crassescere. Sequitur demum aucta ceruminis spissi profundique coloris secretio, quae caussa saepe illius, quae superest, surditatis. Sed lubet referre vobis casum ejusmodi a Pinellio relatum. » Vir mediae aetatis e loco calido imprudens aëris intemperiei frigidae nudo capite sese objicit. Inde cephalalgiae vagae, rigiditas colli, quibus molestiis altero die superest pruritus aurium, praesertim sinistrae. Se-

quitur brevi effluxus, ut tertio die meatus auditorius plenus esset materiae viscosae, instar seri lactis, membrana ipsa rubente. Iste fluxus per triduum semper increscens, semper spissior fiebat. Quatuordecim abhinc diebus supererat profluvium humoris spissitudine et copia suppar cerumini, colore lacti coagulato."

Saepenumero chronicam formam induit, cujus exemplum vobis praebebit Fred. Hoffmannus, *Consult. et Respons. Cent.* 1. *casus* 40, T. IV. p. 67, quem loco, ut solent auctores Francici, non indicato, citavit laudatus modo Pinellius.

» Vir litterarum studiosissimus, 27 annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, tenuioris ac strictioris corporis habitus, ad iram proclivis, a teneris in molestias imi ventris torminosas, colicas, capitis dolores, somnum turbulentum ventriculique debilitatem pronus et olim auditu difficili tentatus fuit. Hunc contra variis pugnatum est adminiculis et praeter varios medicos chirurgi cujusdam famosi auxilium imploratum, qui se malum extirpaturum promittens et aliquid praeternaturale auri intrusum ratus, hoc, forcipe cerasi magnitudine extractum, cognovit esse cerumen inspissatum, fere gypseum et adeo durum, ut vix cultro secari potuerit. Tum restituta quidem est auditus libertas: at e sinistra aure, quam obsederat cerumen illud, humor tenuis, paullum rubicundus, lymphatico similis effluere coepit. Oppugna-

vit hunc fluorem dictus chirurgus spiritu quodam in ipsum auris meatum instillato: qui vero tantum ardorem excitabat aegro, ut illum omitteret. Increvit inde fluxus ille copiosissimus, auditumque prorsus reddebat liberum. Hinc medicus quidam consultus dedit medicamina interna pariter atque externa: sed nec haec ob aegri negligentiam, partim in ipsis medicinis sumendis, partim in regimine et capitis maxime ab aëre frigido munitione commissa, nec insequuti pubertatis anni juxta medicorum prognoses desideratam tulerunt opem. Neque juvarunt alia ab alio medico proposita, nec fonticulus voto respondit, sinistro inflictus brachio. Hunc enim per aliquot tempus gestatum sequebatur copia muci purulenti, foetidi, viscidi, coloris citrini ex dextra aure, hactenus ab omnibus symptomatibus immuni, excretio: quae dolorem in meatu auditorio insignemque pruritum excitabat et ad aeris constitutionem se habebat. Namque ab hoc frigido et humido constrictus quasi et obturatus videbatur meatus, ut ichoris quidem minorem copiam funderet, majorem autem auditus pareret difficultatem; contra vero coelo existente sereno, liberius audiebat, sed saniem aure largius reddebat, quae denique in humorem transiit, sero haud dissimilem."

Quodsi non tantum meatum auditorium teneat inflammatio, verum ad ipsam membranam tympani pertineat, et acutior esse dolor et gravior phlogo-

sis solet, quam indicat humor ex aure fluens subrubellus, cruentus, deinde flavus, puriformis, foetidus, copiosus, majorque auditus laesio et dolor tactu recrudescens.

Ut sedes morbi indagetur, suadent meatum quoad ejus fieri potest, dirigere ac dilatare, sic autem directum ac dilatatum solis luce admissa maxime collustrare. Ex usu quoque, ita MORGAGNUS, hac de re praecipiens, Epist. XIV. art. 13. esse poterit, candelae lumen per ampullam crystallinam aquae plenam sic trajectum, ut plurimi ejus radii in meatum incidant auditorium. Conspicitur tunc membrana meatum investiens rubra, tumida, adspectu mucosae similis, eo maxime tempore, quo fluxus humoris maximus est. Eum in finem etiam auriscopium commendat Jo. HARRISON CURTIS.

Symptomata graviora sunt, ubi ad ipsam tympani caveam procedit phlogosis tubasque Eustachii. Tunc enim dolores acuti etiam faucium, colli conversio inque latera motus difficilis, molesta cum sensu erosionis facta deglutitio, quem percipiunt in eo latere, ubi inflammatio est. Hujus inflammationis signa sunt: absentia signorum inflammati meatus auditorii, nullus rubor, aut tremor, nisi et ipse inflammatus sit, tempus in quod fluere incipit auris, perbreve illud in otitide externa, longius multo in otitide interna, nonnisi post septimum diem: denique modus, quo fieri solet. Videlicet subito profunditur humor crassus, purilentus

cruori mixtus, rupta membrana tympani nullaque praevia exhalatione serosa. Abscessus raro per tubam effluit ex inflammatione tumentem, subnata stenochoria. Quam varia autem via pus ex aure possit elabi, exemplorum copia ostendit WILLEMIER in specimine inaugurali de *Otorrhoea*, edito *Traj. ad Rhen.* 1835: in cerebrum, medullamque oblongatam, per foramen acusticum; ex faucibus, per tubas Eustachii, sive in tracheam, sive per pharyngem in ventriculum; sive in collum, ipsamque thoracis caveam facta carie ossis petrosi, praecipue processus mastoidei, per telam cellulosam juxta musculum sterno-cleido-mastoideum pus fluxisse, empyemate nato, observarunt. Magnus numerus observationum ad hanc otitidem pertinent. Qui exstant apud FRED. HOFFMANNUM otitidis casus II et III. Opp. Tom. II. pag. 338 sqq. hujus sunt loci. Illum commemorasse juvabit.

» Generosus senex sexagenario major, macilentioris staturae, sed floridae faciei, a convivio, in quo vinum liberalius potaverat, sub aura nocturna peregre domum reversus, altero mane de gravativo capitis dolore sinistrum praesertim latus affligente conquerebatur. Huic mox dolor auris valde acutus successit, qui tam atrociter intra paucos dies invalescebat, ut non modo omnem somnum adimeret, sed et tremorem partium universi corporis cum frigore excitaret adeoque non frustraneus esset convulsionum metus. Intolerabilius plane dolorum

tormentis miserrime excruciatum senem inveni; qui nonnisi a globo per sclopetum trajecto levamen optabat, tantae insaniae et desperationi proximus erat. Exterius, dolente in parte, nihil conspiciendum erat. Itaque alvus aliquoties a clysteribus ut aperiretur, curavi atque interne nonnisi pulveres antepilepticos cum nitro, cinnabari et pauxillo laudani opiati remixtos propinavi, vaporem quoque decocti florum chamomillae cum lacte auri frequentius admovendum praecepi: eo, quod intra meatum auditorium consistere dolorem conquerebatur. Tandem elapso die 7°. mitescente doloris saevitie, corpus madore perfusum, pulsus redditus sedatior et mollior, qui ante contractus et durus erat, urina quoque antea valde tenuis et aquosa, nunc crassius sedimentum deposuit et denique sponte aperto abscessu ex aure successive duobus purulentae materiae cochlearibus effluentibus; omnia et singula gravia symptomata penitus remiserunt atque evanuerunt." Subjungit Hoffmannus, venae sectionem cui non assuetus erat, se noluisse admittere, sed lenissimis tantum remediis atrocissimum morbum in sene pertractare aequum duxisse. Prius tamen utrum recte, equidem dubitaverim, et procul dubio largior venae sectio melius certiusque sedasset dolores, quam vel pulveres antepileptici cum laudano, vel vapores flor. chamom. Sed junior tunc temporis erat medicus Hoffmannus quemque curabat vir gravis,

ab hoc remedio forsitan alienus. Caeterum in tanta inflammationis vehementia a sanguine detrahendo nullae nos debent rationes avocare: atque aliter docere potuisset ZACUTI LUSITANI Obs. 69. *Prax. Med. Admir.* sanationis *per cucurbitulam scarificatam retro aures* ex monito auctoris Hippocratici et altera 67. *aegri auris dolore concussi, imposito suppositorio opiato extincti.* (pag. 16.)

Similem etiam casum refert PINELLIUS. » Puella exponitur aëri frigido, pectore parum tecto, brachiis nudis. Proximo mane sensus tensionis dolorosae in aure interna sensusque molestiae et inquietudinis. Die altero dolores acuti subitanei. Die 3°. paulum mitescunt. Die 4°. revertitur dolor, cum tensione in fauces usque. Die 5°. cephalalgia, rigiditas colli, cervicis dolores acuti, secundum tubae Eustachianae ductum. Difficilis motus rotatorius colli, sensus erosionis lateris sinistri pharyngis, sub nixu deglutitionis. Sequentibus diebus dolores protenduntur ad oris postrema et bronchia, nec, licet auris non dolebat, per duas tamen septimanas molestiae, bombi, tinnitus, aurem obtundentes, prorsus cessaverunt."

Quaerentes quid anatome pathologica docuerit circa mutationes, quas subeunt hae partes inflammatione tentatae, perpaucum illud esse reperietis. Nam ne de iis, quae in BONETI *Sepulchreto* leguntur, moneam: de muco plurimo internam tympani caveam obsidente, de condensatis excrementis crus-

tulae forma illam membranam obducentibus, de carne nativa ipsi obtensa, partim brevissimis illis, partim ad rem minus facientibus, ipse Morgagnus, in aliis copiosissimus et locupletissimus auctor, paucas tantummodo profert observationes auris inflammationem spectantes multumque abest, ut habeamus anatomen pathologicam auris internae suis numeris absolutam.

Itardus in *Tractatu de Morbis Aurium Auditusque* aliquot notavit cadaverum sectiones, quae otitidis historiam illustrant. Obs. 7. exemplum praebet otitidis caveae tympani, quam mors secuta est, ut auctori visum est ex pleuritide metastatica, ut mihi videtur, ex metastatica potius bronchitide. Dolor utramque aurem, praecipue vero sinistram afflixerat, saevus, lancinans, pulsans, manducatione et deglutitione difficili, cephalalgia vehementi, pulsu duro, pleno. Tunc sese aeger aurae frigidae noctu exposuerat, quia in lecto quiescere non poterat; inde dolor aurium minor, sed novus isque profundus sub mamma sinistra, quem aeger non accusabat, nisi sub tussi, ex stupore, in quem inciderat, excitatus. Post obitum auris dextra monstravit membranam tympani rubram, tumidam, villosam, tectam muco puriformi, omnem tympani caveam replente, vincula membranacea, quae ossicula jungunt praetermodum crassa, membranam tympani margine extante cinctam, ut cavum monstraret, cujus fundus solummodo natura-

lis erat crassitiei et pelluciditatis; cellulas mastoideas pariter et tubam Eustachii muco refertas eoque crassiori et minus puriformi, quam in tympani cavea, praesertim crasso ad orificium faucium ibique hanc viam obturante atque materiae mucosae effluxum impediente. Auris sinistra licet plus dolebat antea, minus tamen erat inflammata et quamvis membrana tympani et tenuis erat et splendens ut solet, perquam rubebat nihilominus, uti etiam Eustachii tuba, quae non erat obstructa: ut videretur mucus hac via effluxisse. Dura mater, os petrosum tegens, erat inflammata, ossis ipsius color tristis: inter utrumque collectus erat humor gelatinosus, limpidus.

Dolendum est, in hac observatione labyrinthum auris sinistrae non esse reclusum, unde forsitan saevissimus in hac aure dolor potuisset explicari. Nimirum gravior erit dolor, ubi ad labyrinthum pertineat morbus: hinc enim cephalalgia, pervigilium, delirium, phrenitis, mors ipsa timenda est. Quodsi labyrinthum membranaceum, ex serosarum genere esse statuamus, non obscura erit et tanti doloris et tam gravis morbi ratio. Quae hujus loci sunt observationes binas a Doctissimo VIRICEL factas in *Diction. des Scienc. Med.* relatas legimus. In utraque dolor atrox, febris vehemens, delirium, mors cita, et quod miramur, nec imitandum vobis proponimus, opiata data, omissa sanguinis detractione universali. In priori post obi-

tum tympani cavum ferme totum tumente mucosa et rubente repletum: canales semicirculares et cochlea humorem subrubrum, purulentum recondebant. In altera tympani cavum materia viscosa, crassa, purulenta, canales semicirculares materia serosa et pseudomembranis rubentibus referta. An in simili casu, suadente VIRICEL, recte vesicans auri imponitur, an injectiones de lacte per tubas injiciendae, monente eo, qui rem retulit, SAISSY? an rectius valida curatio antiphlogistica, similiter ac in phrenitide aliisque aliarum serosarum inflammationibus adhibebitur? Haec ea otalgia est, quae a medicis Cois tanquam periculosa damnatur *Praenot. Coac.* 189. eique respondenti loco in *Prognost.* Ejusdem loci sunt observationes aquulae Cotunnii depravatae, caseosae, spissae, quam, me quidem judice, DUVERNEY recte repetivit ex membranarum investientium praegressa inflammatione, cujus sententiae, licet auctoris Francici, nulla, quod miror, fit mentio in *Diction. des Scienc. Med.* l. l.

Transit otitis saepenumero sive in muci, sive in puris fluxum. Quae levior in muci profluvium, quae gravior in pyorrhoeam abit. Haec plerumque otitidis internae ejusque chronicae sequela est. Muci profluvium sive otitidem catarrhalem protopathicam sequitur, sive ex deuteropathica nascitur aliisque blennorrhoeis, aut arte, aut sponte suppressis: oculi, vaginae, uteri, urethrae. Ad eam excitandam praesertim facit diathesis scrofu-

losa. Hanc ITARDI observationem ipse adeo veram esse expertus sum, ut fere nullam viderim chronicam otorrhoeam, quin scrofulosa ejusmodi diathesis subesset. Praecipue vero ex porrigine larvali, sive ea specie tineae capitis male curata succressit, quae mucosa ALIBERTO dicitur, aut in eam commutatur. Haec scribenti in memoriam redeo duarum puellarum, utriusque scrofulosae, quarum otorrhoea alterius chirurgi arte, alterius sponte suppressa erat. Alteram vesicans pone aurem adpositum datumque infusum chamom. cum tartaro emetico sanavit. Alteram duo fonticuli in utroque brachio suscitati et pulveres e mercurio dulci et jalappa (erat enim succiplena, ut prior contra corporis habitu macro) simul et capitis vitio et auris liberarunt. Ab otorrhoea purulenta non facile discerni ITARDUS nobis auctor est: discerni tamen posse absentia signorum pyorrhoeae, membrana integra, id est non rupta ejusque adspectu fungoso, tumente, non ulcerato. Ea quae ab humoris petitur copia, colore, odore discrepantia, infida est et fallax, neque apta ad utramque otorrhoeam indicandam. Quodsi subsistat subito, cautos nos esse oportet, quia humor retentus membranam tympani irritat, inflammat, ulcerat, aut in vicinas caveas profunditur: in cellulas praecipue mastoideas et cranii cavum, aut non secretus aliarum partium metastaticas, quae dicuntur, inflammationes denotat: oculorum, cutis, glandula-

rum, testiculorum, cerebri. Hoc in primis ab otorrhoea purulenta exspectandum est, non tam, quod vulgo creditur, ex metastasi, quam quod crebrius evenit, ex nova inflammatione prius jam existente et veterem puris fontem claudente. Nam morbos aurium propter congestionem, quam in cranio et faciunt et sustentant, disponere ad morbos cerebri facile intelligetis. De utriusque morbi cognatione egregie, ut solet, scripsit clarus medicinae professor Monspessulanus Lallemand in ejus libro aureo: *Récherches sur l'Encéphale et ses Dépendances*, quo nemo propius, me quidem judice, ad Morgagni immortalis praestantiam accessit. Hic igitur citat numerosos casus hanc cognationem plurimum illustrantes. Sub numero 18 legitur casus, quem scripto consignavit Jo. Abercrombie, juvenis, cui otorrhoea auris sinistrae diuturna postquam cessaverat, ulcere cicatrice clauso, gravis oborta est cephalalgia cum vomitu crebro, comate, stupore, quae exceperunt loquacitas, pulsus mobilis, mors inopina, sine paralysi, aut convulsionibus. Magnus in cerebri hemisphaerio dextro ejusque parte media abscessus, sanguinis coagula, in ventriculis serum cruentum plurimum. Animadvertite quaeso, rem indicante Lallemando, fuisse abscessum in hemisphaerio dextro, quanquam auris sinistra aegrotaverat. Quum vero symptomata cerebralia, in illud ipsum tempus inciderunt, quo ulcus auris sinistrae ducebat cicatricem, non in-

congruum videtur cum hoc auctore credere, cerebri inflammationem otorrhoeam suppressisse, quemadmodum ex pleuritide, peripneumonia, aliorum ulcerum exsiccatio fieri observatur.

Hac observatione crebrior est altera, in eodem latere et aurem aegrotare et cerebrum abscedere, quod ut antiquiores ita interpretari solebant, ut otorrhoeam crederent symptomaticam ex cerebro suppurato, ita MORGAGNUS contraria ratione, cerebri abscessum ex aure ulcerata repetit. » Sunt aurium ulcera, sic ipsum hac de re praecipientem audimus, non temere claudenda, non tam ob id, quod rarius est, ne saniei exitus e cranii cavea per aures intercludatur, quam ob id, quod longe frequentius est, ne saniei ex ipsis auribus intercluso exitu caries vel fiat, vel augeatur sicque multo facilius et citius in cranii caveam perveniat." In rei testimonium et BONETI in *Sepulchreto* et aliorum virorum doctorum observationes commentatur et ipse observationes binas citat, alteram pueri, quem variolarum reliquiae olim male habuerant ad aurem dexteram, cui tumor obortus est, cum annum ageret duodecimum, pone eandem aurem, quae surda erat et pure manabat, quo educto convulsiones puerum prehenderunt, nec ita diu post mortuus est; alteram juvenis, qui antiquam, ut videbatur, fistulam supra dextrum mastoideum processum habebat. Is in nosocomium exceptus non propter fistulam, sed propter febrem, quae acces-

serat, hac intra paucos dies augescente sic delirans, ut ad soporem inclinaret, mortuus est. In priori casu pus in cavo sellae equinae et ad dextrum cerebelli latus repertum est, sic ut puris aliquid descendisse videretur ad initium spinalis medullae. Aditus puris in cranii cavum in ea facie erat ossis petrosi, qua ejusdem processus dexter et sinister respiciunt inter se, ubi foramen fecerat caries, unde pus effusum utramque meningem eroserat. In casu altero vasa cerebri omnia sanguine turgida reperta sunt, multa autem aqua viridescens in ventriculis lateralibus, in qua pus ejusdem coloris subsidebat in ventriculo quidem dextero. Sed multo major ejus puris copia effusa erat inter meningem duram et eam faciem petrosi processus ossis temporum, quae facies in superiori observatione indicata est sicque inter utrumque sibi viam inde fecerat in tubum usque vertebrarum. Plena quoque erat ejusdemmodi puris tympani cavea. Progressa autem caries pone aquaeductum Falloppii et canales semicirculares eam, de qua dictum est, faciem petrosi processus eroserat ad modum rimae non angustae a posteriore latere ejus foraminis, quod ambas portiones excipit nervi auditorii, quam rimam obtegens dura meninx ibi quidem exesa conspiciebatur, sed ad longitudinem minorem, quam rima erat. In utroque igitur casu cochleam exeserat caries et pus in cerebellum effusum erat. Suppar casus fuisse videtur Medici Chirurgi Le Blanc,

qui tanquam exemplar felicis sanationis spontaneae lectu profecto est dignissimus: *videtur*, inquam, siquidem ipso aegrotante sanato res ulterius indagari non potuit, neque evictum est, utrum a cerebro defluxerit pus, quod auris profuderat. Ea petrosi ossis pars carie exedi solet, quae canalibus auditoriis exarata est ideoque tenuissima: in cujus vicinia etiam abscessus cerebri et cerebelli vulgo reperiuntur.

De multis, quae huc pertinent locis inter medicos controversia est: quapropter praestabit hic paululum subsistere remque ab initio repetere.

Ex chronica otitide potissimum otorrhoeam purulentam fieri animadvertunt, in qua morbus tria stadia percurrere notavit Harrison Curtis. Primum, ubi pyorrhoea, sive otorrhoea purulenta est tantum; alterum, ubi polyposae fiunt excrescentiae; tertium, ubi partes osseae ipsae atque praecipue ossicula auditus carie afficiuntur. Morbum igitur cernimus a partibus mollioribus continuo ad partes duras progredientem et has ipsas carie destruentem, qua facta vel ad processum mastoideum puri exitus fit, vel ipsum os petrosum carie perforatur et cerebrum in mali societatem trahitur. Saepe abscessus cerebri cum otorrhoea purulenta conjunctus cernitur. Quod alii aliter interpretari solent. Antiquiorum opinio fert, a cerebri abscessu otorrhoeam purulentam ut plurimum proficisci: recentiorum contra illum ex hac ipsa subnasci.

Hanc opinionem tuetur MORGAGNUS cumque eo facit LALLEMANDUS. Atque ita plerumque rem se habere, hujus rationibus victus lubenter concedo. Semper autem ita esse, adfirmare vereor.

Nam si fieri possit ab aure ad cerebrum, cur a cerebro ad aurem fieri negaremus? Praesertim cum casus citentur, qui hoc modo sat commodam habent intelligentiam: post capitis laesiones mechanicas, qualem a praeceptore Viro Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK secum communicatum refert WILLEMIER l. l. pag. 57 sq., in quo symptomata affecti capitis secuta demum est surditas et in cadavere inflammatio auris inflammatione cerebri recentior (quippe nondum, ut in cerebro ad suppurationem res pervenerat) adparuit.

Saepe cum cerebri suppuratione conjuncta pyorrhoea auris est, saepius praecipiente ITARDO cum carie apophyseos mastoideae. An otorrhoeae purulentae semper subsit caries, uti contendit ITARD, aliis, nec immerito, dubium habetur. Cariem denotant gradus morbi, pus instrumenta argentea nigrescere faciens, fragmenta ossea foras prodeuntia. Pus subinde per Eustachii tubas in fauces exque iis sive in ventriculum, sive in tracheam defluit, atque aut vomitu, aut tussi, sine ulla harum partium laesione evacuatur. Prioris exemplum est in casu Medici Chirurgi LE BLANC eodem illo, quem supra memoravi. Puris in tracheam effusi historiam profert ITARD. » Mulieri innuptae conva-

lescenti ex catarrho febrili, quum vespertino tempore in herba diutius consederat, imprudenti otitis suscitata est, quam die 10°. sequitur puris per tubam Eustachii effluxus, per mensem integrum perennans. Noctu pus fluebat in tracheam atque aegram titillatione et tussi e somno excitabat."

Immo in thoracis caveam fluxisse ibique fecisse empyema observavit Abercrombie. » Puellae ex otitide factus est abscessus pone aurem eoque aperto primo nihil, deinde altero demum die pus effluxit foetidum, die sequenti dolorem in latere sinistro sensit aegra. Quatriduo post obiit. Os temporum dextrum cariosum, dura meninx fungosa, auris interna humorem profunde tinctum habebat. Pleurae cavum sinistrum puris libram recondebat."

Processus mastoidei caries, qua hujus cellulae in unam magnam saepenumero confluunt, abscessu extus facto, cutim mutat eoque non rite evacuato, juxta musculum sterno-cleido-mastoideum pus defluit ibique congeritur, partes interiores irritans ipsaque ossa carie afficiens.

Reputanti, quam diversa sit sedes inflammationis, quam obscura, quam recondita auditus officina, difficilem fore partium aegrotantium cognitionem, dubium erit nemini. Quamobrem in signis singulis interpretandis paullisper subsistamus. Dolor levior universe in otitide externa, gravior longe in otitide interna, gravissimus ubi auris internae serosam partesque nerveas attigerit phlogosis aut ce-

rebri membranas hocque ipsum. Qui si ad gulam extendatur, Eustachii tubam aegrotare indicat. Levatur subito, rupta tympani membrana pureque effuso. Surditas nequaquam constans est symptoma otitidis oriturque sive interclusa aëris ad aurem via, vitio meatus auditorii externi, inflammatione coarctati, sero, abscessu, mucosae polypo, fungo, tympani tumore, carie auditus ossiculis destructis; sive sonorum perceptione sensuque laesis, vitio cerebri nervorumque. Quod effluit vel mucus est, in otorrhoea catarrhali, vel pus in otorrhoea purulenta. Pus aut a cerebro provenit, aut ab aure ipsa. Si prius, symptomata cerebri aegri: cephalalgia, convulsiones, paralyses, comata, deliria praecedent; si posterius, sequentur aurium aegrotantium symptomata. Medulla pure compressa aut irritata, opisthotonus, trismus, dysphagia fiunt. Si caries aquae ductum Faloppii laeserit, symptomata prodeunt dolorum et spasmorum in facie similia symptomatibus prosopalgiae, irritato scilicet nervo faciali, qui hoc ductu continetur; nervo destructo, paralysis musculorum in facie sequitur, ut faciem apoplecticorum referat. Pus per Eustachii tubam in fauces profusum, sapore, halitu oris, ejusque exspuitione detegetur; in tracheam, titillatione, tussi; in oesophagum et ventriculum, vomitu dignoscitur, postquam praecesserant otitidis signa sensuque materiae e naribus per fauces in ventriculum dilabentis. Potissimum vero caries

processus mastoidei indeque abscessus contingit, cui nisi medeatur natura, cariosa simul cum pure ossis parte ejecta, abscessus creat in collo, aut empyema in thorace.

Ex morbis sese cum otitide complicantibus inter alios catarrhus memorandus est et affectio gastrica, notantibus Pinellio, Itardo, Hoffmanno, Frankio, suis quique signis discernendus. Praeter laesiones mechanicas et peregrina in aurem illapsa, de quibus Morgagnus, Curtis, Sabatier aliique, qui de aurium morbis scripserunt auctores conferantur, humidum frigidum inter praecipuas est otitidum prophases recensendum.

Verum ad sermonis exitum properantes nonnulla moneamus circa prognosin et therapeiam. Et prognosin quod attinet, in mentem venit Coi Senis monitum: surditatis esse in alvi profluvio remedium, quod et in simplici, pura otitide, tanquam revellens quod dicitur, et in gastrica, tanquam naturae catharticum proficuum erit. Uti revellens in alvi fluxu, ita derivans in otorrhoea remedium recte habetur ipsumque pus secretum, ubi in abscessum transierit morbus, vel per Eustachii tubas effluit, vel quod saepius, rupta tympani membrana, vel denique si ad cariem processus mastoidei res pervenerit, cute inflammata, absorbta, ulcerata, extus ejicietur materies purulenta. Quam utramque naturae methodum manus chirurgi, pertusa membrana tympani sectave in tempore cute, imitari felici-

ter poterit: dummodo tempestive fiat omnibusque rite ponderatis.

Circa therapeiam, quia crebro in ea peccatur, quaedam praecipienda sunt. Morbus ut est phlogisticus, sic antiphlogisticam curationem postulat, a qua nulla vos debet virorum magni nominis abducere auctoritas. Nam bene medendi sapere est principium et fons. Itaque venam audacter pertundite, magnumque remedium magno malo opponite; quod et senectus feret et aetas tenera et ipsa denique fallax illa morbi nervosi species, neque Hoffmannum imitamini, qui quod senex esset aeger, noluit sanguinem detrahere, neque alios, qui doloris ac pervigilii caussa paregorica atque opiata laudant. Sunt enim dolor et pervigilium partis nerveae, acute sentientis, inflammatione tactae symptomata, quae liberato tantum vasorum genere sopietis. Neque ipse vesicantium stimulus tutus est, nisi retuso inflammationis impetu. Hoffmannus negligentiam et sibi ipsi et aegro longae curationis taediis redemit. Opiata vero utut ab Itardo aliisque commendata, tum ore ingesta, tum auri inflammatae imposita, quantopere noceant, sequens nos docebit casus a Zacuto Lusitano memoria proditus: Hispanus quidam auris vehementissimo dolore oppressus, plurimos dies insomnis egit, in quibus universalia et topica auxilia sunt celebrata, sed contulere nihil. Hoc cruciatu miserabiliter afflictus pseudomedicorum opem implorat. Hi

ut sunt ignari et audaces, medicamina ex opio ad provocandum somnum sedandumque dolorem intra aurem imponenda consuluere, quo injecto post horam paullo quievit. Ilico tamen ingenti tremore concussus, stupidus veluti et amens remansit, et praecedente vertigine, potentiis omnibus deinde extinctis, veluti sideratus perpetuo obdormivit *Prax. Med. Admir. Obs.* 66. *lib.* 1.

Pure facto, tum gargarismate emolliente utendum est, quod ipsum ad Eustachii tubas derivet, tum si haec non juvarint, pertundenda membrana tympani est. Injectiones tepidae, fomenta, cataplasmata auri inflammatae admovere, minus tutum videtur, neque ulceratae etiam, nisi intempestive subsistente otorrhoea, quam revocavit saepius panis recens et calens adhucdum auri iterata vice impositus, quod Itardi praeceptum, ductum forsitan ab Hoffmanno, non in omni casu convenire, alii recte monent, verum ad caussas suppressae secretionis, uti semper, adcommodanda esse illius revocandae auxilia. Cum adstringentibus irritantibusque remediis caute admodum mercandum est; in quibus laudandis medici Brittanni praesertim nimii esse videntur. De injectionibus haec habet Hoffmannus: quemadmodum in oculorum vitiis multae gravesque noxae ab externorum maximeque collyriorum incauto usu propullulant, ita in aurium affectibus idem fieri observatur, siquidem varia experimenta et tentamina per instillationes li-

quorum spirituosorum, oleosorum, pinguium et ejusmodi plura plerumque cum damno adhibentur. Oleum lini injectum subito suppressisse otorrhoeam infantis eumque post paucos dies convulsum periisse, refert Itard (l. l. Tom. I. pag. 122.). Universe injectiones nocituras magis, quam profuturas opinamur iisque lotiones ex aqua et lacte tepidis aut turundas bombycinas lacte tepido madidas anteponendas esse. Notandum etiam, plures otorrhoeas vel scrofulosas esse, vel syphiliticas, vel ab alia dyscrasia provenire et medicamina requirere interna, huic opposita, ex quorum numero mercurialia sunt cum laxantibus: rheo, jalappa copulata, exutoria, succi herbarum recentium, C. Peruvianus, pilulae tonicae Bacheri ab Itardo aliisque commendata, vel hujus methodus metasyncritica, singulis cum aegrotantibus, tum profluvii caussis idonea, de quibus suo singulis loco dicendi opportunitas erit.

An igitur nunquam convenient adstringentia topica, quae sibi toties profuisse testatur celeberrimus aurium aegrotantium medicus Jo. Harrison Curtis quibusque otorrhoeae progressum et in cariem transitum praevertisse contendit? Propter brevitatem relationum de singulis judicium ferre nequeo. Sed animadvertite quaeso, ab ipso inprimis laudari in profluvio meatus auditorii (*Treatise* pag. 103.) atque ut plurimum simul interna remedia esse data. Quocirca nisi prorsus topicum vi-

tium fuerit, prius emendanda diathesis videtur, quam admoveantur auribus aegris remedia, quam etiam methodum in aliis ulceribus proficuam esse experiemini.

Quodsi alia evacuatio suppressa otorrhoeam provocaverit, haec revocanda est. Abscessus pone aures aperire tempestive oportet. Interdum hanc encheiresin brevi mortem secutam esse ferunt atque exemplum citant relatum a MORGAGNO, qui tamen minime hanc ipsam accusat, sed morbum per se lethalem. Vid. Epist. XIV. art. 3 sq.

Ubi polypus aurem tenet, hic amovendus sive sectione, sive ligatura cavendumque, ne confundatur cum fungo, qui cariei symptomatibus, quam comitatur dignoscitur, atque sive ex tympani membrana, sive ex dura meninge succrescit. LALLEMAND Ep. 4. T. II. pag. 215.

Denique caussas mechanicas si quae subsint, removendae, id quod exemplo illustrat carissimus mihi Dissertationis de Morbis Aurium Auditusque auctor (pag. 6.)

» Quod saepe parvum corpusculum in aurem
» intrusum, vehementem otitidem possit procre-
» are, nuper docuit observatio quaedam doctissimi
» MACARTAN, qui cum nihil in aegri aure videre pos-
» set, huic jam praescripserat medicinam, ad quam
» etiam pertinebant (ut fert hodiernus in Gallia
» mos) viginti hirudines post apophysin mastoi-
» deam collocandae; dein autem, antequam aegrum

» dimitteret, denuo in aurem ita inspexit, ut radii
» solares ipsum meatum ingressi, et ope lentis ad-
» augentis collecti, accuratam satis et distinctam
» observationem concederent. Quo facto seta quae-
» dam apparuit, pilo auris aliquanto crassior, quae
» extracta pollice longa reperiebatur et pro frus-
» tulo spicae secalis agnoscebatur, hac vero re-
» mota, otitis tanquam magica quadam arte pro-
» fligata est.

Praeterea tenuis victus iis, qui otorrhoea laborant, praescribendus, quod quantum conferat ad sanationem, incredibile dictu est. In rei testimonium afferre lubet aegrotantis ab Itardo (l. l. pag. 225.) laudatam historiam.

» In Ephemeridibus Naturae Curiosorum anni 1675. casus citatur Poloni, viri nobilis, qui postquam diu passus erat gravissimos dolores capitis, auris sinistrae pyorrhoeam experiebatur copiosam, quam cohibebat diaeta tenuis. Aure aegra hebetiori paeneque surda, quamdiu erat jejunus, altera aure obturata exacte discernebat vocis modulos varios."

Nec tamen omnibus hic victus proderit, immo infirmiores et graciliores habitu paullo plenius nutrire conveniet iisque vel tonicam Peruviani Corticis virtutem salubrem esse et res ipsa docet, et ostendit usus. In libro medici experientissimi Jo. Harrison Curtis reperietis casus, qui hujus methodi roborantis testantur salubritatem.

Caeterum de morborum cerebri et aurium cognatione egregie, ut solet, scripsit clarus Medicinae Professor Monspessulanus Lallemand, a quo et ipse profeci plurimum et vos etiam, ut plurimum proficiatis, vehementer cupio. Cf. ejus liber aureus *Récherches sur l'Encéphale et ses Dépendances*, antea laudatus.

DE OPHTHALMIA.

Cogitanti, quot quamque variis partibus oculus constet, mirum esse nemini poterit, hoc organon multis patere et variis morbis, quorum solae inflammationes, quae hoc loco exponentur, tot numero sunt, quot in reliquis animadvertuntur partibus corporis. Nam telas si spectetis singulas: cellulosam, mucosam, serosam, fibrosam, cutim, ossa, cartilagines, tendines, vasa, nervos, musculos, eas in oculo reperietis universas. Nec minores numero morbi sunt, quibus oculus obnoxius est: neuroses, phlogoses, quique organici adpellantur, imo quae corpus tenent dyscrasiae et cachexiae in oculo suis singulae signis notabiles adparent. Quocirca vere monuit praeclarus ophthalmologus Beerius, ut homo microcosmus respectu naturae universae dicitur, sic oculum microcosmum esse respectu hominis ipsius, animum et cor-

pus reflectentem: atque jure merito Jungkenius, ut ille de hac disciplinae medicae parte optime meritus, tantam esse animadvertit vim hujus partis in corporis valetudinem, ut caecus ipso habitu denotet languentem vitam plasticam, quae denovo animatur lucis organo integro. Et profecto animadvertite quaeso, quam late pateat per animalium regnum visus, qui neque ab insectis et annulatis, neque a molluscis abest prorsus cuiusque instrumentum in ipsis minus caeteroquin perfectis animalibus, ab homine longe remotis, mirifice compositum, ad eundemque prorsus typum atque in homine effictum est.

Inflammatio oculi vel partes externas: tutamina tenebit, vel bulbum ipsum. Pertinent tutamina oculorum ad systema cutaneum et mucosum, atque iisdem etiam inflammationibus tentantur, quarum eo major est candor, quo corpus antea sanum magis et integrum; quodsi aut dyscrasia subsit, aut cachexia peculiaris et turbata erit morbi imago et decursus anomalus. In oculi cute efflorescunt exanthemata acuta, chronica: erysipelas, scarlatina, morbilli, variolae, scabies, herpes, hujusque pariter loci sunt blepharitis erysipelatosa et glandulosa Beerii, tum hordeolum, anchylops, quorum caussae sunt sive in gastrico systemate, sive in catarrho, sive in dyscrasia corporis, aut cachexia peculiari. Exitus in bullas, ulcera, squamas, hanc cum morbis cutaneis analogiam probant. In

praesagiis et medendi ratione caussarum in primis ratio habenda est. Ubi idiopathica cutis irritatio est, juvabunt actu frigida, quae ubi sympathica est, nocebunt. Vitanda etiam pinguia, ne ulceratio fiat. Quae sub nomine blepharophthalmitidis idiopathicae a BEERIO describitur et cutanea esse et cellulosa inflammatio videtur, quemadmodum tumor ingens, dolor pulsans inque abscessum transitus, verbo phlegmones symptomata testantur.

Inspicientes vero pulcherrimas SOEMMERRINGII icones, ingentem videbitis cum arteriarum tortuosarum ex carotide cerebrali, tum venarum ad venam jugularem internam, tum nervorum a 5ª. conjugatione, ex ramis rami primi et secundi, frontali nimirum, et infraorbitali adparatum, simulque et doloris et ruboris et pulsationis validae caussam ex illarum partium phlogosi intelligetis.

Quae blepharophthalmia glandulosa BEERIO dicitur, comprehendit plures varietates: catarrhalem, gonorrhoicam, quae vera blennorrhagia oculi syphilitica, ophthalmiam neonatorum, quae proprie conjunctivitis palpebrarum, cujusque promptus est in blennorrhoeam transitus. Disputatum est, utrum glandulae Meibomii sebaceae in hac inflammatione tentarentur, quod BEERIO visum, an cryptae muciparae ipsaque mucosa, quae sententia MULLERI. Nec dubitandum, saepius hasce, quam illas aegrotare, licet nec desint exempla illarum etiam morbo mutatarum, Cf. SOEMMERRING

Icon. Org. Visus Tom. II. fig. 15. coll. cum fig. 10. Id etiam subindicare videtur Jungken l. l. p. 124., ubi glandularum tumores nodosos duros commemorat. Secernitur mucus copiosus sub levi palpebrarum motu, pleno rivo in genas defluens, spissior, purulentus, tenuior, ichorosus, oculi colliquationem praenotans. Conjunctiva insigniter tumens facile levique caussa ectropium facit: quo facto conjunctiva cernitur profundo rubore colorata. Etiam gena ejusdem lateris et saccus lacrymalis, aut mucosa narium in mali societatem veniunt. Aliquando sanguis profunditur, incipiente suppuratione, quod ubi infantibus evenit, parentes terret graviter: nec peritum terrebit medicum, declinante post haemorrhagiam morbo. Justa metus suboritur caussa, ubi et bulbi conjunctiva inflammatur, quod tumor rubicundus inaequalis circum corneam indicat, sensim hanc ipsam occultans et mucum purulentum profundens ubertim eamque sub specie membranae investiens, oculi conjunctiva carnis habitum induente. Spes iterum redit, quando suppuratio in muci fluxum atque conjunctiva detumescente, hic tandem in epiphoram, sive lacrymarum profluvium terminatur.

Destructis suppuratione partibus, vel conjunctiva corneae secedit ac tarde demum visus redit, vel ipsa cornea albescit, exulceratur perque corneam exulceratam penitus membrana iridis erumpit, facto staphylomate racemoso, quale Tab. 1.

fig. 1. Beerii depictum cernitur: ac nisi obex morbo ponatur, et lentis capsula exulceratur et lens egreditur et corporis vitrei pars, totusque bulbus suppuratione colliquescit. Prognosis eo infaustior, quo magis ex blennorrhoea palpebrarum oculi blennorrhoea facta sit, curaque eapropter minus facilis, quia hic morbus infantes pauperes, plebejos solet infestare, ex pravo aëre, alimento, immunditie, quae in hisce non facile emendabitis, aut corrigetis. Primo morbi tempore fomenta frigida validaque alvi purgatio et hirudo ad oculi canthum internum, deinceps remedia e tonicorum classe laudantur. Mihi praeter nutrientia, praecipue lac maternum, crebra ac religiosa oculi lacte calido aliove collyrio emolliente per mollissimam spongiam lotio et a sordibus purgatio pulveresque Plummeri omnium optime satisfecerunt.

Simplex oculi catarrhus, sive tutamina oculi, sive cum his bulbi conjunctivam invadat, dignoscitur conjunctivae rubore, aucta glandularum secretione, muco in crustas ad oculi canthos marginesque collecto, noctu palpebras conglutinante. Ardent oculi et exacerbatione vespertina tantus molestat pruritus, ut oculos fricare vel inviti aegri cogantur.

Vel conjunctiva palpebrarum, vel bulbi, vel utraque, quod rarum est, aegrotat. Saepe phlyctaenulae in conjunctiva adparent, quae rumpuntur et exulcerationes relinquunt aphthosis similes.

Quae sub nomine *conjunctivitis* hodie describitur maximeque vulgaris est species ophthalmiae, incipit a sensu doloris prementis corporisque peregrini, grani sabulo v. c. in oculum illapsi, praesertim sub palpebra superiore, ad oculi canthum externum.

Conspicitur reticulum vasorum majusculorum oculo reliquo impositum, sub hujus motu locum mutantium, translucente sclerotica integra, alba. Decurrunt haec vascula ad marginem corneae, quem non superant. Photophobia, lacrymarum aucta secretio, exacerbatio vespertina, mucus matutino tempore ad oculi canthos collectus levisque palpebrarum rubor ad tarsos animadvertuntur. Saepius scrofulosa est, quam excitant crebro exanthemata, praesertim vaccinia, quaeque praeter curam inflammationis universam antiphlogisticam, aut subantiphlogisticam et diaetetica auxilia, motum in aëre puro, victum nutrientem, balnea, medicamina antiscrofulosa poscit, mercurialia praecipue et antimonialia, derivantia, revellentia (*), qualia ad morbum scrofulosum curandum praecipientur.

Sclerotitis (†), ut fibrosa ipsa, sic symptomata

(*) Wardrop *The Morbid Anatomy of the Human Eye* Sec. Ed. Lond. 1834. Vol. I. Tab. 1. fig. 1. Infl. conjunctivae Tab. II. Infl. conjunct. corneae.

(†) Wardrop Vol. I. Tab. 1. fig. 2. Infl. corneae et scleroticae.

profert fibrosarum inflammatarum communia: dolorem cum tensione sub motu bulbi auctum, photophobiam, sensum plenitudinis, levem ruborem roseum, lacrymarum fluxum, sive epiphoram periodicam. Tandem et conjunctiva rubet, rubore proprio, tumet cornea, humoris aquei plena, fit convexior ejusque membrana interna affecta tristem colorem ducit. Iris fit rigida, immobilis, pupilla angusta, dolor et photophobia increscunt, bulbus quasi e capite elapsurus videtur, ac sub tanta inflammationis vehementia alter quoque oculus laeditur patiturque, ut prior, photophobiam et epiphoram periodicam. Inter scleroticam et conjunctivam exsudat lympha atque exoritur *chemosis* (*), qua facta expansaque conjunctiva subinde cornea obvelatur fitque interdum abscessus ad marginem corneae. Saepius rheumatica est, aut arthritica haec inflammatio, aut cataractae extractionem sequitur. Morbus gravis est, strictam requirens curationem antiphlogisticam. Quum rheumatismus oculum occupat, aut hanc membranam, aut corneam solet affligere. Aliarum partium dolores sentiuntur rheumatici, etiam vicinarum capitis. Orbiculus vasorum corneam cingit. Doloris exacerbatio vespertina est ad mediam usque noctem, etiam aëris vicissitudinibus exacerbatur in-

(*) *Chemosis* gravis oculi inflammatio, depingitur a BEERIO Vol. I. Tab. 1. fig. 4.

que serosas oculi: membranam corneae internam atque capsulam lentis pertinet, quo facto hebescit visus. Juvant praeter depletiones, vesicantia nuchae imposita atque rheumatismo idonea curatio.

Ceratitis a levibus symptomatibus incipit, cornea pellucida esse desinit, coloris fit grisei. Ponderis sensatio est bulbum prementis, vasa cernuntur in conjunctiva scleroticae ad conjunctivam corneae decurrentia cumque hujus vasculis coëuntia. Ex graviori morbo etiam interna membrana afficitur, iris fit immobilis, rigida, pupula arctior, humor aqueus uberior. Qua parte inflammata est cornea, tumet, expanditur. Transit morbus aut in lymphae exsudationem, aut in abscessum: hoc nato, nisi pus resorbeatur, aut in cameram anteriorem effunditur, inter corneae lamellas, aut ad locum declivem decidit. Initio morbi fomenta frigida adhibenda ac topicae per hirudines depletiones, deinde facta jam suppuratione, mercurio resorbtio tentanda, neque abscessus aperiendus est.

Iritis duo habet signa characteristica: pupulae angustiam iridisque et coloris et structurae respectu mutationem. Dolor in fronte primum ad supercilia sentitur, inde photophobia accedit, iris colore mutatur et, deposita structura fibrosa, adspectu fit pultaceo, tumet, ad corneam accedit et cornea ipsa afficitur, colore mutatur, et corpus ciliare levi rubore translucet, et dolor in bulbo percipitur,

ad orbitam usque, cum sensu plenitudinis et motus impediti. Jam ipsa scleroticae conjunctiva rubet, vascula rubra in iride comparent, perit videndi acies, pupulae arctae adspectus griseus est nebulosus, et oculus etiam sanus consensu afficitur. Transit in exsudationem plasticam aut abscessum, ac febre stipatur. Hujus inflammationis decursus celer est et celer in exsudationem transitus. Secundaria ex arthritide et syphilide nascitur. Prognosis dubia, exsudatione, suppuratione factis mala. Curatio stricte antiphlogistica sit oportet et cubet aeger in loco obscuriore in dorsum (*).

Capsulae lentis inflammatio crebra caussa cataractae est. Cernitur haec membrana colore margaritaceo a peripheria ad centrum procedente. Ab initio photophobia est et visus tanquam nube obscuratus. In iridem ipsamque lentem reflectitur morbus, quem excitant laesiones mechanicae, rheumatismus, arthritis. Exitus est in cataractam (†) aut concretiones cum partibus vicinis. Ad curationem laudantur depletiones, mercurialia, belladonna, lucis moderamen.

Hyalitis satis crebra idiopathica ex operatione

(*) *Iritis Idiopath.* oculi nigri Beer Tab. I. fig. 6. oculi caesii Tab. II. fig. 1. altero stadio suppurationis, rubente sclerotica, abscessu rupto, pure in camera anteriore oculi.

(†) Cataracta capsulae lentis Cf. Beer Vol. II. Tab. III. fig. 2.

cataractae, deuteropathica ex arthritide, unde glaucoma arthriticum. Postea chemosis fit, sensus pressionis et plenitudinis in oculo, pone pupulam, suffusio griseo-viridis: rigescit iris, visus laeditur, turbatur cornea, inflammantur reliquae oculi partes. Prognosis dubia, facta jam corporis vitrei suffusione; caecitas immedicabilis. Curatio fit per depletiones topicas repetitas, mercurium ad salivationem usque incipientem, purgantia leniora, infusum belladonnae. Cubiculum obscurum sit et decubitus in dorsum. Notandum, membranam hyaloideam propter naturam serosam in exsudationem pronam esse.

Choriodeitis rara est promptusque transitus in ophthalmitidem. Ab ictu esse similive laesione mechanica solet. Dolor vehemens, pulsans, lancinans cum tensione, pupula arcta, splendens, iris rigida, photophobia gravis, photopsiae ignitae, caecitas, rubore ex fundo oculi in albo oculorum translucente.

In *Retinitide*, quae etiam amaurosis inflammatoria dicitur, prompta caecitas est, cum gravi dolore punctorio per omnem oculum et gravis photophobia, cum chotopsiis pariter gravissimis. Initio nulla in oculo mutatio, deinde iris rigida, pupula arctior, splendens, sensus acutissimus ne levem quidem tactum ferens (*). Tandem in albo oculo-

(*) Beer, Vol. I. Tab. 1. fig. 5. ad fin. primi stadii.

rum cernitur aequabilis levisque rubedo. Cito decurrit brevique in ophthalmitidem transit.

Ophthalmitis protopathica ex gravi laesione est. Saepius deuteropathica, ex inflammatione alia. Gravis sentitur tensio, pulsatio, punctio; plenitudo totius bulbi ad orbitam, supercilia, frontem, caput. Ejus symptomata sunt: rubor conjunctivae, scleroticae, pupulae angustia, suffusio, visus cito periens, oedema palpebrarum, epiphora periodica, photophobia, photopsiae, affectio sympathica oculi sani, febris inflammatoria. Bulbus ex orbita prominens, sensus carbonis ardentis in oculo, deliria vespertina, nocturna. Transit in abscessum (*) (*hypopyon verum*) cum horripilatione, pulsatione, dolore oculi, capitis vehementi, atroci. Prominet bulbus extra palpebras, nascitur vortex purulentus. Prognosis ab initio jam dubia. Cura fiat per largas depletiones generales, topicas, repetitas; mercur. dulc. plena dosi, frictiones mercuriales, deinde narcotica. Abscessus factus non aperiendus est. Decrescente inflammatione topica adhibeantur tinct. opii, lapis divinus, vitriolum album, aqua rosarum. Prosunt tenebrae, decubitus in dorsum. (Jungken p. 187 sqq. Beer I. p. 384 sqq.)

Quas breviter notavimus ophthalmiae varietates, ita ab invicem differre animadvertatis velim, ut a

(*) Beer, Vol. I. Tab. 1. fig. 2., stadio secundo, facto abscessu atque instante ruptura.

singulis caussis singulae provocentur atque etiamsi idiopathicae nasci possint, tamen saepius ex peculiari in corpore aegrotantis diathesi originem ducant. Ita v. c. conjunctivitis a catarrho saepius provocatur inque scrofulosos praesertim cadit. Sclerotitis cum rheumatismo conjungitur. Iritis vel syphiliticae vel arthriticae saepenumero est originis. Inflammatio capsulae lentis et membranae hyaloideae crebro ab arthritide proficiscitur. Retinitis hominum est intemperiei nervorum atque ipsorum erethismo obnoxiorum. Quae observatio cum in variis ophthalmiis rite curandis, tum in explicanda genesi cataractae hujusque et prognosi et therapeia legitimis haud contemnendam sane utilitatem habet.

Operae profecto pretium est, descriptas a medicis ophthalmologis inflammationum oculi formas animo impressas habere, ut eas in aegrotis cognoscere possitis. Quocirca eorum auctorum laudanda est opera, qui quod deest autopsiae, iconibus compensare et adjuvare studuerunt. Nam vere Horatius:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

Consulatis igitur tabulas (Wardroppii praesertim et Beerii, qui quod ad naturam observaverant, ad naturam depinxerunt) ex quibus melius quam ex accuratissimis descriptionibus hae formae animo complecti poteritis. Animadvertatis aegri aeta-

tem, habitum, diathesin, oculorum humores secretos, exacerbationum, remissionum tempora; quodsi feceritis non multum a vero aberrabitis, in simplici non tantum, verum in complicata etiam morbi natura definienda.

Inflammata conjunctiva rubet, tumet, humorem secernit mucosum, primo tenuiorem, deinde crassiorem, purulentum atque villosae naturam adsciscit, quae nisi sanetur, exulceratur, perforatur cornea, prolabitur iris, fit staphyloma uveae, quale Vol. II. Tab. 1. fig. 1. Op. laud. Beerii cernitur.

Sclerotica inflammata dignoscitur levi rubore roseo, non profundo, qui conjunctivae est, neque locum sub motu bulbi mutante, sed stabili: neque mucus secernitur copiosus, sed lacrymarum acrium fluxus est et caetera rheumatismi symptomata: hujus enim naturae esse consuevit; dolores artuum, capitis, oculorum, sub motu aucti, aëris vicissitudinibus exacerbati, vespere, noctu increscentes, levati sudoribus et cantharidum stimulo. Subinde et cornea, fabrica scleroticae similis inflammatur, quando nec diaphana, splendens, translucens, tristem, griseum, albidum colorem ducit, nec lucem admittens, videndi acies perit. Inspecto oculo sicubi iris cernitur mutata colore aut griseo aut rubello, habitu pultaceo, pupula angusta, hanc inflammatam esse scitote. Ea inflammatio vel idiopathica est (Beer, Vol. I. Tab. 1. fig. 6. oculo nigro antea, nunc

rubro) quae in abscessum transit (ibid. T. II. fig. 1.) vel symptomatica, potius deuteropathica, ut prior protopathica, tum syphilitica (Vol. I. Tab. II. fig. 4.) tum arthritica (ibid. fig. 5, 6. et Tab. II. fig. 1.). Inflammatio retinae amaurosis inflammatoria, caecitate prompta (etsi initio nulla in oculo mutatio, dein levis tantum rubedo, pupulae angustia, iridis rigiditas adpareant) et saevo dolore notabilis, exprimitur Vol. I. Tab. 1. fig. 5.

Ophthalmitis denique vel omnem externum oculi bulbum occupat *ophthalmitis externa, chemosis* (Vol. I. Tab. 1. fig. 4. Beerii) vel cum hisce et internas oculi partes; quo in casu totus bulbus prominet (ut est in fig. 2. Tab. 1. ibid.)

De diagnosi et examine oculorum aegrotantium optime meruit Jungken. De anatome pathologica Wardrop. De graphica horum morborum descriptione omnique praxi ophthalmologica Beer, qui hanc disciplinae medicae partem ad certam methodum revocavit, leges therapeuticas sancivit et praecepta saluberrima practica dedit (*).

(*) Etiamsi sola conjunctivae inflammatio huius loci sit, malui reliquas etiam oculi phlogoses hic commemorare, quam alias ab aliis sejungere, existimans sic et varias formas aptius posse conferri et postea hunc locum iterato legi oportere, qua repetita lectione obscura prius, clarescent.

DE PHLEGMASIIS CUTANEIS.

Cutis inflammationes cum inflammationibus mucosis multis nominibus conveniunt, quamobrem de hisce postquam diximus, illas jam indagare et perquirere fert animus. Nec tamen facilis res est, siquidem tanta est formarum hujus generis varietas, ut paene innumera videatur. Nimirum aliae celerem habent decursum, aliae tardum, alias febris praecedit aut comitatur, aliae sine febre sunt. Aliae universum corpus foedant, aliae certas tantummodo corporis regiones. Aliis ruborum et macularum forma peculiaris est, aliis bullarum, vesicularum, pustularum, papularum, squamarum, tuberculorum, quodque rei difficultatem magnopere auget, differt forma horum morborum nascentium, increscentium, decrescentium, morientium, ita ut eadem cutis efflorescentia nunc macularum aut vesicularum, nunc pustularum, nunc squamarum speciem induat ideoque minus mirum sit, de distinctione et classificatione harum inflammationum et litigasse plurimum medicos et desperasse plurimos nec paucos neglexisse propterea ipsarum studium, quod inutile existimarent.

Formarum multitudini accessit naturae indolisque diversitas atque originis. Aliae nempe idiopathicae, aliae sympathicae, aliae protopathicae, aliae

deuteropathicae, aliae criticae, aliae symptomaticae, aliae a contagione, a topica cutis irritatione aliae ortae, nonnullae etiam hereditatis quodam jure translatae. Hisce si adjungatis, quae plura habet cutis anatome et physiologia desiderata, intelligetis, quot quantaque huic disciplinae nostrae parti excolendae, ut oportuerat, desint.

Remedium offert accurata cutis aegrotantis anatome, quam viam nuper demum ingressi sunt auctores Francici GENDRIN, RAYER et eorum ad exemplar in patria nostra SEBASTIAN, tum praesertim si cum formarum discrimine conferatur, quod ubi in summa efflorescentia, in ἀκμῇ sunt, monstrant, quo discrimine usus est ROBERTUS WILLAN Medicus Anglus qui optimam horum morborum tradidit classificationem, quam plerique alii deinceps imitati sunt, tum in Anglia THO. BATEMAN discipulus ejus, tum in Gallia BIETT, CAZENAVE, SCHEDEL, RAYER.

Horum morborum pathologiam generalem omnium optime tradidit eruditionis classicae vindex CAROLUS LORRY: nosographiam naturalem quamplurimis locis auxit Nosocomii Sancti Ludovici celeber quondam medicus princeps ALIBERT.

Exanthemata, *Vesiculae*, *Bullae*, *Pustulae*, *Papulae*, *Squamae*, *Tubercula*, *Maculae*, en ordines sive genera summa, quae numero VIII. fecit WILLAN! Horum ultimum si excipiatis, septem reliquae ad inflammationes earumque exitus pertinent. Harum inflammationum communis sedes est non

epidermis cornea, non mucus Malpighii, sed *corium*, eique annexa *cellulosa*. Morbus si intra ruborem subsistat, exanthemata, cutis efflorescentiae existent, sive rubore diffuso: *erysipelas*, *scarlatina*, sive circumscripto *rubeola*, *morbilli*. Sin serum excernatur, vesiculae, bullae, sublata epidermide, cernentur: vesiculae, ubi parum seri exsudet, ut in *herpete*, *eczemate*; bullae, ubi copiosum stillet, ut in *pemphigo*. Quodsi pus creetur, pustulas format qualis *variolarum* ratio est; si induratione, quae dicitur, terminetur, papularum, squamarum, tuberculorum specie prodit, quarum *lichen*, *lepra*, *elephantiasis* exemplo sint: squamis ad epidermidem, tuberculis ad corium eique suppositam cellulosam pertinentibus.

Universale habetis harum phlogosium schema! Jam operae pretium est, ut singulas partes contemplemini.

Incipiamus igitur a formis simplicioribus, quales exanthemata offerunt, quorsum pertinent erythema, erysipelas, morbilli, scarlatina, urticaria, quorumque communis character est, cutis rubor, pressione disparens rursusque rediens, a sanguinis in cutem congestione, leviori in rubeola, morbillis, fugaci in urticaria, graviori in erythemate, erysipelate, scarlatina inque iis non tantum reti vasculoso corii terminata, verum in cellulosam subcutaneam usque interdum pertinente. Saepenumero etiam cum inflammationibus membranae

mucosae intestinorum, pulmonum exanthemata complicantur, quae vel praecedunt, vel sequuntur tuncque inflammationis cutaneae cursum interrumpunt, ita ut ex ea suppressa, aut retropulsa originem traxisse videantur. Interdum cum aliis junguntur phlegmasiis cutaneis: papulis, vesiculis, bullis, aut unius speciei in alteram transitus cernitur: erysipelatis verbi caussa gravioris in bullas pemphigo similes, quapropter inflammationem hanc erysipelaceam inter exanthemata et bullas intermediam esse, utramque copulantem opinatur RAYER.

DE ERYTHEMATE ET ERYSIPELATE.

Ruboris sive erythematis nomine significatur leve exanthematis genus, non contagiosum, maculis rubris vel paucis, vel pluribus minusque circumscriptis, dispersis, nec prurientibus, nec tumentibus, raro dolentibus atque intra duas ut plurimum hebdomades subsistentibus. Est tamen ubi leviter tument, sive papularum (erythema papulatum) sive tuberculorum (erythema tuberculosum) seu nodorum instar (erythema nodosum) atque cum febre sunt et dolore. Est ubi duarum hebdomadum spatium transgrediuntur, chronicorum more perennantes. Tabula XXV. ALIBERTI haec forma exanthematis exprimitur: tabulis WILLANI XXXI et XXXII.

ejus varietates: papulata, tuberculata, nodosa: tum eaedem, tum aliae tabula II Rayeri, cui non ut erysipelas proserpere dicitur.

Ab erysipelate primus, quod novi, distinxit Cullenus, hoc nomine idiopathicam cutis phlogosin, erysipelatis contra symptomaticam adpellans. Convenit cum Culleni erythemate erysipelas spurium Rustii. Willano contra proserpens rubor, a turbis in corpore ortus ideoque symptomaticus hoc nomine dicitur. Rayer, Cazenave et Schedel absentiam tumoris, propter intactam cellulosam subcutaneam, et doloris et periculi, tanquam distinctionis notas proferunt et tamen in varietate nodosa tumorum dolentium mentionem faciunt: nec desunt exempla erythematis lethalis, a Willano memoriae prodita.

Quodsi igitur ex Culleno quaeratis, an idiopathica, an symptomatica cutis affectio sit, idiopathicam esse contendet; si ex Willano, symptomaticam. Si utrum cum tumore et dolore, negabunt Rayer, Cazenave, Schedel in genere, affirmabunt in specie; si an periculum subsit, hi abesse respondebunt; Willanus vero plures casus morte terminatos citabit, tum aliarum varietatum, tum erythematis nodosi, quod ter vidit et ter doluit aegrotantium ex eo funera. Ejusmodi repugnantiarum plena est medendi scientia.

Nobis videtur, quod a multis erythema adpellatur, nihil esse aliud, quam primus gradus erysipe-

latis, aliorum contra erythema cum Rustii pseudo-erysipelate convenire, quae Rustii distinctio profecto magnam haberet a practica utilitate commendationem, dummodo certa semper essent et characteristica ipsius symptomata. In leve illud erythematis genus cadunt, quae circa prognosin et curationem notantur: illam universe faustam esse, hanc facilem, per antiphlogistica, demulcentia, diaetetica, caussarum irritantium amotionem, lotiones, balnea ac praesertim munditiei curam atque ubi rheumatica aut gastrica fuerit morbi origo, leniorem diaphoresin, aut leniorem catharsin.

Erysipelas adpellatur exanthema diffusum, non contagiosum, sive ut Burserii descriptione utar: rubor quidam plerumque e roseo albicans, rarius e purpureo aut livido flavescens; aliquando ex rubro nigricans, qui in hac vel illa corporis parte cutim summam occupat, aliquantulum eam attollens, sed tamen aequalis et planus; lateque sine ulla spatii aut figurae circumscriptione sese diffundit et quodammodo serpit, ut plurimum pruritu atque ardore magis, quam dolore ingenti molestus. Id autem peculiare et proprium ejus est, ut si digitis comprimatur, ibi candicet, albidumque vestigium recipiat, sed mox, remota pressione, pristinum colorem splendoremque recuperet.

Verum, legitimum erysipelas est, quando omnes notas habet, quas modo memoravi. Contra, quum ab his deflectit, spurium, sive nothum audit. Mul-

timodis autem a vero legitimoque recedit, sed speciatim tum, cum in eo cutis valde tumet et tenditur atque ita rubet, ut pressa non albicet, vel tumor altius se demittit, partesque sub cute positas comprehendit, aut cum mollis is est, serosumque humorem continere videtur, unde etiam minus rubeat minusque renitatur et facile foveas impressas retineat. Quod binis prioribus modis fit, *phlegmonodes* vocari solet, quod postrema ratione *oedematodes*, aut *oedema erysipelatodes*, quando ut in hydropicis secundarium est erysipelas, ex denominatione a clarissimo de chirurgia auctore Boyer proposita. Hisce notis etiam duae subjungendae sunt: altera quod serpit nonnunquam, sanescente eo, quod primum vitiatum est, altera quod prompte, nec opinato locum mutat atque ad interiora migrat.

Rubor iste raro universum corpus, plerumque certas tantum corporis regiones, faciem inprimis et artus occupat eumque vulgo, nisi ab externis caussis suscitatur (quod multis erysipelas spurium aut erythema dicitur) symptomata febrilia praecedunt. Ratione phlogoseos, tres illius poni possent gradus, quorum primus *erythema*, alter *erysipelas simplex*, tertius *erysipelas phlegmonodes* dicitur. In hoc symptomata multo graviora ipseque textus cellulosus inflammationis particeps atque crebrior in abscessum transitus, qui caeteroquin ab erysipelatis natura abhorrere plurimum videtur.

Nimirum saepenumero inflammatio fugax est et membranacea, cui vel propria diathesis subest, vel colluvies gastrica, vel sanguinis dyscrasia, aut corporis cachexia: quapropter vere, aut autumno nasci, errores in victu sequi, morbos rheumaticos, catarrhales, biliosos comitari, in habitu corporis venoso, scorbutico, hydropico crebrum esse exanthematis genus, in gangraenam tandem terminari cernitur.

Secundum alios venularum capillarium phlogosis est, secundum alios contra a nervis suscitatur. Illorum hypothesis tum constitutione venosa, in quam cadit praesertim, tum phlebitidis, suppuratione terminatae exemplis in erysipelate animadversis: horum opinio cutis teneritudine feminea, ad hanc phlegmasiam suscipiendam aptissima et crebra ab animi commotionibus origine promptaque migratione, quam ab electrico fluido nonnulli repetunt, firmari videtur.

Characteres anatomici sequentes notantur: rubor cutis violaceus, qualis ab infiltrato sanguine est, textus reticularis injectus et crassior, limites reticuli et corii accuratius circumscripti, epidermis ante corporis putredinem a cute secedens. In erysipelate phlegmonode non tantum omne corium carnis naturam imitatur omnisque perit et forma areolarum et textus adiposus, verum in ipsum textum cellulosum sanguis infunditur. Ab hujus praesertim congestione tument

partes erysipelatosae et, sero effuso sub cutim, epidermideque sublata, phlyctaenarum aut bullarum species oritur, quibus natis adpellatur *erysipelas bullosum.* Erysipelas neonatorum phlegmonodes, in regione umbilicali subnascens, auctores Francici a caussis externis, Germani rectius forsitan, a mutata hepatis conditione atque impedita vitae metamorphosi repetunt. Semper gangraena facta mortem intulisse, remediis incassum adhibitis, vidi: in corporibus defunctorum inflammationis intestinorum vestigia detegi solent. (Cf. BILLARD *Traité des Maladies des Enfans.* 2e. Ed. p. 122.)

Prognosis bona, si erysipelas simplex, circumscriptum, absque complicatione alius conditionis morbosae: dubia, ubi a caussis internis pravoque corporis habitu: mala, ubi phlegmonodes, praecipue cum phlebitide et suppuratione, aut ubi fugax, erraticum, propter internas capitis, pectoris, abdominis inflammationes. Has contra interdum, aut rheumatismum, arthritidem, podagram, aut alias phlogoses internas aliasve cutis phlegmasias chronicas sustulisse, medicorum observatio est. Quorsum illud Asclepiadarum Coorum: erysipelas foris quidem exstare utile: intra autem vergere lethale. Periculosum est malique praesagii symptomaticum, in typho aliisque febribus, cum virium prostratarum signis superveniens.

Curatio erysipelatis simplicis, levioris diaetetica fere: abstinentia, quiete, dilutione; phlegmonodis

stricte antiphlogistica, per sanguinis detractiones largas easque repetitas interdum; gastrici evacuans per emetica, cathartica, clysmata, antibiliosa; rheumatici, antirheumatica, per emplastra vesicantia, rubefacientia, in loco vicino, remoto, atque diaphoretica denique leniora.

Topica raro proficua, saepius nocitura, praecipue pinguia, oleosa, aut adstringentia, repellentia, saturnina, nisi a caussa externa, ustione verbi gratia. Cauteria, excisiones, compressiones laudata a quibusdam, minus tuta mihi esse videntur remedia. In phlegmonode interdum emollientia profuisse, animadvertimus: in oedematode, artuum per ligaturas pressionem utilem alii experti sunt.

Speciminis loco subjungam Hoffmanni observationem febris erysipelaceae alteram (*Opp.* Tom. II. pag. 102.) » Vir sexaginta et octo annorum, carnosus et habitior, fluxui haemorrhoidali ante obnoxius, jam a biennio eodem carens, ciborum tamen adpetens, tempestate humida et calida fecerat iter et ira commotus largum spiritus vini haustum ingurgitarat. Vesperi domum redux correptus est horrore cum vomitu, quem excepit intensissimus calor, caput occupans, somnum turbans, mentisque alienationem inducens. Die post, insignem in inguine tumorem et ardorem sensit ac tertio die dolor, rubor et ardor totum femur cum tibia occupavit. Inde remiserunt quidem priora symptomata, pulsus tamen mansit celer et aeger insu-

perabili sopore oppressus jacuit. Medicus accitus interius porrexit tincturam volatilem bezoardicam, naribus admovit spiritum salis ammoniaci et loco affecto adplicuit cataplasma ex aqua florum sambuci, aceto, lythargyrio, myrrha et bolo. Sed sopor discuti renuit, quin adauctus potius, ut plane non excitari posset aeger. Sexto quoque die color pedis rubens in bruneum et nigrum conversus, facies cum rubore intumuit, venter a prima statim invasione occlusus, injectos quinque clysteres sine operatione reddidit, die octavo accessit difficilis respiratio et post hanc lethum." An jure haec febris atactica Pinellio dicitur? Nonne rectius curam tum internam, tum externam redarguit, qui retulit Hoffmannus? Respondeat sequens Frankii observatio: vidimus vetulam, quae cum ex improviso linqueretur animo, mox insigni frigore, calore, cephalaea, tussi, dolore faucium ac erysipelate corripiebatur, pulsum vero vix frequentem, sed durum, linguam mox nigram, debilitatem summam mentemque deliram manifestabat. Huic vero cum die morbi licet nona, vena aperiretur, sanguis corio obtectus tam felici effectu educebatur, ut undecima per largum sudorem saluti restitueretur."

DE URTICARIA.

Exanthema urticatum, urticaria, essera, nostris *netelroos*, nomen habet a similitudine cum exanthemate ex urtica. Circa totum corpus partemve aspredo quaedam fit, similis his pustulis, quae ex urtica, vel ex sudore nascuntur. EBN SINAE, seu AVICENNAE quia nocte praesertim aegrotos molestat, *filia noctis* adpellatur. Laudatur inprimis, nec immerito descriptio hujus morbi, quam consignavit GUL. HEBERDEN, Medicus Londinensis praeclarus, quam eapropter hoc loco vobis tradam. » Tumores interdum in cute nascuntur similes eorum, qui fiunt ex urticae contactu, unde apud Anglos nomen habent. Recentiores medici *esseram* adpellarunt; qua voce Arabes designarunt quoddam vitium cutis et fortasse hoc ipsum, de quo sermo est. Hi tumores interdum duos vel tres pollices longi sunt, tanquam vibices a scutica factae. Prurigo vix patibilis. Repente oriuntur, maxime ubi corpus fricetur, aut unguibus leviter scalpatur. Raro perseverant multas horas, plerumque exiguam tantum horae partem. Nulla pars corporis secura est ab hac peste, si qua autem vehementius affecta fuerit, ea tota tumet, ut fit praecipue in facie, brachiis et manibus. Essera alia atque alia cutis loca infestare consuevit, in horam unam, aut plures,

bis terve in die et interdum fere totum diem, in dies paucos, vel aliquot menses; novi quos male habuerit biennium, cum paucis intermissionibus: alios vero septem, aut etiam decem annos vexavit.

Pueri et adulti mares et feminae pariter objiciuntur huic morbo: item quibus integer corporis habitus est non minus, quam quorum valetudo infirma aut adversa est. Quidam sani fuerunt vigente hoc affectu: quo recedente, dolores capitis et ventriculi affligi coeperunt. Contra alii malis similibus tum solum occupati sunt, dum essera adesset; maxima vero pars hominum nihil queruntur praeter molestissimam pruriginem, quae interdum somnos quoque abrumpit, maciem inducit et vitam reddit vix vitalem." Hactenus HEBERDENUS.

Ratione formae distinguitur a FRANKIO maculosa, vesicularis, tuberosa: ratione decursus, acuta, chronica. Interdum cum febre, interdum sine illa, interdum brevi evanescit, interdum diu perennat, interdum confluit (*urticaria conferta*) unde plures duxit varietates WILLANUS: febrilem, evanidam, perstantem, confertam, subcutaneam, tuberosam. Interdum ab ingestis acribus, aromaticis, spirituosis, venenatis: mytilo eduli, cancro astaco, amygdalis; quibus cunctis acidum hydrocyanicum subesse credunt. Saepe a perspirabili retento, quod bis observavi in aegris, qui febris intermittentis stadium sudoris, ante tempus e lecto surgentes turbaverant, cumque intemperie nervorum cuta-

neorum, tum cutis externae, tum cutis intestinalis conjuncta videtur. Illud enim singulare habent, quod in frigido magis emergant, et in calido evanescant.

Duos hujus exanthematis casus notavit FRANKIUS, quorum prior hic est. » In sanissimo ex auditoribus nostris juvene vix a suscepto pastu, nec spirituosis liquoribus, nec pravis aut nimiis esculentis sanitati contrario, mordacissimus ac intolerabilis ad universam corporis superficiem, inprimis vero ad collum et ad faciem pruritus ac ardor comparent. Succedit calor non modicus: facies ipsa haud levi suffunditur rubore, auriumque tinnitus et capitis susurrus cum anxietate et praecordiorum angustia per vices redeunte superaccedunt. Pulsus naturalibus vix frequentiores reperiuntur. Mox vero phymata diversae magnitudinis ad superiorem juguli partem ac prope mentum celeritate singulari propullulant ipsumque cutis ambitum in tumorem inaequalem attollunt. Paullo serius ad faciem similia, sed minori prorsus numero prorumpunt: ad genas vero perexiguae papulae efflorescunt. Ad caeteras corporis partes, licet ardor ac pruritus continuent, exanthema nullum comparet. Sub hoc interim rerum statu liberiorem vix aërem petierat aegrotans, cum statim efflorescentiae ampliori ex fundo assurgerent et in latiores plagas diffunderentur, ita ut quaedam ex iis circulo ad basin ruberrimo instructae, licet ad

collum nucis fere avellaneae magnitudinem aequarent, graciliorem tamen ac pellucentem, sed fere vacuum in apicem terminarentur. Lectulus nunc petitur morbique, ut timebat, majoris ab aegrotante suscipitur cura, cum erumpente per universam cutim madore, vix unius spatio horae, jam totus ac in integrum dissiparetur."

Alter casus est urticariae tuberosae, quam ut solet regimen pravum excitaverat et in qua gravissima cernitur morbi facies. Interdum cum febre intermittente conjungitur cumque hac periodice redit rursusque evanescit, qualem typo tum quotidiano, tum tertiano epidemicam observarunt.

Curatio pro caussarum diversitate differt. Si ab ingestis sive crudis, seu venenatis, emeticum promptum e tart. emet. aut sulph. zinci, purgantia oleosa, denique acidula: si inflammatio mucosae, quorsum pertinet Observatio XXIV Rayeri, sanguinis depletiones topicae, universales, praesertim in morbo gravi, varietate *tuberosa*, subinde repetendae; ubi ex rheumate, balnea tepida, diaphoretica; ubi ex pruritu pervigilium, opiata, ubi chronica forma, diaetae mutatio et ab acrioribus abstinentia, ubi intermittens, febrifuga. Urticariae tuberosae casum gravem, in quo tantopere intumuit corpus, ut suffocari aeger videretur, largis sanguinis detractionibus, mortem instantem avertentibus, quemque comitabatur febris intermittens quoti-

diana, referunt Cazenave et Schedel (pag. 25.) sanatus est aeger solutione Fowleri.

In chronica urticaria profuisse thermas alcalinas et purgantium usum, ferunt: proderit forsitan etiam balneum marinum. Caeterum maxime pertinax et ad quaevis remedia rebelle hoc exanthema saepenumero expertus sum.

DE MORBILLIS.

Morbilli, rubeola, febris morbillosa, exanthema contagiosum, Sauvagesio dicitur: eruptio papularum in squamulas furfuraceas abeuntium, quam praecedunt tussis sicca, sternutatio, lacrymatio et febris catarrhalis. Hi ejusdem fere ut videtur originis atque variolae, eodem tempore Europam invaserunt eosdemque nacti sunt primos descriptores Arabes et postea alterum illum Hippocratem, Sydenhamum. Arabes simul utrumque morbum describere solebant. Differt tamen uterque cum natura, tum forma. Et natura quidem ad catarrhales maxime accedit pulmonibusque infestus est et quod imprimis notandum, habet contagium peculiare, a quo minime is immunis est, qui variolas passus fuit, quemadmodum is, qui morbillos expertus est, variolis patet, id quod saepius observatione constitit, unum post alterum morbum brevi

secutum esse unamque alteram excepisse Epidemiam.

Verum praeterea forma quoque differt, uti tum optime intelligetis, si egregiam vobis tradidero magni Sydenhami morbillorum historiam, quo comparare eam cum historia variolarum, ab eodem auctore petita ac deinceps tradenda, facilius possitis.

A rigore atque horrore calorisque et frigoris vicissitudine orditur morbus: altero die in febrim desinit consummatam vehementi aegritudine, siti, lingua alba, non vero sicca, tussicula, capitis atque oculorum gravedine et somnolentia perpetua stipatam. E naribus atque oculis stillat humor, sternutat aeger, tanquam a suscepto frigore, intumescunt palpebrae, vomit aut, quod saepius, laborat diarrhoea. Morbilli qui fere epidemici esse solent multumque tempestatum vim experiri, auctore Sydenhamo, sub initio Januarii mensis ut plurimum invadunt, instante verno aequinoctio acmen adepti, exinde iisdem gradibus imminuti, Julio mense extinguuntur. Infantes plerumque aggrediuntur, morbum nondum passos, rarius alios. Incipiunt a catarrhi symptomatibus, quae symptomata catarrhalia interdum per plures dies, 6, 7, ad 14 usque exanthematis praecedunt eruptionem, aut febris excandescentiam. Vomitus et diarrhoea symptomata sunt sympathica, minime cum gastricis confundenda eandemque ac morbus primarius curationem postulantia. Diarrhoeam cum dejec-

tionibus coloris subviridis dentientibus maxime fieri, notat SYDENHAMUS; qui quidem morbillorum et dentitionis concursus est ex gravissimis plenusque discriminis. Sed persequamur Sydenhamianam morbillorum benignorum, regularium historiam.

Ingravescunt symptomata ad quartum usque diem quo circa frontem et reliquam faciem maculae parvae, rubrae, pulicum morsibus persimiles prodire incipiunt, quae tam numero, quam magnitudine auctae *racematim* coalescunt (*) et faciem maculis rubris interstinguunt, quae ex parvulis papulis rubris conflantur, dum in trunco et artubus non papulae sed maculae tantum cernuntur.

Eruptione non perinde deliniuntur symptomata, atque variolarum: tussicula febrisque intenduntur, cum spirandi difficultate, oculorum debilitate et reliquis perseverantibus. Primum in facie adparere solet eruptio, ubi parvas papulas rubras tactu magis, quam visu distinguimus (an ex folliculis?) in reliquo corpore maculae sunt. Ab eruptione non adeo remittunt symptomata ac quidem in variolis, quare REILIO aliisque visum est, minus criticam esse exanthematis hujus rationem veramque crisin demum desquamatione haberi. Quidquid sit, quamvis vomitum se nunquam post eruptio-

(*) FORESTO corymbosae, WILLANO semilunares, aliis arcuatae maculae istae dicuntur. Cf. RAYER, Tab. 1. fig. 2. ubi ad naturae fidem exprimuntur exanthemata morbillosa.

nem observasse testatur SYDENHAMUS, monet tamen tussiculam febrimque intendi, majorem esse in oculos defluxionem, somnolentiam perpetuam, inappetentiam, alia.

Die sexto, aut septimo frons et facies asperescunt, emorientibus pustulis ruptaque cuticula; die octavo in facie evanescunt maculae, die nono nullae sunt prorsus, facie artubus totoque interdum corpore quasi farina conspersis. Hoc tempore magnus peripneumoniae indeque secuturae phthiseos, aut diarrhoeae metus est.

Quo tempore facies et frons asperescunt, maculas per reliquum corpus et latissimas esse et ruberrimas notavit SYDENHAMUS, cuticula in furfures et squamulas decidente. Febris, spirandi difficultas et tussicula ingravescunt, praesertim post regimen calidius et calidiora medicamina: unde in peripneumoniam conjiciuntur, quae eodem auctore plures jugulat, quam variolae ipsae, licet omni prorsus periculo vacent morbilli, dummodo perite tractentur. Hisce etiam non raro accedit diarrhoea profusa, ad plures septimanas excurrens, haud sine magno aegri discrimine.

Aliquando etiam, eodem praecipiente, post regimen intense calidum exanthemata livescunt primo, mox nigrescunt, quod adultis tantum contingit, de quibus conclamatum est, quam primum nigredo ista conspicitur, nisi phlebotomia, aut temperatioris regiminis refrigerio iis actutum subveniatur.

En egregiam illam SYDENHAMI descriptionem, quam omnes uno ore laudant medici!

A peripneumonia imminet phthisis, praecipue in aegrotantibus in eam proclivibus. Aliis subrepit febris hectica. Nonnullis asthmatis spasmodici genus inopinato in paralysin pulmonum transiens, observante RICHTERO (*), ut fere dixeris, morbum hunc minus pertimescendum esse, quam ejusdem sequelas, id quod in ultima morbillorum epidemia, anno 1829 in hac urbe crebro animadvertimus.

A regularibus et benignis distant anomali atque maligni. Anomalos anno 1674. Londini vidit SYDENHAMUS, qui nunc citius nunc serius erumpebant: cum in alia specie eruptio in diem quartum semper incideret. Ad haec humeros et caeteras trunci partes primum occupabant; cum illi faciem primum peterent et in reliquum corpus paulatim spargerentur. Nec hac in specie observare licuit, nisi rarissime eas cuticulae desquamationes adinstar farinae inspersae, quoties recederent morbilli; quae in alia specie haud minus certo conspiciebantur, quam post febris scarlatinae decessum conspici so-

---

(*) Orthopnoeam suffocantem tribuit LAENNEC oedemati idiopathico pulmonum; ex bronchitide membranacea natum vidit RAYER: interdum nihil in cadavere mutatum reperiri adjiciens (I. pag. 180.) quo in casu RICHTERI interpretatio probanda foret.

lent. Plures insuper e medio tollebant, quoties imperite tractarentur. Febris enim et dyspnoea, quae morbillis abiturientibus solebant accidere, vehementiores erant et peripneumoniam hic propius referebant, quam in altero genere. Hos utut *anomalos*, nullo jure Burserium *malignos* dixisse, probat methodus, qua ipsos aggressus est Sydenhamus quamque exemplo curationis liberorum Comitissae Salisburiensis proposuit, quos omnes eadem methodo tractavit. Lectulo eos addixi, inquit, ad dies binos ternosve ante eruptionem. Neque vel stragulis vel igni, quibus sani adsueverant, quidquam adjici patiebar; ab esu carnium arcebam, juscula avenacea vel hordacea ac subinde pomum coctum concedens, cerevisiam tenuem insuper, vel lac cum aquae triplo coctum pro potu, urgenteque pro mora tussi, ptisanam pectoralem saepe adsumendam praescripsi. His peractis omnino convaluere brevi illo spatio, quod hic morbus solet percurrere, neque vel per ejus decursum, vel eodem fatiscente, symptomate quovis morbo huic non familiari, tentabantur.

Qui maligni dicuntur pravique moris pravo alius valetudinis consortio, praesertim cum febre putrida et nervosa tales fiunt. Illam complicationem et vidit et descripsit Gulielm. Watson (*Med. Obs. and Inq.* IV. pag. 132 sqq.).

Eruptio secunda jam die, respiratio difficilis, cutis sicca, fauces rubrae, violaceae, lingua sordida,

sitis magna, pulsus creberrimus, nec plenus magnum accusabant corporis imbecillitatem. Altero stadio, postquam evanuerat efflorescentia, oculi antea lacrymantes, nunc sicci, tussis, oppressio, et dyspnoea perseverarunt, cum pervigilio, anxietate, nullaque fere expectoratione, aut siti. Pulsus crebri, imbecilli irregulares summaque praesertim ex alvi fluxu aegri infirmitas et macies. Hisce si accedebat delirium, mors erat in propinquo. Alii difficulter spirantes, alii alvo dysenterica extincti. Horum unus rectum habuit sphacelatum, puellae pudendum, alii os, genas, labra, gingivas et in corporibus defunctorum eorum, quos gravis oppresserat dyspnoea, pulmones sphacelo tacti cernebantur.

In hanc complicationem aut diathesin scorbuticam cadit ulcus noma, etiam rem notante Huxhamo, anno 1745.

Morbillos nervosos alios esse cum nervosa lenta, alios cum nervosa acuta hosque crebriores testatur Reilius. Cum typho complicationem descripsit Hildebrand. » Aegroti statim ab ineunte morbo tristes et animo et viribus afflicti languent, tussi iniqua, fere convulsiva infirmantur et horrore diuturno conquassantur, qui in urentem abit aestum, capitis gravedine, inquietudine, somnolentia, levi delirio, leipothymiis, ariditate cutis et linguae stipatum. Exanthema jam secunda die, interdum sub convulsionibus, ad omnes corporis partes cum

impetu exploditur, maculae ipsae pallent potius; parum prominent et facillime ex quavis vel levissima caussa reprimuntur. Symptomata febrilia et nervosa ab eruptione ne hilum remittunt, imo numero et intensitate increbrescunt, maxime si exanthema e corporis ambitu ex improviso repercutitur. Potiores satellites, qui fatalem hancce anomaliam in decursu ulteriori comitantur, sunt dyspnoea, tussis sicca, oppressio, cardialgia; vomitus, siccitas faucium, aphonia, lingua tremula; desipientia cum stupore capitis, saltus tendinum; meteorismus, pulsus veloces, molliusculi, debiles, urinae crudae, stramineae et parcae. Interdum juxta morbillos miliaria in eodem corpore efflorescunt. Tota morbi imago cum illa typhi contagiosi plurimum congruit, unde omni jure morbillus typhodes dici meretur. Excretiones criticae circa finem morbi aut imperfectae sunt, aut metastasium metu terrent, unde persaepe posthuma remanent exquisitissimae medelae renitentia. Cuticula aut absolute, aut plane in furfures non desquamatur."[1]

Jo. Pet. Frankius casum refert animadversione perdignum, in quo manifesta erat morbi inflammatorii cum statu nervoso conjunctio, quem observavit in adolescente, initio anni 1790. Eruptio demum die 4°. et irregularis et per vices repetitas; intercedente diarrhoea et narium haemorrhagia largissima eaque iterata et corpore licet non inanito, pectoris oppressio, difficultas spirandi, pulsus inae-

qualis, varius, leipothymiae crebrae, graves, subsultus tendinum, jactatio, convulsio, clamores, liquore anodyno ac laudano liquido indeque inducto somno pacata. Die nono ad faciem solam desquamatio: simulque dolor auris dextrae acutissimus, quem decem horarum somnus sopivit, ac 10°. sequente sudor iterum sat magnus prorupit, quo pectoris artuumque morbilli sine ulla epidermidis desquamatione evanescunt ac sub largo urinarum fluxu nocturnoque sudore salus integra tandem, post paucos a morbo dies restituitur aegroto. Epit. T. III. pag. 245 sqq.

De febre morbillosa sine morbillis, quam nonnulli observasse feruntur, non convenit inter medicos. In ea, quam Sydenhamus describit, aliqua, sparsa licet, eruptio fuit. Reliquae varietates tum ad pseudo-morbillos, tum ad leviores contagii attactus, quorsum etiam *rubeola sine catarrho* Willani pertinet, revocari posse videntur. Harum varietatum tres numerat Naumannus: pseudomorbillos, morbillos abortivos, morbillos praematuros; earumque parem esse ad morbillos ac varicellarum ad variolas rationem, opinatur. Hujus loci sunt observationes Vogelii, Fordycii, Reilii, exanthematis morbilloso similis, quod intra 24 horas, tempore epidemiae regnantis, nullo inde malo aut incommodo facto, prorsus disparuerat.

Febrem morbillosam, catarrhalem, exanthematicam vocaverat Fred. Hoffmannus: quam utriusque

morbi adfinitatem veram illam, ita nonnulli ingenio ornarunt et amplificarunt, ut inter aegros gravi catarrho afflictos, generatione spontanea oriri contagium morbillosum contenderint: quae quidem hypothesis nobis ingeniosa magis, quam aut docta, aut vera videtur.

Praesagia ducuntur a complicationibus, a corporis habitu, ab aetate aegri, ab eruptionis tempore, duratione, colore, morbis secundariis.

Pessima complicatio est cum morbo putrido, nervoso, aut habitu corporis phthisico. Dentitionis periodus et pubertas morbum difficilem faciunt. Cita eruptio pariter ac tarda timenda. Nullum exanthema magis fugax. Ex retropulso affectiones secundariae pulmonum, cerebri, intestinorum. Mali colores pallidus, lividus, nigrescens: pessimae, quae morbo supersunt phthisis, aut febris hectica: siquidem pulmonum tubercula erumpere facit.

Qui morbillis occumbunt, ita FRED. HOFFMANNUS, maxime ex infantibus nono plerumque die suffocantur. Et profecto desquamationis stadio in morbillis mali moris summa pericula, ex peripneumonia praecipue imminent.

Benigni subinde depuratorii visi sunt, tum in chronica cutis phlegmasia, tum in arthrocace antibrachii, RAYERO et HILDEBRANDTIO testibus. Ille curavi, inquit, parvulam eczemate chronico faciei et capitis laborantem, quam eo liberavit prorsus gravis morbillorum eruptio. Hic, pertinacis-

simam arthrocacen antibrachii a variolarum metastasi relictam ac per triennium efficacissimis remediis renitentem, absoluto morbillorum improvise subortorum cyclo, radicitus persanatam fuisse, docet.

Morbillorum curatio legitima medicum requirit prudentem, catum, eruditum, neque scholae, aut seculi servientem servitutem, nec superbum naturae magistrum. Est scilicet morbus ex genere catarrhi, lenem postulans, demulcentem, diaeteticam prorsus curandi rationem, minimeque, nisi cum conditione phlogistica junctus, strictum illum adparatum antiphlogisticum sibi vindicat. Neque audiendus est Meadius, Sydenhamum redarguens, quod non statim ab ipsoque initio sanguinem mittendum esse praeceperit, nec Heberdeno adsentiendum, in sanguinis missione totam morbillorum curationem contineri. Nam haemorrhagias etiam in plethoricis, robustioribus obfuisse, testantur medicorum fide dignissimorum scripta. Memoria recolite aegrum Frankii, cujus antea mentio facta est eique adjungite casum sequentem Hoffmanni. » Puer undecim annorum, rubicundus facie, ingenii alacris, sanguine plenus et constitutionis calidae, correptus est immani aestu, dorsi capitisque dolore, datis tamen temperantibus nitrosis pulveribus, altero die habuit meliuscule. Tertio autem rediit urens aestus et quarto die sequutum narium stillicidium. Hoc quinto remisit, sexto vero effusius reversum.

A septimo ad decimum mitiora erant symptomata et sanguinis fluxus siluit, erumpentibus passim morbillorum maculis. Sed breves induciae! Undecimo quippe die rursus copiosa é naribus facta est haemorrhagia et maculae evanuerunt. Duodecimo largius adhuc fluxit sanguis, ita ut vires mirum corruerent et aestus internus invalesceret. Decimo tertio die mitiora pathemata iterum, die autem post eum haemorrhagia recruduerunt, donec consumptis prorsus viribus, aeger decimo quinto die efflaret animam." Verum in hoc casu forsitan tempestiva venaesectio in puero plethorico haemorrhagiam praevertisset: nec tamen in consimili casu a Frankio adhibita constans levamen attulit. Naturae viam tenuisse maxime videtur Sydenhamus, quam monstrare videbatur morbi cum catarrho adfinitas. Idcirco utiliter per omnem morbi decursum et postea ad duas ad minimum hebdomades cutis spiratio sustentabitur atque a refrigerio cavebitur. Calidum vero regimen et calidum medendi genus pariter ac frigidum vitandum. Ubi symptomata inflammatoria observantur, vena secanda est idque quovis morbi tempore. Monet tamen Reilius monentique adsentitur Rayerus, in peripneumonia ex morbillis minus prodesse sanguinis detractiones, quam in alia quavis. Est autem accurate discernendum, utrum symptomata fuerint morbi erumpentis, necdum erupti, an morbi complicati indicia, atque epidemiae genius, aegrotantis

conditio, methodus prius adhibita aliaque cognoscenda, ut therapeutices universalis, quemadmodum oportet, praecepta sequamur. In morbo simplici convenient pectoralia, demulcentia; in gastrica complicatione, de qua STOLLIUS legendus est, emetica, eccoprotica, enemata (caute tamen, ne suscitetur alvi fluxus) in nervosa aut refrigerantia, derivantia, sedantia, aut nervina proprie dicta; in putrida denique antiseptica. Nitrosa raro proficua, tum propter tussim, tum propter vim refrigerantem, quantopere intempestivo usu nocere possint, hoc exemplo docuit HOFFMANNUS: puelli tres, unus sex, alter quinque, et tertius trium annorum, filii viri perillustris, Sereniss. Duci in Saxonia inferiori a consiliis corripiebantur successive morbillis. Commendatione generosae feminae in consilium vocabatur novellus medicinae doctor, qui, intempestivo nitri amore a praeceptoribus imbutus, larga et repetita dosi, praeter pulveres refrigerantes nitrosos exhibebat nihil. Inde retardabatur macularum eruptio, spiratio fiebat angusta et difficilis, tussis continua, sine screatu, accedebat asthma intensum et intra septem dies tres pueri occumbebant, cum ingenti parentum luctu."

Quodsi exanthema ante tempus dispareat, ad caussas respicere oportet, nunc venaesectiones, nunc diaphoretica, nunc opiata, nunc stimulantia cardiaca adhibendo, semperque conducet animi corporisque quietem servare et oculos a nimia lu-

ce arcere. Vel calidum nimis regimen culpandum est saepius calidaque medicina, vel frigidum nimis. Si prius, etiam in tenellis venam secabat Sydenhamus atque hoc modo dyspnoeam sanabat post morbillorum recessum factam: quod symptoma infantibus ita est exitiale, inquit, ut inter praecipuos Parcarum ministros jure habeatur, plures jugulans quam vel ipsae variolae. Si posterius, cutis actio, ex Burserii et Huxhami monitis suscitanda, linteis aut pannis calidis protinus confricandum est totum corpus, atque diluto flor. sambuci abunde hausto, croco, moscho, camphora, in aliis alio, utendum, et quidem illis lenioribus potius, quam hisce validioribus. Diarrhoea non omnis incaute nimium sistenda. Est enim subinde salutaris, praesertim postquam exanthema se subduxerit. Cujus rei Hoffmannus testimonium protulit sequens. »Juvenis cholericae et siccae constitutionis, qui per aliquot annos in Academia plus Veneri et Baccho, quam Musis litarat, commovebatur aliquando vehementi ira. Die post afficiebatur aestu insigni, cum languore artuum et dorsi dolore; noctem transigebat insomnem et tussi exercebatur valida, quae ferina plane fiebat et comites habebat anxietates et cardialgias. Datis ardorem nimium temperantibus, post tertium diem comparebant maculae numerosissimae, intra 24 horarum spatium universum corporis ambitum occupantes. Mirum autem inquietus erat aeger et impatiens, corpus jactitabat, tantum temperatum

etiam lecti calorem respuebat et admissa subinde aura frigidiori, ut maculae omnes brevi evanescerent, faciebat. Oboriebantur hinc anxietates cum magna inquietudine et siti inexhausta, ut intra diem et noctem quatuor minimum ptisanae et emulsionis amygdalatae epotaret mensuras. Porrigebatur quidem ad revocandam extus materiem lene diaphoreticum, sed propter aegri impatientiam et jectigationem nihil proficiebat, sitis potius reddebatur intensior, ut vix posset extingui et aeger vel septem mensuras liquidorum absumeret. Inde incidebat in alvi fluxum et vel decies intra diem dejiciebat, urina etiam effuse fluebat, aegro tamen de interno ardore, siti et anxietate conquerente largissimeque potum ingurgitante. Fluebat sic alvus per quinque dies, calidus potus cum medicamentis spernebatur, neque maculae amplius comparebant. Nihilominus symptomata sensim mitiora fiebant, aeger melius habebat et praeter spem intra XIV. dies convalescebat.

Quandoque diarrhoea inflammatoria est, quod neque Sydenhamum latuit, eam venaesectione pariter sanari monens; hanc pituitosam esse et cruentam, ab altera serosa diversam et hirudinibus tractandam, Rayerus contendit. Mihi vero propter refrigerii metum in morbillis minus tutus videtur hirudinum usus.

In phthisi et febre hectica ex morbo relictis laudant chinam chinam, digitalem, lac, aquam Seltera-

nam. Illam adhibere veritus sum. Haec utilissima sum expertus. Lac etiam et involventia mucilaginea ad diarrhoeam compescendam prosunt.

In ulcere noma juvant maxime antiseptica tum intus tum extus adhibita, praesertim acida mineralia exque iis acidum muriaticum.

De ophthalmia morbillosa cum fructu consulere poteritis Beerium I. pag. 533 sqq., primo stadio vesicantia pone aures commendantem. Quorum tum derivantium, tum revellentium in omni hoc morbo, consentientibus summis in arte viris, magna profecto utilitas est: videlicet rubefacientium, vesicantium ad crura, inter scapulas, ad pectus, nec non lenis subductionis alvi, per clysteres aut eccoprotica medicamina.

Oleosa ad tussim, diacodiata opiata cum involventibus ad diarrhoeam nimiam compescendam, sublata phlogosi, commendantur. Praeceptum Sydenhami, diacodium omni nocte per totum morbi decursum exhibendi minus tutum. Nec magis tuta a multis in statu nervoso laudata tum antihysterica, tum camphora, moschus, flor. benzoës. Siquidem universe tenendum est, saepenumero debilitatem spuriam subesse utilioremque derivantem methodum esse aut revellentem, quam excitantem, nervinam. Clysteribus e cort. Peruv. decocto cum moscho crebro injectis binos infantes ex morbillis adynamicis cum tussi convulsiva decumbentes servare mihi contigit. Erant hi corporis habitu de-

bili et laxo. Tutiora haec: C. Peruv. scil. Rad. Serpent. Virgin. Camphora, maxime verò mineralia acida in morbillis putridis.

Convalescentiae cura eadem sit ac morbi praegressi: post morbillos inflammatorios antiphlogistica, post putridos cardiaca. Caeterum linteamina prudenter commutanda, ne fiat exanthematis repulsio, quod notabili exemplo Hoffmannus docuit. Vir generosus, macilentus et fibrosae c. structurae 36 annos habens, aulico ministerio fungens, ab aliquot jam annis vini potui liberaliter indulserat et saepe inter potatores egerat tantum non heroëm. Incidit is in morbillorum, aulicis tum familiarem et ab ipso nondum superatum morbum, sub quo ipsum, praeter immoderatum aestum et inquietudinem, violenta tussis et summae anxietates praecordiorum noctu ac interdiu afflixerunt, corpore a principio statim sudore diffluente. Medicus aulae ordinarius in consilium vocatus quatuor quibusvis horis 30 guttas essentiae alexipharmacae admodum calidae porrexit et ad sitim extinguendam potum liberalem cerevisiae valde spirituosae concessit. Interim expulsis maculis anxietates remiserunt et spiritus liberior meavit. Quum autem indusium sudore totum madescens et frigidum mutaturus a ministro imperito recens minusque calefactum acciperet, ilico omnes omnino, quibus corpus confertim obsessum, maculae disparuerunt. Inde tanta insecuta inquietudo, anxietas, cum virium jac-

tura, ut omnibus morti videretur proximus. Ego tum temporis praesens accersitus exhibui ilico pulv. meum bezoardicum cinnabarinum cum aqua analeptica, nec non liq. anodyn. miner. cum tinctura antimon. temperata et aliquot guttulis spir. Bussiani, quibus paulo post et sudor et maculae redierunt et aeger melius habuit et pulsus antea inaequalis, celer et debilis, plenior ac aequabilis redditus. Sed septimo die, quum sudor effusus adhuc manaret et aeger in alium lectum ob madorem se conferret, rursus cuncta evanuerunt exanthemata, extrema frigida facta, accessit anxietas maxima et spiratio difficillima, pulsus etiam contractus et parvus redditus et brevi post, praecedente rigore et convulsione artuum, est extinctus.

Morbillorum insitio ab Homio laudata, ab aliis vix est adhibita. Sunt, qui de re dubitarint. Sunt, qui frustra imitati sint. Sunt qui perhibuerint, non sanguinem adhibendum esse, sed lympham papulas replentem. In gravi epidemia morbillosa quibusdam visa est eadem atque insitio variolarum promittere commoda. Sic saltem praecaveri posset malum exanthematis consortium.

De incubationis tempore non constat. Ex Heberdeni conjectura est dierum 10 vel 14. In Homii experimentis die 6 aut 7 post insertionem febris est secuta: die 9°. eruptio. Post exanthematis demum maturitatem maxime contagiosa esse haec valetudo videtur.

DE SCARLATINA.

Haec efflorescentia SAUVAGESIO definitur: eruptio maculosa rubra, pruriens, papulosa, lata, parum uniformis, in squamulas furfuraceas abiens, sed sine praeludio catarrhali et saepe ad secundam tertiamque vicem se prodens ac recondens vicissim. Rectius forsitan ANTON. DE HAEN: est febris acuta, exanthematica, rubras easdemque latas maculas proferens, organa deglutitionis non raro impetens, epidermidis in desquamationem abiens et infamis praecipue periodo sua altera unius, alterius, tertiae et ultra septimanae, qua tumore corporis vario, anxietate, debilitate, hominem non raro in longe majus discrimen, quam in periodo priore conjicit. *Rat, Med. Contin.* Tom. I. c. VII. p. 132 sq.

Febris scarlatinae characteres in continua et diffusa efflorescentia coloris carmosini, ad superficiem corporis in ore, faucibus, plerumque die altero febris conspicua et diebus fere quinque terminata, posuere WILLAN et BATEMAN. Possem et alios complures compilare auctores, quorum tamen definitiones non multum differunt. Quum vero ad eorum normam exigamus hujus exanthematis varietates, videbimus horum characterum nullum esse constantem atque perpetuum: in aliis abesse efflorescentiam, in aliis faucium affectionem dumque ab

aliis hoc exanthema vix morbi nomine dignum censetur, ab aliis atrocitate, malignitate, saevitie cum ipsa peste comparari.

Mirum profecto est, ita WILLANUS, levissimum ac mitissimum exanthematis genus et gravissimum maximeque mortiferum morbum nobis cognitum juxta se invicem collocari et ab eodem fonte manare. Quae quoniam tanta est scarlatinae diversitas, tamque mutabilis et varia forma, praestabit varias conferre rerum epidemicarum scriptores, ut ejusdem, nisi perfectam, aliquam saltem nobis speciem informemus. Initium fiat a SYDENHAMO, qui levissimam ac mitissimam adumbravit exanthematis scarlatinosi formam.

Scilicet cum esset antiquis medicis ignota, a seculo inde XVI. demum accurate descripta, SYDENHAMO visa est ad intercurrentes pertinere ac mitiores valetudines. Ex quo autem, praesertim hoc quod vivimus seculo, in Germania lethales maxime hujus morbi epidemiae observatae sunt, ad eam magis attendere coeperunt medici. Quod utriusque discrimen ut teneatis, primo tradam SYDENHAMI historiam, deinde exponam observata recentiorum.

Itaque ex SYDENHAMI observatione, ut plurimum exeunte tempore aestivo se prodit, quo quidem integras familias, infantes vero prae caeteris infestat. Rigent horrentque sub initio, neque vehementer admodum aegrotant: postea cutis universa maculis parvis, rubris interstinguitur, crebrioribus,

latioribus, magis rubentibus, nec ita uniformibus atque morbillorum. Haec ad duos tresve dies persistunt, quibus evanescentibus decidenteque subjecta cuticula, restant furfuraceae quaedam squamulae, adinstar farinae corpori inspersae, quae ad secundam aut tertiam vicem se promunt conduntque vicissim.

Haec est morbi mitissima forma, quam simplicissima ac prorsus passiva tractabat SYDENHAMUS curatione: cavendo a victu carneo, ab aëre externo ac spirituosis ac lene purgans post desquamationem cutis absolutam praescribendo, qua simplici et naturali plane methodo (sunt verba ipsius) hoc morbi nomen, vix enim altius exsurgit, sine molestia aut periculo quovis abigitur. Quodsi convulsiones epilepticae aut coma huic morbo sub initium eruptionis supervenerint, epispasticum amplum ac forte nuchae adplicare atque paregoricum e syrupo de meconio statim exhibere singulisque noctibus repetere jubeo, usque dum convaluerit aeger, imperando interim, ut aeger bibat lac cum aquae triplo coctum pro potu ordinario et a carnis esu abstineat. Cum e contrario, sic pergit, si plus negotii aegris facessamus, vel lectulis contineantur incarcerando, vel cardiacis aliisque remediis supervacaneis nimis docte, et, ut vulgo videtur secundum artem, supra modum ingestis, morbus statim intenditur et aeger non raro, nulla alia

de caussa, quam nimia medici diligentia, ad plures migrat.

Ab hoc scarlatinae simplici gradu differt scarlatina anginosa, quae dicitur, ob gravem, quae comitatur anginam, sive faucium inflammationem.

Hanc anno 1741. Upsaliae epidemiae more regnantem vidit descripsitque Nic. Rosen ab Rosenstein medicorum Sueciae decus. Semper ab angina ordiebatur cum corporis imbecillitate atque sensus aegritudine. Haec brevi post sequebantur nausea, vomitus, horripilatio, cephalalgia, somnolentia. Ex somno evigilantes inquietudo, anxietas, dyspnoea tenebat, faucium tumore et rubore cito increscentibus. Altero tertiove die apparebant maculae rubrae, primum in facie et collo, deinde in pectore, abdomine, lumbis, cruribus, initio parvae, brevi tantopere auctae, ut facies omnis uno rubore suffusa videretur. Similiter in reliquo corpore, praesertim in brachiorum ea, quae flectitur parte; sed pedetentim eoque, quo prodibant ordine, fiebat, ut cum rubor in facie evanesceret, artus maxime ruberent leviterque tumerent atque rubor digito pressus dispareret iterumque rediret. Difficulter deglutiebant et loquebantur voce nasali, verum die quarto exeunte raucedo, tussis, magnaque expectoratio muci, aliis alvus liquida morbum multum levabant. Alios stillicidium narium alacriores reddebat, die 5°. vel 7°. demum. Cumque rediisset deglutiendi et loquendi facultas et oculorum splen-

dor, etiam ardor et febris, quae prius sub vesperam et post meridiem maxime urgebat, aliquantisper decrescebant, neque tamen prorsus evanuit ante diem septimum. Tribus aut quatuor primis diebus inter febricitandum subdelirabant pulsu frequenti nunc pleniore, nunc parvo: hique gravius aegrotabant. Nec alvus initio, nec sudor, nisi nocte sub diem quintum. Urina subinde cum tenesmo; nec tamen ita rubebat, atque ex ardore credideris, neque unquam cruenta fuit. Narium siccitas sine sternutatione plurimaeque de faucibus et ardore cutis querelae. A die quinto mane, iisque diebus qui sequebantur, rubor in facie, tum in reliquo corpore disparebat, ut die 8°. matutino tempore nullus jam cerneretur. Die 6°. aut 7°. prope aures in collo, in manu interna pedibusque parvae albaeque vesiculae miliares, vacuae tamen, quae latiores factae desquamationis cuticulae initia erant: deinde in aliis partibus, praesertim in manibus pedibusque ea desquamatio notabatur, neque ibi furfurum, sed pannorum instar abscedebat cuticula. Id in aliis ocyus, in aliis tardius, interdum per tres aut quatuor septimanas trahebat, eoque major erat epidermidis abscessus, quo major efflorescentia quoque calidior cutis fuerat: cute interim sensilissima ad aëris aut frigidi aut calidi vel levem contactum. Die octavo totus morbus videbatur superatus. Nulla querela, appetitus somnusque rediens convalescentiam indicabant. Tunc autem imprimis cautos esse oportebat

iisque etiam, qui frigus arcebant, corpus purgabant, et in cibo aut potu modum servabant, tumebant parotides et submaxillares glandulae in uno primum, deinde in altero latere; qui tumores tamen nec multum negotii facessebant, nec perstabant. Alii vero imprudentiores, neque sibi caventes, a die 18°: ad 22um tristes et imbecilli sensim vultum et corpus sibi tumere, ut in hydrope, sentiebant, accedente febre, anxietate, dyspnoea et urina parva saepeque carnis loturae similis, ut plures parvuli ex hac imprudentia diem supremum obierint.

Tertia varietas appellatur maligna. Hanc in quibusdam Galliae locis anno 1751. regnantem observavit NAVIERIUS. Variolis et morbillis successit verno tempore scarlatina graviter epidemica. Per febrem admodum vehementem se manifestavit, quae animi deliquiis, lassitudinibus spontaneis, capitis fauciumque doloribus ac difficili deglutitione comitata erat. Secundo die et saepe post 24 vel 30 horas in toto corpore maculae rubrae, vivido scarlatino colore, latae, manus magnitudinem saepe excedentes, figurae irregularis atque ita corporis cutim tegentes, ut unica tantum macula esse videretur, adparuerunt. Hae maculae erysipelatis adinstar uno ictu unam partem linquentes aliam petebant. Calor cutis ingens, mordax, praesertim in adultis. Pulsus parvus, frequens, et respiratio difficilis, intercepta et singultuosa in plurimis esse videba-

tur: halitus oris adeo calidus et urens, ut circumstantes molestaret. Haec febris etiam interdum cum manuum et brachiorum inflatione conjuncta fuit integrasque familias invasit. Quibusdam tenellis hydrops ingens, urina brunea, parca, cruenta. Nonnullis ventris meteorismus, lingua sicca, pluribus vero humida.

Iis qui evadebant, epidermis 5º. vel 6º. die abscedebat. Quibus vero non illico in primo morbi insultu opem ferebant, escharae gangraenosae in fundo faucium fiebant paucique servati sunt. Peribant autem die 4º. vel 5º., tanquam inflammatione gangraenosa pulmonum suffocati, alii ex gravi delirio multam saniem per os et nares reddentes et post mortem maculae videbantur violaceae factae. Quemadmodum haec in gangraenam transire potissimum visa est: sic altera malignitatis caussa in hoc exanthemate, quam a nervis repetunt, in arachnitide sive cerebri inflammatione rectius ponitur. Duplex enim scarlatinae malignae origo est: angina in gangraenam terminata aut sanguinis dyscrasia universe, et inflammatio in cerebrum usque aut ejus membranas porrecta, quae si vel pectus magis aut abdomen aut cutis cellulosam tangat, varii hydropis calidi, saepius notati fons erit.

In maligna, quae dicitur, scarlatinae varietate, faucium inflammatio saeva, calor cutis ingens, mira pulsuum velocitas, cerebri affectio gravis et post labores hosce exantlatos vel pulmonum intes-

tinorumque aegritudines, vel dirus potissimum hydrops. Contagium, unde hoc exanthema nascitur, magis mucosam primae officinae, quam morbillorum solet petere. Hinc creberrime huic morbo se jungit angina tonsillaris, quae vel inflammatoria mere est, vel in gangraenescentiam vergit. Suscepto contagio etiam vomitus oritur, ab affecto plexu abdominali, provectiori morbi diarrhoea, interdum nervi coeliaci paralytica prostratione tacti indicium. Calor cutis tantus est, ut ad gradum 105—112. scal. Fahr. adscendisse visa sit, neque ullum est febris genus, in quo major notata sit pulsuum velocitas, quam in hoc ipso.

Caeterum, quod maxime metuendum, caput petit ac cerebrum saepenumero morbi vis, unde deliria phrenitica, aut comata, sopores, apoplexiae, convulsiones saevae. Neque postquam ipsa cutis efflorescentia sua stadia dimensa fuerit, tutus est aeger, verum interdum in alia pulmonum mala delabitur, vel quod saepissime evenit, in dirum incidit hydropem, haud raro funestum. Hanc tanti morbi saevitiam nulla hucusque arte humana vinci potuisse, uno ore fatentur medici, qui in ejusmodi gravi malignaque scarlatinae epidemia tertium saepenumero aegrum, omnibus incassum artis auxiliis in usum vocatis, interemptum doluerunt. Et profecto, si mors tam cita venit, ut vel intra viginti quatuor horas aegrum rapiat, vel inopinato rerum conditio mutetur, ea deërit agen-

di opportunitas, qua medico opus est ad morbi vim frangendam. Sed vereor, ne crebro vel in aegro minus docili, vel in familiaribus et domesticis nimium sedulis, vel in medico aut imperito, aut imprudenti, aut inconstanti dubioque magis, quam in morbo culpa infelicium curationum ponenda sit.

Operae profecto pretium est, ea animo legere, quae hac de re docte et mascule disputat Jo. Wendt vir experientissimus, in libro de morbis infantum pag. 245 sqq. Ed. III. quae Breslaviae et Viennae anno 1835 prodiit.

Solam veram esse scarlatinam inflammatoriam, nervosam ad fictas rerum species pertinere, quae mentes medentium terrent, quibusque et nervorum dolentium atque laborantium phaenomena et inopinas aegrotantium mortes aut illustrare aut occultare solent. Ignorare videntur isti, sic vir candidus, male curatam inflammationem facile sensorium petere sicque vel typhi induere formam, vel ictu apoplectico necare. Quot millia scarlatinosorum ex ejusmodi pseudo-neurosi perierunt, qui non periissent, si ipsa inflammatio fortiter impugnata fuisset! Vera morbi notio ea est, quae inflammationem subesse opinatur: haec naturae judiciis respondet utque haec ipsa perennabit. Haec fida medici clinici dux erit et ea efficiet, quae multis medicis incredibilia videbuntur. Phlogosis cerebri scilicet, tanquam inflammationis scarlatinosae

deuteropathica forma nascitur vitamque opprimit, rem stupente, nec percipiente medico.

Alterum genus scarlatinae nervosae illud est, quod debetur humorum ex febre dyscrasiae, unde ecchymoses, petechiaeque proveniunt, minime propriam scarlatinae formam, sed colliquationem humorum denotantes.

Nec majori jure scarlatina putrida peculiaris scarlatinae species appellabitur, quam gangraena species inflammationis. Scarlatina gastrica ex sympathica potius cutis intestinalis affectione, quam ex peculiari gastrica colluvie generatur.

Scarlatina miliaris nihil aliud est, nisi mutata ex morbi vehementia exanthematis forma, qua sublata cuticula, ut in erysipelate, bullularum aut vesicularum aut papularum species prodit. Scarlatinam denique sine efflorescentia, vel decolorem in iis fieri contendit, qui quum prius morbum superarunt, iterum contagio suscepto anginam ac febrem sine notabili cutis valetudine patiuntur.

Habetis viri arte et doctrina insignis de hoc morbo sententiam, quam et rei naturae et observationi atque experientiae congruam esse ipse artis me docuit usus et ex qua quaecunque in scarlatina fiant, commodam mihi interpretationem accipere videntur. Nam sive morbi naturam phlogisticam illam cogito, sive ingentem illum cutis calorem, ruborem, cuticulae desquamationem et calidum, qui sequitur, hydropem, sive curandi

rationem optimam et remediorum calidorum pericula atque incommoda, seu denique propriae experientiae fructus, quos uberrimos cepi ex sanguinis detractionibus iisque, quae inflammationibus debellandis aptissima reputantur armis, hanc WENDTII sententiam amplecti cogor, missis aliorum virorum doctorum placitis et hypothesibus partim obscuris, partim veritati minus consentaneis.

Est tamen casus in quem convenit curatio roborans, morbi scil. in gangraenescentiam inclinantis viriumque labentium, quo in casu vir praeclarus ANT. DE HAEN et laudare et praebere solebat C. Peruv. cui favere etiam poterit maxima in hac nostra regione epidemia intermittentium eique favens constitutio anni.

Prius autem, quam de curatione verba fient, prognosis explicanda est. Verum huic praemittere liceat epidemiae scarlatinosae Historiam, a celebri inter Roterodamenses quondam medico LAMBERTO BICKERO exaratam.

A fine mensis Augusti aut initio mensis Septembris a. 1778. usque ad mensem Augustum a. 1779. regnans minus saeviit mense Januario et Februario sub gelu hyberno: mense autem Decembri maximus fuit numerus funerum: redeunte calore increvit ac per aestatem etiam faucium inflammatio et sanguis inflammatorius diathesin phlogisticam perennantem monstravit. A parvis initiis orta, maximam stragem edidit mense Decembri cumque men-

se Majo exsulare videretur, mensibus Junio et Julio magis iterum saeviit, subinde maligna facta quodque probe notandum: est enim animadversio ad omnes omnino epidemias pertinens; una cum maligna maxime morbi specie non defuerunt exempla scarlatinae mitissimae benignissimaeque. In aliis morbus magnus quidem, nec tamen malignus fuit. Morbi maligni forma quadruplex. Prima gravem cutis cum tumore phlegmasiam, ostendebat gravissimamque anginam, saevissimam, atrocissimam, gangraenescentia terminatam. Altera minus gravem phlogosin, sed inaequalem illam et citam nonnullis locis escharарum gangraenosarum formationem ipsiusque mucosae narium et pulmonum affectionem, non tam celerem exitum, subinde ex febre hectica. Tertia eadem faucium mala, sine cutis phlogosi monstrabat, pariterque quibusdam fuit exitio. Quarta, praeter vehementem febrem, cutis et faucium atrocissimam inflammationem, qualem in superioribus, manifesta habebant membranarum cerebri totiusque mucosae et nasalis et pulmonalis et intestinalis tactae indicia: hique ex morte pulmonum tanquam ex peripneumonia gravissima misere intra biduum aut triduum, peribant. Qui evadebant, vel ex parotidibus laborarunt aut graviter aut diu, vel ex manuum, crurum, pedum ulcerationibus male habuerunt, vel ex ophthalmia, vel ex hydrope, vel ex convulsionibus, vel ex pectoris valetudine: quae omnia neque promptius, neque tutius vel tolli, vel

mitigari posse contendit, quam tempestivis iisque repetitis venaesectionibus, quas in multis a se non citius aut copiosius potuisse adhiberi, gravis et justa experientissimi auctoris querela est.

Nunc ad prognosin explicandam accedamus. Quae fausta est mitioris scarlatinae praesensio, ea gravioris morbi dubia, gravissimi ominosa est. Augetur periculum cum calore cutis, pulsuum velocitate, inflammationis gradu, magnitudine, extensione; faucium imprimis et capitis inflammati graviterque laesi signis. Si summa sit virium oppressio, ingens deglutiendi et spirandi molestia, sopor, delirium, intra unam alteramve diem jugulare potest. Ubi fugax exanthema est, ibi inflammationem internam timete. Si dissipata jam scarlatina aegri febricitare pergant atque inquieti et insomnes sint, signum est criseos nondum perfectae, auctore gravissimo Plencizio. Si post superatam scarlatinam malignam aegri ab omni quamvis febre immunes, tamen non appetant et langueant, leucophlegmasiae, i. e. hydropis futuri, eodem auctore, signum est. Iste leucophlegmaticus tumor, sic idem alio loco de eo, quod stadium scarlatinae secundum nuncupat, est majoris quandoque momenti, quam scarlatina ipsa. Adeoque praeprimis solliciti esse debemus, ut tales aegri, quamvis superata jam scarlatina in vado esse videantur, in debita transpiratione maneant; quae consilia de vitando aëre libero, aut de aegris in lecto detinendis

multis inexpertis paradoxa videbuntur; interim sufficiat dicere, quod experientia edoctus haec scribam, haec sentiam." Hactenus PLENCIZIUS, qui sponte ad eum locum, qui est de therapeia, nos traduxit. Haec qualis tandem esse debeat, non opus est, multis verbis patefacere. Morbus, ut inflammatorius est, sic antiphlogistica medicina optime curabitur, accommodate tamen ad eum gradum, quem tenet. Benigna scarlatina praeter quietem et abstinentiam ab aëre externa frigido, ab alimento, a calidioribus quibusvis, nulla eget medicina. Gravior, aut maligna debilitante antiphlogistica, eoque magis, quo malignior morbus. Aut qua alia methodo cutis irritatio moderari, faucium tumor minui, caput, pulmones, intestina ab inflammationis impetu liberari morbique phlogistici in mucosas, serosas, cellulosam saevientis furor cohiberi, gangraena ex ejus vehementia imminens averti poterit? Et quemadmodum calidioris medicinae fautores scarlatinosorum funera multa dolentes audimus morbique accusantes malignitatem, sic feliciores suas fortunas tempestivis largisque sanguinis detractionibus audimus cum grato animi sensu tribuentes. Nam credite mihi, ista malignitas nihil aliud est, nisi larva morbi graviter inflammatorii vel prava medicina diaetaque exacerbati, vel cerebrum organaque vitalia invadentis.

Ex pluribus observationibus, quibus hujus methodi utilitatem ostendit MARCUS ANTONIUS PLENCIZ,

unam alteramve citabo. Duo nobilissimae gentis juvenes in Academia Sabaudica tunc commorantes corripiebantur scarlatina maligna. In utroque exanthemata fere una cum morbo in conspectum venerant; in utroque pariter ingens inflammatio fauces occupabat. In uno seu secundo genito propter metum retropulsus nulla venaesectio admittebatur. Unde etiam factum fuit, ut intra triduum suffocaretur aeger. Alteri vero, nimirum primogenito debita sanguinis missio instituta erat; qui quamvis dein totius fere corporis desquamationem et decorticationem expertus, tumoremque hydropicum in longum tempus perpessus fuerit: nihilominus tamen (favente Numine) omnem hujus truculenti morbi saevitiem elusit, superavit, evicit. En alteram observationem: est aegroti VIII, qui neglectae V. S. poenas luit. » Juvenis 17 circiter annos natus laborabat scarlatina maligna cum inflammatione faucium aliisque solitisque symptomatibus, quibus stillicidium narium se adjungebat. Omnia remedia quae legitimis indicationibus satisfacere possent, in usum vocata sunt, excepta sola sanguinis missione, quae quamvis ordinata fuisset, tamen instituta non fuit. Morbus interea cum faucium inflammatione augebatur; his accesserant deliria, convulsiones et tandem quarta ab eruptione die, mors. Vix denato aegro et toto adhuc calente cadavere, ingens copia sanguinis ex ore et praecipue e naribus effluxit." Quid juvet etiam

in casu fere desperato aegrotus IX. vos doceat.

Adolescens syntaxeos studiosus tredecim circiter annos natus m. Novembri anni 1750. afficiebatur scarlatina maligna hoc modo. Prima statim die de summo languore, debilitate, nausea, et nisu ad vomitum conquerebatur; secunda die in conspectum jam venerant exanthemata scarlatina in facie, aderant praeterea respiratio et deglutitio laboriosa sitisque intensa et reliqua, quae prima die. Ego advocatus inveni pulsum celerem, debilem et vix perceptibilem, qui quamvis adesset summa faucium inflammatio et reliqua quae V. S. indicarent, me a sanguinis missione deterrebat et arcebat. Dum vero post meridiem aegrum delirantem suffocandumque invenirem, judicavi, non obstante praedicta pulsuum debilitate, unicum superesse remedium spemque e sanguinis missione; qua dein in pede instituta, pulsus fiebant successive sensibiliores et fortiores; respiratio et deglutitio evadebat facilior; et adhibitis aliis remediis aegrotus breve intra tempus sanitati restituebatur.

Contra quam noceat contraria medicina aegrotus X testatur. Adolescens 14 circ. annos natus a. 1758. corripiebatur scarlatina maligna. Primis morbi diebus utebatur emulsis et tinctura (aquosa) flor. rhaeados pro potu ordinario aliisque antiphlogisticis et adpositis remediis. Verum perstantibus exanthematibus propter metum retropulsus nulla V. S. admittebatur. Die autem ab erup-

tione 3ª. ad domandam acrimoniam septicam malignam, adhibebatur Cort. Peruvian. tanquam specificum antisepticum. Ast de die in diem augebatur morbus, febris, difficultas in respiratione et deglutitione; tandem accesserant ferocia deliria, convulsiones et mors.

Itaque profuit in casibus memoratis venaesectio: nocuit si omissa fuerit, aut datus Cort. Peruvianus. At tenellis venaesectione sanguinem detrahere vetant vires? Negant peritiores cum alii, tum Wendtius. Et profecto nisi vetent vasorum adipe reconditorum teneritudo atque profundior situs, topicae per hirudines depletioni longe antecellit depletio universalis, neque duas aut tres hirudines, ut fit, eam possent compensare. Hae autem quando topicae congestiones aut angina urgeant, febre mitiori, ad caput, collum, pectus, abdomen, in vicinia loci aegri admovendae sunt. Affusiones, sive lotiones frigidae, psychrolusia a medicis Anglis celebrata soli malignae et quidem nervosae quae dicitur formae, cute arida ardente, caloris incremento ad thermometrum etiam manifesto, pulsuque velocissimo, inprimis initio morbi apposita est. Suos ipse filios hac methodo servavit ejus auctor experientissimus J. Currie ejusque salubritatem etiam insigni exemplo illustravit, ipsius in Germania laudator Doctiss. Brandes, quod memorasse non unam ob caussam utile videtur.

Anno 1807. in urbe Kiel, regnabat epidemia

scarlatinae ut plurimum benignae. Simul tamen plures partus praematuri eveniebant, quos sequebatur febris puerperalis, sine humorum effusionibus in abdomine conspicuis. Suspicabar, ita BRANDESIUS, epidemiam scarlatinae propter ita evenire, nec tamen rem habebam experientia exploratam. Exploratam habui, ex quo matrona juvenis primipara septimo mense partum edidit, postquam plures ejus cognati scarlatinam perpessi erant, ipseque frater ex leucophlegmasia metastatica obierat. Jam quarto morbi die symptomata nullam salutis spem admittere videbantur. Pulsus minimi, creberrimi nec numerandi, delirium summum, quod omnem mulieri honestissimae pudorem ademerat, artus per vices calentes rursusque frigentes, suppressa lochia. Ita nocte diei quartae, qua aegrotanti maximo apud omnes in honore habitae cum aderam, mortem praevidebam brevi affuturam. In dubia atque ancipiti hac rerum conditione aliorum judicia non curans, anceps adhibendum esse remedium arbitror, eodemque temporis articulo, quo corpori affunditur aqua gelida evanuit delirium, nec rediit: pulsus factus est naturalis, ita ut medicus obstetricator mane proximo manum carpo admovens stuperet prorsus ad tantam tamque citam pulsuum mutationem. Cutis prius pallida paeneque emortua rubore scarlatino suffusa est atque intra octiduum aegra absque ullo incommodo prorsus convaluit.

Est haec curatio plures ob caussas notabilis: siquidem facta est nondum exstante eruptione, in femina puerpera, artubus nunc frigidis, nunc calidis. Hic manifesto ab irritatione cutis tam gravi tamque repentina et morbi corpore suscepti perfecta eruptio et aegri salus repetenda erat.

Saepenumero vel frigidae, vel tepidae corporis ablutiones, spongia factae cutis ardorem pulsuumque velocitatem minuerunt, nec tam ancipiti remedio opus erit: atque audiendus est Hildebrandtius maximam in eo administrando circumspectionem omnibus medicis et praesertim junioribus commendans et legendus etiam praeclarus de morbis infantum auctor Adolphus Henke. Ubi in morbo inflammatorio cum phlogosi magnus erethismus nervorum copulatur, praesertim convenire videtur: nec tamen sine praemissa tempestiva sanguinis depletione, quam in scarlatina nervosa ex cerebri, ut solet, phlogosi oriunda, semper fieri jubent peritissimi medici Heimius, Hildebrandtius, Wendtius. Pertimescunt, inquit Hildebrandtius, in scarlatina nervosa nonnulli practici sanguinis missiones, Heimio tamen, Marco et propriis experientiis fidem habentes summam illis adscribimus praestantiam. Excipiantur illi casus, rariores maxime, in quibus vera nec ficta est virium imbecillitas atque exhaustio. Etiam capiti fomenta frigida imponenda sunt, ut nimius humorum impetus a cerebro repellatur, etiamsi opinio vulgi a tali reme-

dio abhorreat. Medicos autem juniores decet seniorem virum probum in consilium vocare, antequam tali remedio utantur, ne temeritas medici occidisse, quem morbus occidit videatur.

Reliqua curationis pars pariter sit refrigerans oportet. Quapropter potus sit acidulus, ex aqua hordei cum succo citri et saccharo et medicamenta diluentia leniterque eccoprotica et leniora pariter enemata, si alvus minus respondeat. Neque ab iis deterreat linguae rubor scarlatinus huic morbo peculiaris. Ex salibus neutris lenissima tantum: tartras potassae, acetas potassae, citras potassae commendabilia, minus vero nitrosa. Sique potenter revellendum a capite, mercurius dulcis et quidem ad dosin gr. 1—11, omni bihorio cum saccharo, forma pulverum, nec ultra biduum, quo vicaria concitetur alvi excretio et lymphae plasticae exsudatio praepediatur. Etiamsi in scarlatina benigna quae sudorem versus cutem pellunt remedia mitiora, minus nocebunt, in vera gravique cutis inflammatione diaphoretica dare, est orgasmum cutaneum augere, est secretionem exspectare a parte ad secretionem inepta, est morbum manifesto exacerbare, est acuere quem obtundere debueras stimulum. Immo in summo morbi gradu praestat aqua frigida sitim atque ardorem internum extinguere, quam vel levissimorum diaphoreticorum stimulo corpus incitare.

Emetica in sola gastrica complicatione indicari,

raro proficua, saepius nociva, arctis limitibus circumscribenda, praesertim propter impetum in caput, quem augent, in scarlatina maligna aut graviori proscribenda prorsus, cautioribus medicis videntur. Atque quum derivandum sit, aut revellendum, rubefacientia ut plurimum vesicantibus anteponenda sunt. Interim regimen temperatum sit. Arceatur aura frigida, lecti leni tepore sustentetur in cute efflorescentia, neque ea existente e lecto surgant, nec tamen calore nimis, aut stragulorum onere aegrotantes opprimantur atque ad vigentem phlogosin accommodetur aëris ambientis temperies: praecipue desquamationis tempore a refrigerio caveatur. Quibus multi abutuntur cardiaca, stimulantia, roborantia medicamenta tunc solummodo cum quadam spe successus in usum vocari poterunt, quum perspicua fuerint status putridi putridaeque febris symptomata, qualia sunt sanguinis profluvia passiva, ecchymoses, petechiae, angina gangraenosa similiaque, quibus opponenda acida mineralia, camphora, serpentaria, cort. Peruvianus, de quibus cum symptomatibus, tum remediis deinceps aptior dicendi locus erit.

Antonius de Haen, eruditissimus medicus corticem Peruvianum etiam in scarlatina non putrida adhibuit, sanguinem corio pleuritico tegente. Sed si attento animo descriptas ab ipso historias perlegatis, mecum dubitabitis convalescentiam huic remedio potius, quam venaesectionibus tribuere, si-

mul factis, quae largiores et crebriores forsitan majorem et promptiorem attulissent salutem. Sed mentem obnubilaverat gangraenae et malignitatis et sepseos praeconcepta affinitas.

Hydrops, qui morbum huncce sequitur, duplex est, sive calidus, qui dicitur, i. e. inflammatorius, seu frigidus, i. e. adynamicus, atonicus.

Prior, calidus, raro solam cellulosam subcutaneam tenet, ut plurimum corporis cava majora membranis serosis investita: capitis, unde hydrocephalus internus, pectoris unde hydrothorax, abdominis, unde hydrops ascites. Haec recte multis altera scarlatinae periodus dicta est. Nam nihil aliud est, nisi morbi inflammatorii a cute ad serosas progressio: neque aliam quoque curationem postulat, quam ipsius scarlatinae, antiphlogisticam. Tunc neglecta forsitan, aut parcior justo sanguinis evacuatio tardiori satisque larga compensabitur: quae eo utilior magisque necessaria, quo robustus magis corporis habitus et perspicua magis diathesis phlogistica. Regimen praeterea antiphlogisticum sit et antiphlogistica medicina: diuretica e nitro, cremore tartari, tartaro boraxato ac praesertim pulvere herbae digitalis purpureae, cum mercurio dulci. Hujus methodi salubritas ipsa sanationis spontaneae declaratur exemplo illustri, quod observavit mihique scripto mandatum misit eximius inter Roterodamenses medicus Loncq. Puer decennis post scarlatinam horrenda leuco-

phlegmasia tumens, Kal. Jul. a. 1835, hora a meridie circiter prima, subito narium haemorrhagia corripitur tam gravi, ut mater, quae hucusque naturae relinquere filium, quam medico confidere maluerat (nec sine caussa: multi namque tunc temporis sub medicorum cura moriebantur) ilico meum imploret auxilium. Equidem statim ad domum aegroti me confero, quam intrans ecce! puerum video summe anxium, cui sanguis pleno rivo ex utraque nare defluit. Jam frigidam mater carpo infundit, jam clavem nuchae admovet vicina; jam varia suadet officiosa intrantium cohors, solita vulgi ad epistaxin sistendam auxilia. Quorum cum paucos ante dies funestum vidissem effectum in infante, cui in febre ardente statim post suppressam narium haemorrhagiam lethalis accesserat haemoptoë, quum pulsus et plenus et frequens sit, aeger autem anxietatis levamen percipiat, ab omni fluxum cohibendi tentamine abstinendum esse, jubeo. Post horae quadrantem, sensim imminuto fluxu, non nisi stillat e naribus sanguis, quo quidem stillicidio cessante abeo, nil nisi quietem commendans. Hora vespertina octava reversus puerum invenio multo melius sese habentem, volumine autem tantopere imminutum, ut eundem esse, quem meridie videram, nisi omnes affirmassent adstantes, vix credidissem. Ipse mihi puer narrat, et quarta et sexta hora rediisse haemorrhagiam, prima adhuc multo graviorem. Pulsus

quanquam minus plenus minusque frequens, nec tamen parvus, nec rarus est. Sequenti nocte ultimum rediit fluxus, qui hydropem prorsus fugavit. Atque sic quidem *sex* ad minimum sanguinis *libris* intra nychthemerum eductis, morbum sanavit natura. Quod eo magis miratus sum, cum relicta debilitas nequaquam inanitioni responderet viresque intra paucos dies per nutrientia blanda recuperaverit noster.

Itaque hic hydrops apparatu antiphlogistico debellandus est, quod primos animadvertisse medicos Florentinos Burserius auctor est. Cum Florentiae, inquit, circa ann. 1717. quamplurimi purpura scarlatina epidemica implicarentur et omnes 14°. circ. die simplici Sydenhamiana methodo feliciter sanarentur; observatum est convalescentium aliquos circa 21. diem coepisse queri de aliqua respirationis gravitate, modica tussi atque aliquo oculorum faciei et externarum gutturis partium oedemate, quibus phaenomenis succedebat febris iisque ingravescentibus, praesertim oedemate, quod universale fiebat, cum levi thoracis dolore, abdominis tensione et aliquando torminibus et omnimoda urinarum suppressione ad interitum festinabant, diureticis tractati. Medici tunc solertiores mortuorum cadavera secuerunt inveneruntque pulmones, pleuram, intercostales musculos, diaphragma, renes et intestina plus minusque inflammatione correpta. Quamobrem in eam venerunt sententiam,

ut peripneumoniam, quam metastasis materiae morbificae non ex toto evacuatae induxerat, pro primario morbo habendam crederent; tumorem vero leucophlegmaticum pro ejus symptomate sive effectu secundario. — Quapropter in aliis, qui in hujusmodi morbum inciderunt, sanguis mitti coeptus est ex brachio et si opus erat etiam iterato, et sic omnes sanabantur, felici eventu consilii bonitatem comprobante: idque postea, eodem auctore, ad alios etiam hydropes ex hoc morbo supervenientes et febrim comitem habentes et reliquas notas calidi oedematis prae se ferentes traductum est: hincque jam apud omnes Etruriae medicos invaluit, ut non alia hunc affectum alias lethiferum methodo oppugnent, quam antiphlogistica, sanguinis videlicet missione, nitro, temperantibus et subacidis medicamentis.

Hydrops frigidus magis tonica requirit cum diureticis copulata remedia. Laudant alii cathartica, diaphoretica, mercurium dulcem, praeparata de auro, balsamica aetherea. Reilius praecipue cathartica atque amara cum alcalinis juncta sibi profuisse testatur. Frankius frictiones, decoct. chinae cum oxym. scillit. interdum excitantia, praemissis diureticis, aut catharticis, ad aquas educendas. Nulla hic rationalis therapeia, nisi intellecta hydropis pathogenesi et conditione morbosa, ex qua manaverit hydrops: de quibus postea, ubi de hydrope verba fient.

Ad morbum, cujus tot tantaque notaverunt discrimina medici, remedium quod antevertere eum posset i. e. prophylacticum quaesiverunt. Hunc in finem ab aliis alia excogitata sunt et proposita: diaphoretica, vomitoria, mercurius dulcis, sulph. aurat. antimon. belladonna, quorum nullum hucusque spem implevit. Haec autem, Hahnemanno inventore, solita huic parsimonia propinata, psychica forsitan magis, quam physica actione meticulosis compluribus auxilio fuit. Interim exstat apud Rayerum observatio, quae vim Belladonnae homoiopathicam mirifice firmare videtur.

Vir 46 annos natus postquam circa sextam, aut septimam matutinam sumpserat Belladonnae grana 44, post horam affectus est cephalalgia supra orbitam gravissima una cum ingenti rubore oculorum et faciei, sensim sensimque corpus universum invadente, ita ut brevi tota cutis aequabili rubore tingeretur simillimo ei, qualis in scarlatina cernitur; ad haec aegri fauces rubebant et ardebant calore, qui ad omnem canalem cibarium propagari videbatur, quodque notari meretur viae, quae vocantur urinariae ac praesertim collum vesicae sedes erant irritationis perquam dolorosae. Aeger in ipso delirio loquaci indesinenter matulam sibi porrigi postulans nonnisi moleste aliquot guttulas emittebat urinae perquam rubrae ac cruentae. Larga venaesectio, potus et clysteres emollientes,

atque admotae hirudines haec symptomata sustulerunt.

Quandoquidem ergo virtus prophylactica Belladonnae adhucdum dubia atque incerta est, illius indagationem medicis artem facturis commendamus.

BULLAE. PEMPHIGUS. RUPIA.

In Bulla major pars cuticulae a corio separata est, interposito humore limpido aqueo. Hujus generis duae Rayero auctore distinguuntur species: *Pemphigus* et *Rupia.*

In Pemphigo bullae sunt majores, flavescentes, sero limpido plenae, quae mutantur in crustas tenuiores, lamellosas et leves excoriationes. Alius acutus est, alius tardus.

De Pemphigo acuto, febrili, qui a maculis rubris, instar erythematis incipit inque bullas, circulo rubro roseo circumscriptas transit, dubitant Cullenus, Willanus, Batemannus: descripserunt tamen antiquiores, Burserius etiam et nuper Gilibertus, Biettus, Rayerus. Nonnulli epidemicum fuisse perhibent, contagiosum, malignum, nunc antiphlogistica, nunc alexipharmaca methodo curandum. Acuti tamen exempla perquam rara sunt et conjuncta cum inflammationibus sive oris et faucium, sive intestinorum, sive mucosae syste-

matis uropoietici et genitalis. Talem casum commemorant Bietti discipuli Cazenave et Schedel, quem non tantum signa comitabantur irritati ventriculi et intestinorum, verum etiam ophthalmiae, catarrhi pulmonum et inflammationis urethrae acutissimae, quae symptomata cum ipsa eruptione mensis spatio disparuerunt.

Nec vel ipse Cullenus, quod nuper scribit Rostan, prorsus negavit Pemphigum febrilem. » Paulo postquam haec impressa sunt, inquit, collega noster eximius Franciscus Home mihi hominem leviter febricitantem ostendit, cui primum in brachiis et successive demum in toto corpore, vesiculae magnitudinis avellanae obortae sunt et post duos tresve dies effuso humoris serosi pauxillo collapsae sunt. Haec febris autem nullam indolem vel typum peculiarem monstrabat et cito disparuit nequaquam contagiosa." Non contagiosam esse probarunt experimenta hac de re capta ac relata a celeberrimo epidemiarum historico Ozanam T. IV. pag. 144 sq. Verum hanc acutam morbi speciem, ut nunquam vidimus, ita leviter tantum eam perstrinximus, ad alteram chronicam speciem transeuntes. Minus haec rara est, quam altera, nec frequens tamen admodum. Willano adpellatur *pompholyx diutinus*, Aliberto *dartre phlyctenoide confluente* Pl. XXIII. pluribus delineationibus illustravit Rayer Tab. III. fig. 1 — 7. Ab acuto differt tardo eruptionis decursu, qui plurium men-

sium est, eruptione successiva, febris absentia, saltem initio. Universe senioribus magis quam junioribus (quamvis *congenitus* quoque et *infantilis* sit animadversus) molestus, autumno et hyeme visus est, tum ex dentitione, victu pravo, malo animi habitu, catameniorem turbis nasci, aut ex cachexia provenire, interdum vero nullam habere caussam manifestam animadvertitur saepiusque recurrere et maxime pertinax esse: aliorum observatorum, Schedelii et Cazenavii testimonio. Viris et quidem senibus magis peculiare exque corpore, sive victu, seu habitatione, seu rheumatica aut gastrica affectione labefactato principium repetit. In mortuorum corporibus hepar inprimis vitiatum (*foie gras*) notarunt eo genere metamorphoseos, quae appellatur *lardacea*.

Ex Reilii et Haasii conjectura cum vitiis systematis uropoietici aut vitiata urinae secretione cohaeret: hic ex acido phosphorico natum vidit inque calculosis et arthriticis praecipue existere monet ideoque ab hoc acido in corpore abundante ejus originem repetit atque alcalina, sulphureta similiaque in primis commendat.

Interdum cum aliis vitiis cutaneis complicatur, interdum cum externis mucosae inflammationibus: interdum salutaris haemoptysin, internas phlogoses sustulisse fertur: nec raro etiam perniciosus in hydropes transiisse. Pemphigum criticum etiam observavit Frankius Epit. III. pag. 205 sqq.

Curatio in morbo levi diaetetica, refrigerans, acidula, acutiori antiphlogistica, diuturniori tonica per acida mineralia, cort. Peruv., martialia. Hisce tamen caute utendum est, siquidem vix integra esse solet mucosa intestinalis: quapropter diaeta lactea non inutiliter commendata legitur. Initio balnea tepida: deinceps balnea alcalina nonnulli laudarunt, praeterea cuticulam non auferendam sique dolores et vigiliae aegrotantes fatigent, aut alvi fluxus urgeat, emollientibus atque opiatis dolores sopire, somnum arcessere, diarrhoeam cohibere, auctores medici praecipiunt.

Plures observationes Pemphigi retulit in libro suo de morbis cutaneis P. Rayer I. pag. 280 sqq.

Rupiam distinguunt bullae minores, solitariae, planiores, plenae humoris serosi, turbidi, purulenti, cruenti, quas excipiunt crustae nigrae, crassae, exstantes, sub quibus latent ulcera, aut magis, aut minus profunda. Rupiae plures varietates numerantur: simplex, proëminens, escharotica ipsaque quibusdam ecthymatis varietas censetur. In ulcera, atonica, chronica, rebellia transit: quorum sedes in naribus, femoribus, lumbis, abdomine, scroto, pectore, raro in brachiis quorumque caussa in corporis habitu pravo, cachectico, sive scrofuloso, sive syphilitico, sive alio, in pravo victu, prava habitatione, pravo aëre ponitur; curatio vero tum universalis, emendando victu, instaurando habitu, lacte sanae nutricis, ubi infan-

tes; carnibus, vino aqua temperato, ubi adultos tenet, tum topica evacuando seroso humore, comprimendo, depurando ulcere, aut emollientibus decoctis ex malva, althaea, si doleant, aut cremorem tartari inspergendo, quod ex omnibus topicis saluberrimum praedicat Rayer. Rebellia ulcera cauterio potentiali ex acidis aut mercurialibus corrosivis renovanda esse docet Biett.

Notandum denique, ubi peculiaris subsit in corpore diathesis: scrofulosa, syphilitica, alia, hujus potissimum in curando hoc vitio rationem habendam esse medico. Casus morbi videte apud Rayer l. l. pag. 308 sqq.

PHLEGMASIAE VESICULOSAE.

Vesiculae, bullis minores, formantur minimis guttulis seri, sub cuticula effusis eamque attollentibus. Hae guttulae vel resorbentur, vel ruptis vesiculis effunduntur ad cutis superficiem, cumque initio pellucent, deinceps subinde flavescunt, tandemque in squamas, excoriationes aut tenuiores crustas transeunt. Herpes, Eczema, Scabies, Miliare a nonnullis etiam Varicella huc revocantur: haec ab aliis ad pustulas refertur et quia magnam habet cum variolis cognationem, ab iis separari, nisi repugnante natura, non potest.

Herpes plures varietates obfert, quales sunt: labialis, praeputialis, phlyctaenoides, zoster, circinatus, iris, quarum praecipuas breviter commemorabimus.

Herpes, *zoster*, *ignis S. Antonii*, *ignis sacer*, *zona*, ab aliis aliter adpellatur: *herpes phlyctaenoides zonaeiformis* Aliberti: a nonnullis erysipelatis species habetur: verum minus recte, quemadmodum non recentioribus tantum, verum etiam antiquioribus jam auctoribus perspectum est, qui rectius vocarunt Herpetem. Haec inflammatio, ubi erumpit, racemos vesicularum vehementer dolentium et rubrarum sic exhibet et disponit, ut ad aliquot digitorum transversorum mensuram cinguli instar corpus ambiat. Eruptionem plerumque, ita Burserius, cujus descriptione, accuratissima illa utar, aliqua febris cum horrore, modo brevior, modo longior, modo gravior antecedit. Haec interdum gravibus stipatur symptomatibus, uti delirio, vigiliis, anxietate, inquietudine, corporis jactatione, vomitu, aliisque eruptionum febrilium phaenomenis. Quandoque exigua est, ut vix pulsum acceleret et nocte tantummodo se exserat, calore, agrypnia, siti atque irrequie. Interdum omnino abest, aut abesse videtur, vel vespere dolentibus et suppurantibus pustulis supervenit levissima, quae mane tamen decedat. Ubi febris eruptionem antecedit, eruptione facta, quod post unum vel alterum diem contingere solet, ipsa ilico cessat ac desinit,

nisi quod rarissimum est, tanta sit morbi vis tantaque inflammatoria sanguinis diathesis, ut ultra illum terminum exardescere pergat. Aegri vero ante eruptionem etiam tum, cum febris eos non corripuit se male habere per plures dies queruntur et puncturas eo in loco, in quo exanthema proditurum est, molestissimas sentiunt. Deinde pustulae (potius *vesiculae*) parvae, elevatae, rubrae, circulum inflammatum habentes, partim discretae, partim in corymbos collectae et phlyctaenas repraesentantes, plus minus copiosae, cum lancinantibus doloribus et quandoque intolerabilibus ardoreque igneo comitibus erumpunt. Paulatim hujusmodi pustulae mole augentur et in apicibus formant vesiculas, sive ampullulas aqua pellucida plenas et transparentes, quales aqua fervens excitat. Gradatim aqua, quam continent, turbida fit atque opaca, vesiculae aut rumpuntur, aut complanantur et in plicas se contrahunt, fuscum atrumve colorem acquirunt ob cutem gangraena emortuam et in parvas escharas commutantur. Escharae demum exsiccantur et in crustas siccas, duras, nigras abeunt, cito decidentes, quae tamen vestigium altum in cute relinquunt, ut variolae mali moris. Interdum pustulae suppurationem subeunt et sponte aperiuntur manentque apertae, cavae, pus fundentes, triduo, quatriduo, imo quandoque usque ad dies 14. Dolor ipse interdum non conquiescit, nisi post decimum quartum diem; tumque pustu-

lis exsiccatis epidermis finditur, exasperatur et in squamas soluta excidit. Sed neque tum aliquando dolor omnino evanescit. Sedem morbi plerique statuunt abdominis et hypochondriorum regionem. Alii supra umbilicum eum sic collocant, ut medium corpus ambiat, cinguli instar ex praecordiali regione dorsum versus, latitudine ut plurimum aliquot digitorum transversorum, insidentibus ibi pustulis acribus, instar ignis urentibus, quae intensissimum dolorem comitem habeant. Alii vero ab umbilico ad genua usque cutim in hoc affectu per pustulas lividas exasperari, rubere et multum rodi docent. Sed hoc perpetuum non est: nam vidi non semel pectus, dorsum, scapulas, brachia, crura hoc exanthemate correpta, imo frontem ab eo non immunem, ex HAENIO accepimus. Illud fere proprium ejus reputatur, quod pustularum (vesicularum) racemi, in zonae sive cinguli speciem transversim extensi, nunquam lineam albam anterius, posterius vero spinam dorsi transgrediantur. Hinc unum latus corporis tantummodo affici affirmant, sic humerum unum, aut femur, sic unum pectoris latus et tunc a spina pustulas incipere et ad sternum antrorsum terminari, nec ultra hos fines progredi, sic capitis unum duntaxat hemisphaerium occupari, non alterum. Num vero aliquando ab hac lege desciscat zoster, numque semper zonae speciem referat, non facile definivero. Hoc unum certum est, racematim pustulas (vesiculas) adpa-

rere et sparsim saepe distribui, sed ordine non exacte servato. Hactenus BURSERIUS, *Inst. Med. Pract.* Vol. II. c. III. §. XLVIII sqq.

Ut plurimum acuta cernitur intra duas, tres, quatuorve septimanas stadia sua percurrens. Chronicam tamen observarunt LORRY, ALIBERT. BURSERIUS, qui: *diuturnam* non vidi, inquit, nisi semel in vetula, quam stigmata pustularum sub omaplata sinistra ad aliquot menses summo cruciatu atque ardore pertinaciter divexarunt. Per biennium cum anni tempestatum vicibus recurrentem notat ALIBERT, in ea muliere cujus zonam ad naturae fidem depingi curavit Tab. XXIV. ut morbus iste ex cineribus ipse suis renasci aliquando ei visus sit adeoque ejus doloribus excruciari aegros, ut qui herpes praecordia exedens TULPIO nostro dicitur, eum cum Promethei poena comparandum esse judicaverit. En TULPII casum: vir pleni habitus et calidi jecinoris vehementer circa praecordia doluit, cum acri pruritu, insigni dolore et frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus et comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separata, quaelibet degeneravit in humidum ulcusculum cum acri dolore, sudore effuso et interdum tam impetuoso virulentae materiae raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia.

Quemadmodum in his observationibus gravia symptomata et praecedebant et comitabantur morbum, ita ipsum sine hoc comitatu viderunt auctores Francici CAZENAVE et SCHEDEL, et ne in quingentis quidem aegris BIETT. RAYER cum pleuritide, bronchitide, intestinorum morbo, neuralgiis complicatum vidit, alii criticum observarunt atque pleuritidem et vertiginem sanasse. Reticulum vasorum cutaneum sanguinis plenum et pseudomembrana tectum fuisse, RAYERUS animadvertit. Notandum, ardores et dolores saepius diu morbo superesse morbumque raro nisi senibus, gangraena facta, funestum esse.

Ubi gravis inflammatio, sanguis evacuandus est, quem pleuriticum vidit RAYER. Eandem etiam curationem jam antea in hac rerum conditione laudaverat FRANKIUS. Interdum topica per hirudines ano, epigastrio admotas depletio sufficit, interdum sola opus est quiete, diaeta, dilutione leniterque diapnoica medicina. Emeticis et catharticis vix utendum est, praeterquam ubi manifesta est gastrica, quam vocant, complicatio. Emetica ne in hoc quidem casu multum profuisse testatur RAYER. Emollientia topica: fomenta, cataplasmata commendat BURSERIUS, reprobant RAYER, CAZENAVE et SCHEDEL, ea inutilia esse affirmantes, tum etiam vesicularum exsiccationem retardare. Hi locis excoriatis linimenta opiata imponenda esse praecipiunt, atque dolores a morbo superstites

vesicatorio, loco dolenti admoto, esse tollendos; quos tamen dolores interdum adeo pertinaces esse et remediis quibusvis resistere ac nonnullae neuralgiae RAYERUS scripsit.

Huic cutis phlegmasiae affinis est *herpes phlyctaenoides*, vesiculis etiam racematim in cute exstantibus, qui delineatus cernitur apud RAYERUM Tab. IV. fig. 6.

Herpes circinatus (*Ringworm*) *Herpes labialis*, *Herpes praeputialis*, *Herpes Iris* repraesentantur eadem Tab. IV.

Eczema discernitur vesiculis parvis agglomeratis quae vel fluido resorbto, vel facta excoriatione, exhalatione serosa, desquamatione terminantur.

Eczema simplex. RAYER Tab. V. fig. 3.

Eczema rubrum. RAYER Tab. V. bis. fig. 8.

Eczema impetiginosum. RAYER Tab. V. bis. fig. 10. Cf. Tab. V. fig. 4.

Interdum complicantur cum inflammationibus glandularum vicinarum, aut ventriculi et intestinorum.

Eczema chronicum. RAYER Tab. V. fig. 8. bis. fig. 15.

Eczema furfuraceum, *Herpes squamosus*, *furfuraceus.* RAYER Tab. V. bis. fig. 14.

Eczema capillitii. Tinea mucosa ALIBERTI. Porrigo larvalis WILLANI. Interdum vesiculae eczematis cum pustulis impetiginis mixtae sunt: saepe aetate infantili dentitionis periodo criticum est.

Eczema faciei (infantum *crusta lactea*) si hu-

mor purulentus copiosus sub crustis secernitur, cutis rubet maxime, quod in eczemate impetiginoso fit. Sequuntur excoriationes, furfures, nec tamen supersunt cicatrices, nisi ex scalptu laedantur partes. Interdum partes internas, interdum palpebras, conjunctivam oculi inflammat.

Eczema aurium (LORRY de auribus suppurantibus).

Ex omnibus morbis cutaneis forma maxime varia est; saepius difficulter ab aliis: psoriasi, pityriasi dignoscitur.

Curatio saepe diaetetica magis, quam therapeutica, alias, nec raro spontanea, aut periculosa. Saepe balnea prosunt et emollientia topica et exutoria: interdum depletiones, purgantia, dulcamara inque crusta lactea infantum, auctore STARKIO, viola tricolor.

DE SCABIE, SIVE PSORA.

Scabies est inflammatio cutis contagiosa, sine febre, quam denotant vesiculae plerumque discretae, leviter acuminatae, apice pellucido, basi largiori, molestum pruritum concitantes praeter vultum aut capillitium cunctas corporis partes foedantes; praecipue vero abdomen, flexuras articulorum, interstitia digitorum.

Est alia varietas rarior, pustulosa, quae vulgo scabies humida dicitur. Contagione propagatur

et quidem contactu. Incubationis tempus varium est ratione aetatis, anni temporum: brevius aetate tenera, temperie sanguinea, robusta, tempestate verna, aestiva, longius aetate adulta, aut senili, temperie phlegmatica, debili, tempestate hyemali, a quatriduo usque ad diem vigesimum; eo primum loco cernitur, quo contagium admotum est, nec callosa cuticula est, ut artificia etiam discrimen faciant: qui locus pruriginosus fit magisque vespere, calore lecti, aut ab ingestis calefacientibus, sive potulentis alcoholicis, seu alimentis aromate praeditis iisque cunctis, quae sanguinem ad cutim alliciunt. Brevi parvae in summa cute erumpunt vesiculae, quae si scalpantur unguibus, humorem viscidum profundunt inque crustas et ulcera mutantur. Hoc cutis vitium qui spernunt, aut pravo regimine irritant, tam grave experiuntur, ut magnam integumenti cutanei partem invadat fiatque pustulosum, purulentum, ulcerosum. Qua de re legendus est Alibert, qui vitii neglecti miserias vivis coloribus depinxit, exemplis confirmavit atque illustravit iconibus. Ubi gravis, inveteratus, lateque extensus morbus, ardentem pruritum facit, somnum adimentem, dies noctesque infestantem, mentemque alienantem, ut ad autocheirian duxisse feratur. Videtur tamen alias etiam cutis phlegmasias cum scabie confudisse. Saltem varietas crustosa, quae nec pruritum excitat, nec contagiosa est, duobus characteribus morbi maxime genericis

caret adeoque nobis aliorsum, ad rupiam pertinere forsitan videtur.

Nunquam sponte finitur: quin immo neglectis cum diaeteticis, tum therapeuticis auxiliis perennare in hominibus ex plebe, mendicis praesertim sordidis, immundis, pigris, deprehenditur. Sub morbo acuto, inflammatorio delituisse eoque sanato recurrisse visa est.

An ex retropulso morbi cordis, pulmonum, renum evenerint, an critica interdum fuerit, quae scriptorum antiquiorum conjecturae, recentiores dubitant. Gravem tamen scabiem secutas esse mucosae internae inflammationes, nec recentiores negant.

Notandum praeterea, saepe cum aliis phlegmasiis cutaneis, cum eczemate, erythemate scabiem confundi.

Ex caussis praecipua est immundities: quapropter plebem immundam inficere, nec divites cultosque et mundos, nisi contagionis potentia molestare solet.

De scabie animalium ejusque vi contagiosa in homines in utramque partem a viris doctis disputatur. Nec minus disputant de insecto, quod vesiculas aut pustulas scabiosas inhabitare ferunt multi, negantibus aliis. Ne antiquiores commemorem, primo testem et auctorem gravissimum citabimus Jo. Bapt. Morgagnum, Epist. 55. art. 7. »Memini, inquit, cum in patria medicinam facerem illustri matronae eaque ab longo, vario et difficili morbo

convalesceret, ad alias, quae praecesserant, crises accedere scabiem visam esse, quae repente orta, cito cutem propemodum universam occupavit, sed palmas praesertim, ut prae molestissimo pruritu dormire non posset. Cum vesiculas in iis cernerem minutas, aquae plenas, cujusmodi eae solent esse, in quibus ista animalcula nidulantur, ancillas jussi, earum unam aut alteram acicula aperire, in praeclara luce et si quid globosi expressa aqua educere possent, mihi ostendere, exquisitis, quae forte in promptu erant, vitris instructo oculo examinaturo. Quid quaeris! Oblatum examinare diutius non opus fuit. Vivens erat animalculum ea ipsa forma, quam recentiores delineaverant. Tum aliud atque aliud ademere viventia omnia et forma eadem." Postea in Hospitio sive Nosocomio Parisiensi Sancti Ludovici factae observationes *acarum scabiei* ostenderunt, quem nuper frustra quaesiverunt viri docti cum in Italia, tum in Gallia ipseque peritissimus morborum cutaneorum observator Biett. Novissimae tamen observationes insectum detexerunt, nec tamen in vesiculis aut pustulis, sed prope ipsas. (Cf. Rayer Tom. I. pag. 464 sqq.) quod tamen cum nec ubivis, neque morbo suppar inveniatur, hujus utrum sit parens, an proles quaeri jure merito posset.

De curatione monendum est, dissentire medicos: aliis topicam, aliis et hanc et universalem praedicantibus. Ex horum numero antiquiores multos,

ex illorum plerosque fuisse recentiores. Si temperies phlogistica, laudant sanguinis detractionem, lotiones emollientes, balnea. Haec semper conducere, ut cutis mundetur, existimamus atque sulphur sive cum tart. cremore, sive cum magnesia, sive cum aliis, etiam pulpis eccoproticis praescribere solemus, cum ad curationem externam topicam adjuvandam, tum ad cutim intestinalem a sordibus liberandam. Praeterea unguentum sulphureum inungendum praecipimus et eluendam cutim lotionibus saponaceis inque morbo pertinaci etiam balnea sulphurea commendamus.

Plures a pluribus laudantur curandi methodi: ex omnibus hodie maxime praedicant Helmerichianam, quam immutavit paululum Biett, de qua vid. Cazenave et Schedel l. l. pag. 54 sq. et Rayer l. l. pag. 468 sqq. qui eam et maxime certam et maxime efficacem esse testatur. Adhibetur scilicet unguentum ex sulph. depurat. partibus duabus, subcarbonatis potassae parte una, axungiae partibus octo. Hujus unguenti unciam dimidiam mane et vespere inungendam jubet Biett et quotidie vel quovis biduo balneum adhibendum. Rayer a balneo saponaceo curationis initium facit. Deinceps unciam unam unguenti corpori infricari praescribit per semihoram idque medio die et vespere repetendum, ut quotidie ter cutis inungatur: et quemadmodum prior intra alteram septimanam suo modo sanare posse scabiem perhibet, sic poste-

rior intra primam septimanam morbum saepius vidit sublatum; alii altero aut tertio die. Helmerichius ipse quatuor uncias intra octodecim horas adhibebat idque altero die repetebat: quod tamen si nimium crebro fiat, cutim nimium irritabit ejusque efflorescentias suscitabit alias, arte nimis festinante provocatas. Fiant denique oportet inunctiones eo loco, quo scabies est. Fumigationes sulphureae quamvis linteamina non tingant, minus certae: mercuriales vero aut fumigationes, aut inunctiones minus tutae. Denique magna munditiei cura habenda ipsaque vestimenta vaporibus sulphureis impraegnanda atque lustranda sunt.

DE EXANTHEMATE MILIARI.

Sub nomine exanthematis miliaris duae intelligi vulgo solent vesicularum species, altera *febris miliaris*, altera *sudamina*, *hydroa* adpellatur, dum alii etiam quascunque fere vesiculas cutaneas hoc nomine communi comprehendunt, nec desunt, qui *ephemeram sudatoriam* sive *sudorem Anglicum* huc referunt: immo larvata etiam miliaria commemorant, ut judicio critico opus sit, quo singula a singulis discernantur,

Miliaris sudatoriae nomine Rayero dicitur febris contagiosa epidemica, in qua sudores copiosi,

perpetui ac plerumque eruptio vesicularum parvarum, milii formam et magnitudinem habentium. Is ejusmodi epidemiam et vidit et descripsit. Lassitudines, dolor supra-orbitalis, appetitus prostratus saepius eruptionem antecedebant. Saepe etiam aberant symptomata prodroma, ut aegri qui prospere valentes dormitum iverant, excitati sint morbo afflicti sudoribusque diffluentes, qui usque ad mortem, aut convalescentiam perdurarunt, odoris acidi, foetidi, subputridi. Sequebatur eruptio vesicularum miliarium in collo, nucha, dorso, brachiis, ventre, cruribus, biduum aut triduum. Deinceps exsiccabantur, sequente desquamatione, aut magis aut minus notabili. In specie maligna, quae dicitur, inflammatio subest vel pulmonum, vel vesicae, vel alia, aut affectio nervorum, deliria, sopores, convulsiones atque epigastrii gravis constrictio, quae levior etiam benignam comitatur: in hac autem pectoris oppressio magnaque anxietas, pulsatio arteriae coeliacae atque sensus aegritudinis sinistrique eventus praesensio. Intra biduum, aut primam alteramque, subinde tertiam hebdomadem interimit. Post mortem in ventriculo, intestinis rubor: in cerebro congestio ejusque ventriculis serum repertum.

Methodus diluens, subantiphlogistica magis, quam alia quaevis profuisse legitur. Vesicantium salubritatem etiam in sicco gracilique temperie sequens casus citatus a Burserio demonstrat. » Matrona, ha-

bitu gracillimo, tenuissimoque et praeterea ex rhachitide gibbosa, incidit in miliarem morbum sporadicum cum febre parva, pulsu humili, inaequali, debili, tenui, depresso. Exanthemata aquea, lymphatica, alba apparere debito tempore inceperant, sed eorum eruptio, quia imperfecta erat, morbum non minuerat. Respiratio inprimis laboriosa, inaequalis, anxia et suspiriis interrupta perseverabat. In somnum maxime propendebat aegrotans et vana subinde obloquebatur; sed quotiescunque oculi claudebantur, evigilabat, subsultu membrorum et pectoris oppressione excitata. Duo suris vesicantia imposita. Non effluxere horae viginti post eorum applicationem, quin omnia symptomata evanescerent. Pulsus aequales, elati, expansi, validiores facti, respiratio libera, somnus placidus, nulli subsultus, tota quodammodo morbi vi ad suras conversa. Sub vesica a cantharidibus inducta eschara quaedam albida, crassa et in marginibus nigra, gangraenosa, foetidissima cernebatur, quae lenta, sed laudabili suppuratione separata est, relicto cavo profundo, magnam vim puris boni albique diu fundente ulcere, quod sensim carne impletum et cicatrice feliciter obductum est. Hoc prope solo artis naturaeque auxilio Lucretia Costa, nobilis mulier Faventina, e morbo omnino evasit convaluitque."

Ab his differunt *sudamina*, quod sine cutis rubore, sine febre aliisque symptomatibus eruptionis,

quod semper symptomatica sint in typho, scarlatina, febre puerperali aliisque morbis aut acutis, aut chronicis: utque sudorum guttas referunt, sic sudores largos plerumque comitantur, sive morbi gravitatem, seu methodum calidam denotantes, crebro etiam sequuntur, neque aliam, quam morbus ipse, cujus symptoma sunt, medicationem postulant. Utplurimum indicium sunt systematis cutanei nimis irritati ad eaque pertinent, quae Ant. de Haen de symptomatica efflorescentiae miliaris et origine et ratione cum in febribus puerperarum, tum in aliis morbis disputavit. Cf. Ant. de Haen *Rat. Med.* Tom. V. cap. 1.

Inter antiquiores de hoc morbo docte, ut solet, disputavit Burserius, nec tamen alterum ab altero ubivis satis distinxit.

DE PHLEGMASIIS CUTANEIS PUSTULOSIS.

Pustulosae dicuntur illae cutis phlegmasiae, quibus peculiare est, formare pustulas, i. e. parvas cutis eminentias, vulgo areola rubra circumscriptas atque in statu seu vigore aut pus, aut purulentum humorem continentes. Pustulas sive resorbtione humoris, sive crustis, sive ulceribus, seu

duris tumoribus finiuntur iisque maculae, aut cicatrices interdum supersunt.

Ad hasce cutis inflammationes referunt: Variolam, Vacciniam, Acnen, Guttam Rosaceam, Sycosin, Impetiginem, Favum, Ecthyma. Earum aliae acutae, aliae chronicae. Dignotio autem eo facilior, quo maturior et explicatior morbus, eo contra obscurior, quo longius a vigore ac maturitate efflorescentia abfuerit, ita ut nisi ad ea, quae praecesserunt symptomata, ad rationem decursus, aliasque conditiones attendatis, cognosci morbus plane non possit, neque in primo, neque in ultimo stadio, seu declinatione: ex crustis, maculis, ulceribus, tuberculis, quae non semper forma sua singulam quamque cutis efflorescentiam accurate distincteque exprimunt.

DE VARIOLIS.

De variolis grave inter eruditos bellum exarsit, aliis morbum veteribus cognitum, aliis Arabibus primum descriptum ac medio aevo in Europa ortum esse affirmantibus. Hanc litem animo libero ita dirimere jam licet, ut statuatur, veras variolas ab Arabum demum tempore cognitas accurateque descriptas fuisse. » Si quis lethalitatem variolarum, ita de hoc loco disputantem audiatis

Frankium, "magni ingenii virum, si quis lethalitatem variolarum, qua pars, ut videtur, non minor duodecima morientium hoc a morbo internecionem agnoscit, consideret: si quis oculorum obcoecationes ac venustatis humanae per horrendas cicatrices devastationem rimetur; — si morborum fere omnium hoc ex uno licet jam superato propullulantium, animo quis numerum concipiat; — si quis denique sortem super omne nunc genus humanum extensam, ac universale, quod huic morbo persolvimus tributum sedulo perpendat, mirabitur, doctos in arte viros versatosque in antiquorum lectione homines dubitasse, an morbus, de quo agimus, posterior sit tam fidis observatoribus, quibus nos imagines popularium quotquot habemus, accuratissimas debemus, quibusque negligentiae notam eo ipso inurere non verebantur, quod morbum inter omnes primum communissimumque tam oscitanter ab antiquis observatum esse assererent, ut nos tandem eo quod pictae ab ipsis imagini morbi nomen non simul subscripserint, quid demum morborum depingere contenderint, jamjam haberemus inter nos litigandum."

Inter Arabes plures morbum descripserunt. Cunctos autem et Arabes et recentiores describendi cura superavit Anglorum ille Hippocrates, Sydenhamus, quem igitur hoc loco sequamur.

Variolae Epidemicae circa aequinoctium vernum in primis ingrediuntur, interdum maturius. Quae

ipsarum natalia in Anglia notans ille, haec adjecit: quibus annis non tantum grassantur epidemice, sed etiam irregulares atque periculosioris sunt generis, maturius nonnunquam, mense puta Januarii invadunt. In quam animadversionem notat Swietenius, *Comment. in Aphor.* Boerh. 1308. Tom. V. pag. 5. a se alio etiam anni tempore visas esse. Sunt autem variolae vel discretae, vel confluentes. Mitissimam morbi speciem discretae eaeque benignae nobis offerunt, quocirca ab iis describendis, antiquum morem servans, ordiar, ita quidem, ut apposita Sydenhami descriptione, eam perpetuo commentario, illius ad exemplar, illustrem.

» Discretae cum horrore atque rigore invadunt, quos mox excipiunt calor intensus admodum, capitis et dorsi vehemens dolor, vomituritio, ingens in sudores propensio, doloris sensus sub scrobiculo cordis, stupor, somnolentia, motus epileptici."

Sunt symptomata primi stadii sive apparatus, aliis febris dicti, quia febre vulgo stipatur. Praeter haec pruritus nasi, terrores in somno, capitis gravitates, oculorum rubedines, corporis punctiones animadverti solent. Potissimum vero dolor dorsi et lumborum characteristicum habetur variolarum futurarum praesagium; atque ingens in sudores propensio quae a Sydenhamo adultis propria dicitur, quod ipse observatione didici, dolorisque sensus in partibus, quae cordis scrobiculo subjacent, si

premantur manu et motus epileptici, convulsiones, eclampsia infantum, dentitione peracta, quae inter signa eruptionis futurae mitioris, benignaeque recensuit SYDENHAMUS. Quae cum legissem, in puero rustico, optimae caeteroquin valetudinis et haec et alia variolarum futurarum symptomata patiente, ipse junior medicus variolas discretas mitesque praedixi, eventu praesagium comprobante.

Nec tamen reticendum est, multa eorum incerta esse ac dubia certissimamque morbi notam praebere ipsam pustularum eruptionem. Nam plurimi infantes et adultioris quoque aetatis homines, quemadmodum recte HUXHAMUS, iis tam mitem in modum laboraverunt, ut neque febris sensibus evidens adesset, neque ulla re tam ante illas, quam per totum earum decursum male afficerentur; immo ipse falsus est BOERHAAVIUS, ut ingenue fatetur, ardentem febrim esse existimans, ubi suberat variolarum contagium (SWIETENII *Comment.* Tom. V. pag. 71 sq.) falsi sunt alii, errorem occultare cupientes: qui error facilis, nulla variolarum regnante epidemia, est.

» Post haec, quarto ut plurimum die, pustulae subrubrae, sive parva puncta rubra sparsim se produnt, faciem inprimis occupantes, vel etiam collum et pectus, dein corpus universum, dum prioris stadii symptomata vel remittunt plurimum, vel evanescunt prorsus. Per id temporis et fauces dolor infestat, qui una cum

pustulis surgentibus augetur, quae in dies grandescentes et in majus fastigium elevatae cutim carnesque vicinas rubore atque inflammatione afficiunt."

Haec, Sydenhamo narrante, alterius sunt, sive eruptionis stadii symptomata. Caeterum, quo magis erumpentibus variolis reliqua symptomata recedant, eo simplicior futurus est benigniorque morbus. Saepius, auctore Richtero, febris exacerbatio per tres dies anticipat tertioque eruptio tanquam crisis imperfecta atque metastasis in cutim existit, initio remissionis, idque per tres vices repetitas.

» Circiter octavum diem major rubor et tumor tum faciei, tum reliquae cutis, palpebrae interdum prae tumore clausae; pustulae faciem obsidentes fiunt asperiores, subalbidae primum, dein flavae, colore in pustularum interstitiis florido."

Est illud morbi tempus, quod suppurationis adpellatur. Pustulae illae inflammatoriae tot fiunt parva apostemata, quorum interstitia, quo magis colorem illum floridum Rosarum Damascenarum aemulum exhibent, eo mitiores esse solent variolae magisque genuinae. Quod docuerat Frankius, ad crura pedesque, resorbto quod continebant liquido, plures hinc inde variolas fere vacuas cerni, ipse acu apertis pustulis observavi, nullo, extantibus licet in manu pustulis, ex iis effluente humore.

» Die undecimo faciei tumor atque inflammatio satis aperte recedunt et pustulae tam faciei, quam reliqui corporis exarescunt deciduntque atque die decimo quarto funditus pereunt. Pustulis faciei succedunt squamulae furfuraceae, quas aliquando excipiunt foveae cutis, quae diu visuntur. Raro tamen discretae variolae sui linquunt vestigia. Caeterum decurrente morbo omni vel constipatam prorsus habet alvum, vel saltem rarissime dejicit aeger."

Ultimum, quod SYDENHAMI verbis delineavimus stadium exsiccationis, ita procedit, ut primo faciei pustulae, tum reliquarum partium exarescant.

Solent quatuor haec stadia duorum hebdomadum spatio finiri. A nonnullis quidem singulis hisce stadiis tres adsignantur dies, ita ut totus morbus contineatur diebus duodecim. Verum raro his limitibus tam exacte circumscribitur. RICHTERUS die decimo tertio novam febrim novamque eruptionem vidit (*Spec. Therap.* II. pag. 287.) CULLENI descriptio forsitan ab intermittente febre cum variolis juncta ducta est. (*Practice of Physic.* I, p. 321.)

Atque haec de discretis. Ab ea, quam descripsimus hactenus, miti variolarum specie distat longe altera confluentium, de quibus nunc erit sermo.

» In confluentibus, ita SYDENHAMUS, symptomata atrociora sunt omnia, citius prorumpunt, saevis quarundam partium doloribus stipantur, post eruptionem in unam vesiculam confluunt,

quae deinde instar pelliculae albae vultui agglutinatur, solitam cutis superficiem non multum superantis, quae pellicula praeterlapso die octavo; quotidie magis exasperatur et ad colorem fuscum accedit tandemque latioribus laminis desquamatur. Haec ubi primum deciderit, nulla quidem scabritie vultum afficit: at vero mox illam excipiunt squamulae furfuraceae, corrosivae faciem cicatricibus foede deturpantes. Hisce propria sunt salivatio in adultis inque parvulis diarrhoea."

Transitum a discretis ad confluentes faciunt cohaerentes, genus medium, partim illarum, partim harum magis indolem referentes. In confluentibus febris, anxietas, aegritudo, vomituritio longe immanius affligunt. Eruptio quo citior, eo pejus. Ante eruptionem dolor lumborum paroxysmi nephritici aemulus; aut in latere quasi pleuriticus, aut in artubus ut rheumaticus aegros fatigat. Pustulae eruptae sibi invicem implicitae confluunt. Interim animadvertendum est, morbi magnitudinem pustularum numero *faciem* obsidentium censeri. Hisce vero, confluentibus scilicet, peculiaris est praesertim salivatio adultis; diarrhoea infantibus, utraque nisi nimia, bonis aegrotantium rebus facta, tanquam evacuatione quadam vicaria cutaneae perspirationis, quae si prava arte, aut natura deficiente subsistant, mors in propinquo est. Die undecimo, qui dies funestus plurimis, salivatio

solet sponte sua desinere: quam nisi excipiat manuum tumor, persistente faciei intumescentia, aeger moritur. Ipsa salivationis interim materia jam viscida facta et tenax aegro suffocationem minatur: deglutitione laesa, voce rauca, somnolentia, stupore accedentibus, quibus gravissimis symptomatibus aeger ut plurimum, eo quem diximus die undecimo, extinguitur.

Eruptionis tempore inflammationes internae accenduntur aliquando; gastritis, enteritis, bronchitis, pleuritis, peripneumonia, dysenteria: unde variolae vel a regulari cursu aberrant, anomalae factae, vel malignarum speciem induunt, vel supprimuntur. An dolor lumborum gravis malas praesagit variolas? Ad hanc quaestionem respondet SWIETENIUS, sibi semper suspectum, si variolarum morbus cum immani lumbagine inciperet, ita ut aegri prae doloris acerbitate corpus movere non possent: febricula lenis admodum tunc adest, inquit, imo et aliquando in pulsu parvo et debili nulla omnino percipitur celeritas, tuncque vidi adeo malignas secutas esse variolas, ut nullus emerserit illorum, quos tractavi, licet omnia, quae noveram artis auxilia adhibuissem: haec ille idemque aliorum medicorum testimoniis adfirmat. An ex neuralgia spinali? Par in Cholera Asiatica morbi gravissimi certoque lethalis notavi indicium. Praeterea deliria, comata, symptomata cerebralia universe perquam ominosa, quae, ut priora tam a contagio vim

nerveam prosternente, quam a phlogosi oriuntur. Symptomata cerebralia ab inflammatione esse nuper etiam negavit RAYERUS. Ex contagii veneno vitam sufflaminante mors subitanea, nullo laesionis in corpore vestigio relicto, quam notavit, quem mox citavi RAYERUS, explicanda videtur. Caeterum ad singulorum symptomatum exegesin opus est pathologia interprete. Interdum nulla desquamatio, verum subitanea pustularum delitescentia, pure, ut videtur, in venas resorbto, quam prompta sequitur virium prostratio similiaque subinde phaenomena eorum, quae obferunt animalia, in quorum venas pus infunditur. Cita eruptio diathesin inflammatoriam majoremque pustularum proventum ut praenotat, sic si denso agmine in cutim erumpant, etiam ventriculi pulmonumque mucosa inflammantur facile, quemadmodum in gravibus fit ustionibus. Salivationem tempestivam ut laudaverat SYDENHAMUS, sic praematuram, speciatim profusam valdeque acrem damnavit HUXHAMUS. Eam die undecimo subsistentem excipiat oportet manuum tumor. Hoc tempore detumente facie, nisi fiat urinarum liberior fluxus mortem apoplecticam, aut asphycticam metuebat REILIUS. Salivationi nimis propere declinanti succedaneum non raro animadvertit MORTONUS profluvium urinae limpidae copiosum et fere diabeticum, cujus eventus secundissimus fuit. Quae praeter haec symptomata numerantur, utrique generi communia, tum salutaria,

tum prava: phrenitis, coma, petechiae, mictus sanguinis, ischuria, diarrhoea caet., quum minus simplici, quam complicato morbo propria sint, jam reliquum est, ut de hoc videamus.

Variolarum epidemicarum complicationes notantur quatuor: inflammatoria, quae optima: gastrica, nervosa, putrida, quae pessimae: quibus catarrhalis etiam, aut rheumatica a nonnullis rei epidemicae scriptoribus recte adjungitur. Atque hoc loco non possum, quin vobis citem verba SWIETENII nostri, viri integerrimi: » Magnae certe utilitatis est, sedulo notare, qnae in morbis epidemicis occurrunt, quoad tempus, durationem, symptomata, exitum funestum, vel salutarem, et deinde haec notata conferre cum eodem morbo, dum post aliquot annos redit; sic statim apparebit, qualis sit differentia et plurima detegentur quoad methodum medendi ab attento ad haec medico, quae alios latent, qui tota die cursitando plurimos aegros vident, morbos vero paucos intelligunt. De similibus dici posset merito, oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, manus tantum habent ut palpent, pedes ut ambulent sicque annosa praxi fiunt magis magisque stupidi et hebetes, quos tamen quandoque:

—— —— Summa ad fastigia rerum
Extollit; quoties voluit fortuna jocari.

Eas complicationes nemo melius descripsit, quam rerum epidemicarum fidelis historicus HUXHAMUS.

Optima complicatio prima est, in quam sponte inclinant variolae, corporibus juvenilibus, plethoricis susceptae. Hanc monstrant variolae ut plurimum discretae, laete rubentes, magnae, bene suppurantes, interstitiis floride rubris, pulsu rapido, pleno, tenso, spiratione calida, laboriosa, aestu acriori, urina profunde tincta, lingua arida, impura, capitis, dorsi, lumborum, crurum dolore atrocissimo, pulmonum, cerebri, faucium inflammatione quandoque insignes.

In complicatione gastrica, quam optime descripsit Stollius, variolarum symptomatibus accedunt, quae primae officinae laesionem testantur, postea plenius enarranda.

In nervosa, ubi lenta nervosa est, tangitur pulsus debilis, celer, tremulus, ore pallido, languescente, urina tenui, cruda, vix ulla siti, capitis dolore, vertigine, gravitate, cum tremore, nausea, vomendi conatu, universali inquietudine, languore, debilitate, quae symptomata interdum post septem, aut octo demum dies exactos excipiunt variolae pallidae, crudae, sessiles, subinde in magnas vesicas confluentes, ichoris crudi plenas. Crebro status ille nervosus ab animo est. In delicatulis, timidioribus mobilissimisque hominibus (est monitum Frankii) in teneris ac de venustate propria sollicitis puellis eruptio variolarum progreditur tardius, ac ad pellem hae devectae in eadem haerere, nec satis elevari, nec febris, nec consueta

symptomata ab eruptione facta sedari, sed anxie in lecto jactari spirituque dejecto turbari cernuntur. Hoc quoque in casu a generosa satis vini potione, a sereno medentis vultu, ex applicito cantharidum emplastro brevi tempore malignitatis idea disparet morbusque communem reducitur in tramitem. Hic animi medicina opus est, quemadmodum exemplo firmavit SWIETENIUS. Pessima quaevis metuentem medicum vidi, inquit, dum in formosa puella, erumpentibus variolis, videret anxietatem magnam, pulsum tremulum, angustiam faucium, pallorem in facie. Cum autem toto contagii stadio mitis morbus fuisset et nova haec symptomata contigissent, dum in speculo faciem paucis numero maculis notatam vidisset, audacter certam salutem promisi et de forma securam esse jussi simulque in memoriam revocavi casum amicae, quae eodem morbo occubuerat et de qua jam sanata merito poterat dici:

Morborum pigmenta abeunt, faciesque renitet
Purior et speculo laevior ipsa suo.

Mox illae turbae compescebantur et morbus reliquum decursum suum absolvit quam placidissime.

Ubi variolis accedit febris putrida, cernuntur maculae lividae, petechiae, haemorrhagiae passivae, pustulis nigris, cruentis sive sanguineis, gangraenosis, in crustas sive escharas nigras abeuntibus, odore foetidissimo, cadaveroso. Hasce sequentibus verbis delineavit MEAD. » Saepius accidit,

ut pustulae confertim erumpentes, tertio vel quarto post die, cum jam maturescere deberent, lividae et subcruentae evadant, maculis nigris per totum corpus sparsis; quae intra diem unum, aut alterum mortem adventantem praenuntiant. Hae enim verae sunt gangraenae. Saepissime hoc tempore sanguis tenuis non ex ore tantum, naribus et oculis emanat; sed per cunctos etiam corporis meatus maximeque urinae itinere perfluit, quo etiam primis aegritudinis diebus nonnunquam egreditur." Hanc sortem subiit puella parvula, suorum totiusque vici deliciae, forma antea egregia, nunc horrenda, colore Aethyopem, foetore cadaver referens, stillante undequaque sanguine tenui, putrido, quae ex morbo tam gravi succubuit, casum tristem lugentibus omnibus.

Haec crebra a scorbuto complicatio est inque nautis scorbuticis ab HUXHAMO animadversa.

Catarrhalis denique, sive rheumatica complicatio discernitur catarrhi signis: sternutatione, tussi caet. variolis praeterea crystallinis, febre remittente continua, exacerbatione nocturna. Hanc complicationem saepius vidit atque plenius descripsit vir clarissimus THUESSINK. Praecipue fauces, oculi et pulmones aegrotant, urina parca, cute sicca, gravi lumborum dolore, eruptione tarda, variolis crudis plerumque confluentibus, nervorum aegrotantium symptomatibus, tussi sicca, etiam post pustularum exsiccationem, in phthisin

pituitosam abeunte, nisi facta metastasi, mors cita morbi cursum abruperit. Quas praeter hanc notarunt, verminosa et pituitosa ad communem gastricam complicationem revocari facile possunt.

Nulla aetas, aut sexus ab hoc morbo immunis est. Foetum ipsum in corpore materno invasisse atque grandaevos senes e medio sustulisse legitur, ut hoc etiam sensu nemo ante mortem beatus, auctore FRANKIO, dicendus sit. Fertur celeberrimus obstetricator MAURICEAU cum nasceretur variolarum pustulas in facie habuisse et alter a SWIETENIO citatur casus puellae variolarum in cute vestigia monstrantis, cui in rei testimonium deinceps frustra inoculatio, quam vocant, facta est.

Neque senes a morbo immunes fuisse exemplis docuere, SWIETENIUS, MORGAGNUS, alii: nec gravidas etiam feminas, unde nec sine caussa, ne abortum patiantur, timent medici (MEAD. *de Variolis* pag. 333 sqq.) ex quo duplex imminet periculum, alterum a nova quae tunc oritur febre, alterum a sanguinis profusione, quae aegram labefactat.

Comparabant Arabes morbum cum fermentatione; quos alii secuti evolutionem inque novam conditionem metamorphosin adpellaverunt, quae pridem HAHNII opinio fuerat. Certum est, contagio propagari, nec bis eundem afficere hominem solere. Solere, inquam; nam haec quoque regula aliquot patitur exceptiones, quemadmodum notabili feminae casu docemur, cujus ex BORELLI re-

latione mentionem fecit Burserius, quae septies variolas experta, octava vice centenaria major ex iisdem periit. Huic tamen calculo errorem subrepsisse credo atque cum veris forsitan et spurias aliasque pustulas alius generis fuisse computatas. Quocirca, Swietenii ad exemplar, singulorum casuum censuram agentes, de permultis dubitabitis rarumque id fieri, immo rarissimum intelligetis, siquidem Meadius ille, medicus profecto peritissimus, experientia compertum esse scribit, nunquam iterum reverti posse variolas et Swietenius candide fatetur, se triginta annorum spatio et in numerosa praxi nunquam vidisse aliquem bis variolis laborantem.

Etiamsi exempla non desunt confluentium benignarum et malignarum discretarum, Meadio Burserioque testibus, universe tamen confluentes pejores et quo citius erumpant, eo densiores. Praecipue damnanda est eruptio ingens, universalis, subitanea atque ex febre, numero pustularum, inflammatione mucosae, ex cerebri valetudine, sanguinis crasi, habitu corporis eventus futuri praesensio petenda est. In primis complicatio cum febre nervosa, aut putrida timenda atque damnandae convulsiones, praecipue post eruptionem, deliria, sopores, petechiae, haemorrhagiae. Malum, ubi febris post eruptionem protrahitur, quod morbum compositum indicat. Mala symptomata phrenitica, aut comatosa atque ischuria. Malae variolae cry-

stallinae, verrucosae, aut sanguineae, nigrae, subsidentes. Malum denique, ubi febris secundaria suppuratoria et gravior sit et longior. In confluentibus boni augurii sunt: salivatio, tumor manuum, morbo provectiori, inque infantibus diarrhoea, per secretionem vicariam, antagonisticam suscitata. Postremum ab hoc morbo metuenda plura oculorum, aurium vitia: inflammatio, suppuratio, caecitas, surditas, ulcera foeda, caries, turpes cicatrices. De ophthalmia variolosa conferatis praestantissimum ophthalmologum Beer, qui ipsum icone illustravit. Cariei exemplum profert Morgagnus *Epist. An. Med. XIV.* art. 3, 4. Sequelas variolarum universe enumerant Swietenius, Frankius, Vogelius, Naumannus, quae ut rarissimae hodie, ita ex auctoribus praesertim antiquioribus cognoscenda sunt.

Mors ex variolis sive pulmonalis esse, sive cerebralis, seu ex sanguinis corruptela solet. Prohibuit Morgagnum contagii metus a secandis variolosorum cadaveribus. Recentiorum industria morbus ab hac quoque parte melius indagari coepit. Post mortem observarunt in aliis alia morborum vestigia.

De pustulis docuere observationes anatomicae, sedem variolarum esse corium, sive potius ejus *rete vasculosum.* Hoc capillaria iis locis maxime evoluta ostendit, quibus inhaeserunt antea pustulae, sive nova prorsus generata sint vascula, sive ex pris-

cis excreverint. Corium tegitur strato pseudomembranaceo corpus pustulae formante, quod discum forma repraesentat, ex quo umbilicus pustulae. Progrediente morbo pustulae, quarum formatio multilocularis, ut vaccinicarum pustularum est, fluidum serosum areolis continent primum, deinde purulentum. Pus factum sub epidermide profunditur, rumpuntur septa areolarum et ultimo etiam discus pseudomembranaceus, ut unum fiat continuum cavum. Haec sunt, quae de pustulis tradiderunt Gendrinus et Rayerus: quae in capillaribus fiunt, icone illustravit Vir Clar. Sebastian, in opere periodico, a fratre carissimo edito, Tom. I. Pars 2. cui titulus: *Tijdschrift voor Natuurlijke Geschiedenis, uitgegeven door* J. van der Hoeven et W. H. de Vriese, 1834. pag. 101 sqq.

In mucosis membranis etiam manifesta morbi indicia, quas sive pustulas cum aliis vocare, sive alio nomine nuncupare mavelitis (ex folliculis esse negavit Gendrinus, affirmant alii) ejusdem morbi efficacitatem manifesto testantur.

Morbus natura sua est inflammatorius, quemadmodum docent symptomata et terminationes inflammationibus propriae ideoque antiphlogistica cum diaeta, tum medicina optime curabitur. Igitur regimen frigidum aut frigidiusculum, primo praesertim morbi tempore methodus diluens, refrigerans, temperans, potus acidulus, aër purus, victus tenuis, derivantia porro et a capite revellentia adhi-

beantur: manuluvia, pediluvia, sinapismi (ex faciei enim pustulis periculum pendet) et oculi aqua frigida crebro abluantur, ne ibi variolae erumpant. Cute strictiori etiam balneum tepidum proderit. Caeterum in morbo miti magis passiva SYDENHAMI juvabit, quam activa MORTONI curatio. Quodsi major plethora, pulsus plenior, citatior, facies vultuosa, rubra, aetas junior, venaesectio etiam repetita juvabit. Atque hac quidem methodo utplurimum praeverti poterunt confluentes, methodi calidioris infelix proles. Rem probat spontanea morbi per haemorrhagias, aut mensium fluxum curatio quam et aliorum et suae ipsius experientiae testimoniis firmavit SWIETENIUS *Comm. V.* pag. 89 sqq. Illud tamen teneatis oportet, hunc morbum inflammatorium ex contagio provenire, cujus effectus mitigari quidem, nec tolli tamen prorsus sanguinis detractionibus poterunt. Declinante morbo idoneum erit, leni purgatione alvum sollicitare, nisi id quidem sponte factum sit. In confluentibus, ubi phlogistica diathesis manifesta sit, interdum repetenda venaesectio et quidem si symptomata urgeant, quovis repetenda morbi tempore, atque antiphlogistica pariter proderit alvi purgatio. Circa quam damnanda est MORTONI haeresis, credentis ab alvo usque ad vigesimum diem constipata nihil noxae futurum esse, cui quam pertinaciter inhaeserit, docet, quae deinceps tradidit, circa mulierem, cui alvus per octodecim dies constipata fuerat, quam

nisu egerendi paene confectam nec clysteris, glandis, vel fotus ope a faecibus induratis liberare potuit, donec sphincter ani speculo sensim dilataretur et stercora forficibus confracta, vi extracta fuerint. Ptyalismus si cohibeatur, manus pedesque fovere cataplasmate emolliente, vel rubefaciente irritare. immo languente vita cruribus, nuchae admovere vesicantia, alvum enemate, aut cathartico sollicitare, diuretica dare ac quovis modo secretionem vicariam suscitare oportebit. Multi suadent, pustulas aperire, ut faciei pulcritudinem curent, alii pustularum cauterisationem commendant: prius, utrum revera hoc nomine proficuum sit et puris absorbtioni adversum, dubito; alterum ne tentandum quidem censeo.

Quum complicatio subest vel antigastrica, vel nervina, vel antiseptica conveniet methodus pro morbi indole. In nervosa complicatione, ubi erethismus nervorum, opiata, ubi narcosis, incitantia: moschus, camphora, serpentaria, crocus, hic potissimum tarda ac languente eruptione, facie detumescente et pallida, laudantur. Crocum inprimis magni faciebat Boerhaavius ejusque Commentator felicis sanationis exemplo commendavit. Est juvenis octodecim annorum, biliosae temperiei, cui propter virium languorem datis cardiacis undecima hora noctis diei tertii, pulsu tremulo, parvo, vix percipiendo, cum anxietate intolerabili, ita ut adstantes mortem jam prae foribus esse judicarent;

saturatissimae croci tincturae guttas viginti adhibuit statim, atque vix hora elapsa pulsus insurgebat, anxietas minuebatur, papulae numerosae prodibant, ita ut quamvis numerosas pustulas haberet, sospes tamen a morbo evaserit.

De opio, quamvis a SYDENHAMO, SWIETENIO, FRANKIO in variolis celebrato, minus magnifice sentiunt alii; nec pigebit legere, quae ad magnum HALLERUM scripsit quondam TISSOTUS. Certe ex iis auxiliis est, quae nisi ab exercitato medico eodemque prudenti in hoc morbo tempestive adhiberi nequeant, atque ad retundendum febris impetum minus recte ab antiquioribus celebratum videtur. Majora ab acidis mineralibus commoda cum TISSOTO expectaverim, quae in putrida complicatione reliquis palmam praeripiunt et haemorrhagiis quoque adversa jure merito habentur. In primis vero ad putredinem arcendam munditiei curam habeatis, neque imitemini eos, qui aërem purum magis, quam corruptum timent atque aegros in sordibus suis putrescere sinunt. Ad decimum quartum diem usque foetorem patienter ferre jubebat DIEMERBROECKIUS, hunc aliqualem foetorem nunquam nocuisse affirmans, quem tamen tantum quandoque inveni, SWIETENIUS inquit, ut fere in animi deliquium lapsus fuerim, licet me non adeo delicatum credam, ut a levioribus facile afficiar. » Porro contendit, a linteaminum mutatione, si cum debita cautela fiat, nunquam aliquid mali fieri, e con-

tra revixisse miseros aegros, dum impetraverat, ut his sordibus liberarentur.

Aliquando morbo gravi superest febris hectica, quam auctores practici impugnare jubent temperantibus, nutrientibus, lacticiniis, potissimum aqua Selterana cum lacte, cujus temperantis medicinae salubritatem exemplo docuit Meadius l. l. p. 328 sqq.

Morbus mitior, aut gravior non a contagii est vel copia, vel indole, sed ab habitu corporis, anni tempore, aliorum morborum consortio, regimine, medela. Nam parva copia sufficit morbo gravissimo procreando, nec rara prostant exempla ex contagio benignarum, discretarum malignas, confluentes fuisse prognatas, aut ex hisce discretas benignas. In primis spectandus est habitus corporis. Quocirca Meadius: plus mea opinione refert, in quale corpus infundatur, quam de quale eximatur pestilentiae virus. Et praeter habitum anni tempus, febris consortium, medendi genus notandum. Itaque si calida aestas, si corpus infirmum, aut mobile, cutis stricta, habitus cachecticus, si aliae febres sive gastricae, sive nervosae, sive putridae regnent, si adhibeatur prava curatio, aut regimen calidius, expectandae sunt variolae mali moris.

Hac observatione nititur earundem insertio, qua sic disponitur corpus et moderantur rerum externarum conditiones, ut jure sperari possit exanthematis mitioris proventus. Quapropter haud incongruum

erit, breviter de relicta hac methodo referre, tum de usitata hodie per variolas vaccinas prophylaxi.

Seligebatur aetas ab anno quinto ad duodecimum, tempus vernum, victusque instituebatur simplex, blandus, temperans; alvus leni eccoprotico vel clysmate evacuabatur, cutis si strictior, fovebatur balneo tepido uno, vel altero. His praemissis pus variolarum recens inserebatur, vel manui inter pollicem et indicem extus, vel superiori brachii parti, ope acus, vel lanceolae: unde primum inflammatio topica, deinde totius corporis affectio oboriebatur, quam sequebatur regularis variolarum mitiorum decursus, sub regimine frigidiusculo, aëre puro, libero. Suppurationis vero tempore ab aura frigida cavendum erat. Interim alvo leni medicina prospiciebatur totumque corpus lacte et aqua tepidis abluebatur. Burserius *Inst. Med. Pract.* II. §. 286 sqq. Haec quidem insitio etsi universe benignas mitesque proferret variolas, subinde tamen malas gravesque, immo lethales procreasse legitur atque illud mali habebat, quod morbum contagiosum propagaret: quapropter postquam alia inventa est tutior prophylaxis, haec relicta est. Posita est ea prophylaxis in variolarum vaccinarum insertione, cujus historiam litterariam in scholis historicis enarrabo. Hoc loco dixisse sufficiat, pustulam quandam in uberibus vaccarum prognatam eam vim habere, ut corpori humano inserta illud contra variolarum contagium muniat. In-

serendi modus non multum differt a variolarum insertione, nec tamen tantas requirit cautiones.

Symptomata variolae vaccinae verae sunt sequentia. Tertio post insertionem die tuberculum cernitur parvum, quod increscit deinceps magisque rubet, media parte depressa; sexto die in manifestam evasit pustulam, fovea media, margine exstante, circumscripta. Ingratus sentitur pruritus; septimo die lympha pellucida repletur. Ab octavo ad undecimum diem laete floret adulta pustula, surgit, turgens et lympha crystallina circulo rubro erysipelaceo sive areola circumscribitur. A die inde duodecimo evanescit rubor, turbatur lympha, inspissatur inque crustam concrescit ex media pustula surgentem, latius latiusque extensam, colore bruneo-fusco. Hanc efflorescentiam saepenumero aegritudo quaedam comitatur, nonnunquam motus febrilis qui tamen minime constans aut characteristicum est veri exanthematis indicium. Subinde, in scrofulosis praecipue, sequitur generalis eruptio in brachio, facie, aliis partibus, aut brachii rubor erysipelatosus.

Ab hoc decursu abludunt variolae vaccinae spuriae, multo citius increscentes, pustula acuminata suppurantes, ulceratae subinde, citoque crustas formantes. Quandoque verarum quaedam tantum notatur anomalia. His tamen minus fidendum et iteranda insitio est.

Morbi origo incerta, vis prophylactica nondum

satis intellecta. Potest tamen post longam inoculationum seriem in uberibus vaccarum denuo suscitari variola, indicio contagii vim non esse labefactatam. Debet autem insitio fieri ex pure recenti, a quinto ad septimum diem, lanceola pura, neque rubigine affecta i. e. oxydata. Ubi cutis valetudo, aut diathesis quaedam morbosa, aut cachexia, aut dyscrasia, praesertim scrofulosa corpus teneat, non tuta est, nisi saepius repetatur, aut habitus ante emendetur. Optima fit de brachio in brachium. Minus certa est, quae de lympha siccata, aut crustis fit insitio. Una, aut duae in quovis brachio insitiones sufficiunt: major numerus pustularum efflorescentiam erythematosam ipsamque febrim excitasse fertur. Seligatur pars superior brachii, praesertim in puellis, ne matrum, aut juvenum oculos offendat turpis cicatrix. Non deligetur locus, veste tantummodo tegatur. Ubi lympha sicca adhibetur, lanceolae apex, materia turgidus, aquae calidae vapore humectandus: alii frigidam, alii salivam optimum esse solvens perhibent. Reliquae methodi per fila, crustas caet. minus commendabiles.

Nuper observatum est genus variolarum spuriarum, post insitionem vaccinae, quod varioloïdes vocant. Hae illud peculiare habent, ut sub omnibus variolarum signis prodeuntes, subito, ubi ad suppurationis stadium perventum est, exsiccentur, evanescant ac cadant, quales initio curriculi prae-

tici et deinceps etiam vidi, speciem confluentium malignarum mentientes, sed brevi post emortuas. Hae acres suscitarunt in orbe medico lites, quae multis nominibus scientiae profuerunt multaque loca obscuriora illustrarunt, quamvis negari nequeat, abesse plurimum hanc scientiae partem ab ea, quam res tanta requirebat perfectione, quod partim empiriae rudi, qua fieri solet, partim praemiis vaccinatoribus propositis, partim hominum perversitatibus ac praejudicatis opinionibus tribuendum est.

DE VARICELLIS.

A variolis veris differunt spuriae, aliis varicellae, forma, decursu, sique nonnullis fides, etiam characteribus anatomicis. Praecedit plerumque levis febricula, aliquando tantum languor aliquis et lassitudo spontanea (sunt verba Swietenii, hanc speciem describentis) primo quandoque die, aliquando secundo, vel tertio, prorumpunt hinc inde pustulae rubrae, elevatae in cute, quae aliquando statim indurescunt, siccantur, cadunt (*steenpokken*) aliquando lympha tenui videntur distendi in primis in apice: hae brevi pariter exsiccantur et decidunt (*waterpokken*) aliquando deest illa lympha et vesicula vacua adparet, distenta tamen pariterque cito decidua (*windpokken*). Hoc habent

omnes sic dictae variolae spuriae, quod non comitentur ea symptomata, quae primum variolarum verarum stadium insigniunt, quod incerto tempore erumpant, quod numquam vero pure impleantur, nec ulla relinquant in cute vestigia. Differunt ex meis aliorumque observationibus decursu irregulari pustularum, ut aliae post alias erumpant eodemque loco videas nascentes, adultas, senescentes pustulas. Praeterea pustulae a variolosis differunt utque cito exeunt, ita quae humorem continent, facile ruptae cito in crustam tenuem desinunt: et differre pariter contagium videtur, etiamsi aliis aliter placeat. Horum opinioni obstare docet Swietenius, quod variolae illae spuriae etiam illos infestabant, qui ante paucos menses a veris variolis sanati erant; praeterea spurias variolas passi paullo post laborabant veris variolis, si tunc temporis grassarentur, ut ideo observata practica confirmaverint, verissima dixisse Sydenhamum, a contagio variolarum genuinarum non eximi illos, quos adulterinum variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, obsederit. Longus est Rayerus in defendenda utriusque morbi similitudine. Verum ut efficiatur et variolas et varicellas ejusdem esse morbi varietates, constare deberet, ex variolis varicellas, ex varicellis variolas fuisse natas. Exemplum quidem citat ille pueri contagio variolarum expositi, cum pridem vaccinationem subierat, in quo eruptio adparuit si-

milis varicellis; ex quo qui in eadem domo erant pueri post hebdomadem variolas benignas partim, partim varicellas patiebantur, cum variolae neque hoc loco cernebantur, neque variolae ulli horum puerorum erant insertae: verum hoc exemplum unicum, quia non admodum accurate descriptum est, neutiquam rei penitus probandae par esse existimo. Nec reticebo tamen, nuper a me ejusmodi quid animadversum fuisse. In Nosocomium Academicum exceptus erat aeger ex variolis veris decumbens. Is a reliquis sejunctus cum variolas discretas mitesque superasset, feliciter jam convalescens et taedio motus in animum sibi induxit, alios aegrotantes visitare. Quo facto brevi post adolescentulus ex hisce varicellas expertus est, sive potius morbi genus pustulosum varicellis simile: ab eo tamen hoc nomine diversum, quod verum pus continebant varicellae istae, quo ad varioloïdes magis accedebant. Quocirca priusquam hac de re statuatur, observationibus opus erit et numerosis et rite factis perscriptisque. Neque enim satis singula pustularum genera a singulis discernuntur et procul dubio saepenumero confunduntur varioloïdes cum varicellis. Nam quae ex variolarum contagio ortae ferebantur varicellae, non has, sed varioloïdes fuisse suspicor.

An anatome etiam utriusque morbi discrimen indagare potuit? Affirmant Luders, cui doctam debemus de morbo varioloïdeo monographiam, cre-

dens corio inhaerere variolarum pustulas, varicellarum non item, nec tamen argumentis probans, et GENDRINUS, qui sectione rem ita esse a se compertam, nec varicellarum pustulas, ut variolarum corio inhaerere, testatur.

Contagii vitae durationem aut incubationis tempus definire hactenus nemo sustinebit. Ad hanc quaestionem facit sequens observatio HEBERDENI. Mater duorum puerorum, qui varicellis implicati erant, octavo vel nono die a maturitate pustularum, coepit eodem morbo aegrotare. Spatiumne igitur idem semper intercedit inter contagionem et morbi initium?

Denique curatur hic morbus, eodem auctore, quiete animi et corporis, et abstinentia a carne vinoque.

Hunc praesertim adeatis, si plura de hoc morbi genere scire aveatis.

ACNE.

Hoc nomine pridem usus est AËTIUS ejusque ad exemplar SAUVAGESIUS et deinceps WILLANUS et BATEMANNUS, qui sub ipso comprehenderunt tres phlegmasiae cutaneae formas, ab ALIBERTO sub titulo: *couperose*, *dartre pustuleuse miliaire et dartre pustuleuse disseminée* descriptas.

Hanc ultimam hoc nomine intellexit RAYERUS, quae *acne punctata* WILLANO dicitur et cum ea forma conjungitur, quae vulgo adpellatur *couperose*, et ad quam sycosin quoque pertinere anatomes, seu sedis potius ratione existimavit, siquidem omnes illae formae cutis folliculos sebaceos occupant: truncum acne, mentum sycosis, faciem reliquam gutta rosacea. (*couperose*).

Quamvis in prospere valentibus caeterum animadversa sint haec cutis vitia, tamen in feminis ex menstruorum turbis, in adolescentulis ex manustupratione, viscerum abdominalium irritatione, in adultioribus sive viris, seu feminis ex abusu liquorum alcoholicorum nata feruntur.

Curantur caussis, quae suscitaverant, tollendis, balneis frigidis, motu corporis aptoque vitae regimine: interdum tempestatis vitaeque ab aetate mutatione et thermis sulphureis, si pertinaciores hisce auxiliis resistant. Quod ab AMBROSIO PARAEO in gutta rosacea cum fructu faciei impositum legitur amplum vesicans, anceps remedium inque morbo vetusto, aegro mobili, irritatione viscerum periculosum et nocivum reputandum est. In aegris plethoricis sanguinis detractiones; vitae genere lauto purgantia, etiam repetita juvabunt.

IMPETIGO, FAVUS, ECTHYMA.

Haec Tribus phlegmasiarum cutis pustulosarum

plures complectitur formas, quae observatione melius, aut iconibus, quam descriptione etiam accuratissima cognosci poterunt.

Impetigo alia figurata est *dartre crustacée flavescente* Alibert et crustis durioribus conicis, *Dartre crustacée stalactiforme* Alibert: alia sparsa, quorsum tinea granulata, *teigne granulée* Alibert, alia eczemate copulata, eczema impetiginodes, cujus loci est crusta lactea infantum, *teigne muqueuse* Alibert. Curatio potissimum diaetetica sit oportet. Caeterum cataplasmata, balnea, lotiones emollientes, saponaceae, sulphur, sulphureta, mercurialia, antimonialia, Plummeri pulveres, inque crusta lactea infantum, laudatore Strackio, herba jaceae, sive violae tricoloris juremerito commendantur: ab aliis arsenicalia, quorum tamen salubritatem nolui experiri.

Favus ad genus porrigo revocari solebat, quod deinceps, nec sine caussa proscriptum est: siquidem et vesiculas complectitur et pustulas et crustas, species igitur ex omni phlegmasiarum classe petitas. Nomen ductum est a similitudine cum favis apum atque inprimis in capillitio cernitur (porrigo favosa, lupinosa). Odoris urinae felinae, naturae contagiosae est haec cutis efflorescentia atque ut videtur pilorum bulbis inhaerens. In favo capillitii laudant pilorum evulsionem emplastro picis, sive una vice, seu repetitis vicibus factam, de qua methodo Mahoniana Cff. Rayeri testimonia T. I.

pag. 714 sqq. operc laud. Ante omnia cutis mundanda, capilli radendi, crustae auferendae, emolliendae, emendandus corporis habitus et vires denique sustentandae sunt. Initio crustis imponenda cataplasmata emollientia, donec crustae deciderint; deinde cutis lavanda decocto furfurum saponaceo, tandem sulphur et sulphureta adhibenda; tum ore ingerenda, tum extus admovenda; quodsi peculiaris subsit morbus sive gastricus, seu scrofulosus, hic curandus suis auxiliis et robori corporis, amaris, nutrientibus, tonicis prospiciendum est.

Ecthyma truncum praesertim tenet et artus, ut impetigo faciem et caput, ut favus capillitium praecipue: ac pustulis dignoscitur largis, exstantibus, basi duriori, rubente estque vel acutum, vel chronicum. In illo diluentibus, refrigerantibus subantiphlogisticis, in hoc nutrientibus, tonicis, martialibus thermisque sulphureis curationis pars maxima continetur.

PAPULAE.

Papularum nomine vocantur parvae cutis eminentiae durae, nec pus, nec serum recondentes, multum pruritum excitantes, lysi, desquamatione, excoriatione terminatae. Tres numero sunt: lichen, strophulus, prurigo, quarum priores sub communi

lichenis denominatione comprehendi posse, censet Rayerus. Earum exemplum offert *lichen tropicus*, medicis utriusque Indiae notissimum (*). A scabie differunt, inquit Carolus Lorry, primo quod papulae illae vulgo magis confertae sint et elatiores: secundo, quod rubicundae magis et minus aridae sint. tertio, quod saepe sanatis febribus superveniant; quarto quod latiores sint et saepius recidivam patiantur, quam vera et legitima scabies; quinto, quod in furfur abeant notabile; sexto demum, quod remediis sanentur a scabiei curatione alienis (l. l. cap. III. pag. 215.) Praeterea scabies flexuras articulorum et interstitia digitorum foedat et vesiculas facit discretas, non papulas confertas.

Prurigo a pruriendo dicitur (de Strophulo (†) enim dicere, non attinet, siquidem lichen est infantilis) papulae sunt non rubentes ad truncum, podicem, genitalia: hanc formam veris vividisque coloribus depinxit Lorryus (§), illam icone illustravit Alibertus Tab. 52.

Lichen refrigerantibus acidulis acidisque mineralibus, interdum catharticis curatus fertur. Ad pruriginem praeter haec depletionibus subinde opus est, antiphlogisticis, actu frigidis: saepius etiam bal-

(*) Plures etiam varietates habet Rayer, Tab. X.

(†) Rayer, Tab. X. fig. 11, 12, 13.

(§) De morbis cutaneis pag. 449 sq. Cf. Rayer, Tab. X. fig. 14, 15.

neis, lotionibus remediisque aut mercurialibus, aut sulphureis alcalinis.

SQUAMAE.

Inflammationes squamosae illae sunt, in quibus ad cutim rubentem formantur lamellae subalbidae griseae epidermidis, aut cuticula mutata in lamellas crassiores secedit. Lepra, psoriasis, pityriasis, ichthyosis hujus census sunt. De hac jure summo, an inflammatio sit dubitatur. Illae sub leprae nomine comprehendi facile possent.

Lepra vulgaris, (*dartre furfuracée arrondie* ALIBERT (*). Psoriasis (*dartre squameusè seche, lichenoïde* ALIBERT; a quo stadio ultimo, provecto morbo, atque inveterato repraesentatur); in illa squamae largiores marginibus extantibus, parte media depressae; in hac minus largae, nec inaequales, nec circulares, ut in lepra. In pityriasi (†) maculae erythematicae, quas iterato obtegunt desquamatio farinosa, aut furfuracea, cum gravi pruritu ingentique calore, quibus a psoriasi differt haec species morbi; in qua cuticula dura, crassa, rugosa, albida est et maculae

---

(*) Cff. ALIBERT, Tab. XII. Tab. XV. RAYER, Tab. XI. Tab. XI. bis.

(†) Tab. XI, fig. 10, 11, RAYERI.

cutis rubrae proëminent. Morbus pertinax antiphlogistica methodo quam optime curatur accommodate ad inflammationis gradum. Reliqua, quae laudantur, cum in hac, tum in lepra medicinae genera: stip. Sol. Dulcam., purgantia, tinct. cantharidum, arsenicalia, mercurialia, alcalina, sulphureta, aut incerta sunt, fallacia, dubia, aut periculo non carent, nec nisi a prudenti medico eodemque perito, suspensa manu, praebenda sunt.

Denique nullius phlegmasiae cutis constans expectanda sanatio est, nisi diaeta omneque regimen vitae medicationi congruat. Hisce diaeteticis auxiliis atque cutis tum externae, tum internae cura graves atque rebelles morbos cutaneos sanari posse, sine iisdem ne leves quidem mitesque posse mitigari, crebro usu experiemini.

TUBERCULA.

Tuberculorum nomine vocantur tumores cutanei duri, circumscripti ad eaque revocantur Elephantiasis, Framboesia, Molluscum, quae cum ad regiones tropicas maxime pertinent inque Europa rariora sunt, de iis dicere supersedeo vosque ad auctores de morbis tropicis relegare malo, quam de rebus nobis prorsus incognitis verba facere. Nonnullas tuberculorum formas iconibus illustrarunt Rayerus, Tab. XIII. et Alibertus, Tab. XLXII sqq.

MACULAE.

Hae inflammationum cutanearum numero recte excluduntur. Interim de iis eaque, quam admittunt curatione, praesertim Ephelidum, per thermas sulphureas, interpositis purgantibus lenioribus, conferatis Cazenave et Schedel, *Abrégé Pratique des Maladies de la Peau*, pag. 155 sqq.

DE INFLAMMATIONIBUS SEROSIS.

Characteres inflammationum earum membranarum, quae serosae adpellantur, communes cognoscere multum refert, ut genus hoc naturale ab aliis quibusvis generibus discernatur. Proprius igitur est huic generi dolor gravis isque pungens, qui aliquot demum horis post stimulum admotum sentitur, minor calor, nulla pulsatio, nec tumor: in parte ipsa rubor punctatus primum, aut striatus, deinde cum inflammationis increscente vigore magis aequabiliter diffusus et profundior: tandem validus cordis et vasorum renisus validaque, nisi propter doloris saevitiem opprimatur, febris.

Etiam quae in corpore interno fiunt exhalatio, absorbtio, inflammationis principio suppressae sunt,

eadem vero declinante, exhalatur serum albuminosum, *lympham plasticam* vocant, saepius in pseudomembranas concrescens. Praeterea celeriter decurrunt et crebro revertuntur et quamvis tunc chronicam magis formam induant, solent tandem nova acutaque exorta inflammatione mortem inferre.

In corporibus defunctorum quae supersunt harum inflammationum indicia, tam accurate scripto consignata sunt, ut morbi historia tota exinde perspicue admodum explicetur. Videlicet facta irritatione primo sanguis copiosior cellulosam suppositam annexamque petit. Haec rubet ejusque rubor trans serosam pellucidam colore roseo lucet. Deinceps ipsa serosae vasa tenuissima sanguis subit; haec punctis rubris adspergitur, quae coacervata pluribus locis sibique proxima strias rubentes fingunt ac numero aucto maculas, magnam serosae partem obducentes, relictis plagis albidis, nullo rubore tinctis. Porro serosa quae antea pellucida erat, splendida, glabra, tenuis: jam lactis colorem ducens, tristi albedine obscuratur, hispida fit, crassa, densaque, ut retuso licet inflammationis impetu, serosae aspectus non laetus ille, sanus, sed tristis adpareat et aeger. Quodsi acutissima fuerit phlogosis, ingens rubor, ecchymosis, nulla pseudomembrana, interdum pus viride cernuntur.

Altera vero chronica forma ab acuta discernitur rubore nullo, aut vix ullo, ipsius serosae crassitie,

densitate auctis, cellulosa turgente et cum serosa et cum pseudomembranis organicis coalita, granulationibus porro, aut pustulosis, aut miliaribus, humore seroso albo, flavescente, hydropico, interdum puriformi, gelatinoso, tumoribus chronicis glandularum, cellulosae cysticis. Utraque morbi forma affinis gradu, decursu, productis differt. Internae inflammationis diagnosis doloribus punctoriis, muneris laesione, secretionum turba, aliarum serosarum affectibus sympathicis, deuteropathicis constat. Etenim uti non desunt observationes inflammatarum omnium simul serosarum, ita creberrimae exstant plurium conjunctarum, altera alteram aut comitante, aut subsequente: synovialium, arachnoideae, pleurae, peritonaei, vel pleurae, pericardii, peritonaei, tum in puerperis, tum in aliis aegris. Peritonaeo inflammato inflammari pleuram, serosam cordis, arachnoideam et inflammatione acuta in puerperis et chronica in hydropicis observavi: ex inflammatione synovialium, speciem arthritidis mentiente, factam esse inflammationem pleurae in juvene animadverti. Haec migratio morbi a sympatheia est et analogia fabricae repetenda ab eaque differt altera, quae cellulosam sequitur partes vincientem. Inflammari cellulosam, serosae adnexam vidimus unaque cum hac ipsa, quin ante eam signa inflammationis in cellulosa conspici; quapropter per cellulosam ad partes vicinas produci inflammationem, mirum esse nequa-

quam poterit. Haec productio fit praesertim ad partes ejusdem naturae cellulosae: raro igitur a meningibus ad cerebrum, crebro a pleura ad pulmones, a peritonaeo ad mesenterium, omentum, cellulosam vicinam, non vero ad musculum cavum intestinorum, aut ad musculos abdominis, quemadmodum a serosa cordis fere nunquam inflammatio ad cor ipsum pertinet. Subinde etiam mucosa inflammari (intermedia musculosa integra) quin tum una ex altera pendeat, animadvertitur.

Ut plurimum sub inflammatione serosae abdominalis et pectoris, subinde sub ea synovialis, saepius sub inflammatione arachnoideae creantur pseudomembranae, exsudato primum albumine molli, liquido, serosam inflammatam obducente. Haec exsudatio magis magisque densa fit atque membranae inflammatae adglutinatur. Interea temporis serum exhalatum ex limpido fit turbidum, propter multitudinem particularum albuminis innatantium, quae increscunt in partes membranaceas, variae formae: quaeque serosae adhaeret membrana, fit organica, vasculosa, structurae cellulosae, atque ejusmodi membranis, etiam post inflammationem sublatam, partes praeter naturam cohaerent, donec nova accedente eaque gravi inflammatione, inflammentur et ipsae et ruborem contrahant, quem servant deinceps: simul vero secernitur serum cruentum, aut humor purulentus, morbo magis provecto et in declinatione iterum exacerbato. Quales se-

cretiones purulentas in cerebri ventriculis, pleura, peritonaeo, pericardio observarunt medici.

Curationem quod attinet, et antiphlogistica sit et antiplastica: id est, non tantum inflammationi adversa, verum etiam processui, qui dicitur, plastico luxurianti, de qua utraque curationis parte verba fient, ubi de singulis serosarum membranarum inflammationibus dicetur.

DE PERITONITIDE.

Peritonitis in puerperis potissimum observata et sub nomine *febris puerperalis* a multis descripta est. Antiquitus, rem animadvertente PINELLIO, cum reliquis abdominis inflammationibus confundi solebat. De febre puerperali docte disputavit BURSERIUS, qui tamen, utrum recte huc revocaverit omnes puerperarum febres, quas memoravit HIPPOCRATES in *Epid.* Lib. I et III. equidem dubito. Simplices saltem non fuere, sed cum gastrica labe ut plurimum complicatae, aut ex pluribus compositae inflammationibus, quemadmodum in aegra undecima, Sect. III. Epid. I. cum peritonitide arachnitis fuit et mors a cerebro.

Peritonitidis simplicis casus protulit PINELLIUS, *Med. Clin.* pag. 173 sqq. et *Nosogr. Philos.* T. II. pag. 334 sqq. Prior casus acutae, reliqui chroni-

cae peritonitidis sunt. Inflammationis peritonaei acutissimae in viro exemplum legitur apud GENDRINUM, *Hist. Anat. des Inflamm.* Tom. I. pag. 140 sqq. Peritonitidum complicatarum casus praeter HIPPOCRATEM descripsere auctores, tum Galli, tum Angli a BURSERIO laudati, tum PINELLIUS, *Med. Clin.* BROUSSAISSIUS, *Hist. des Phlegm. Chron.* et nuper ROBERTUS LEE, *Researches on the pathology and treatment of some of the most important diseases of Women.* Lond. 1833, pag. 20 sqq.

In hac materie pertractanda ita versabor, ut symptomata continuo conferam cum extispiciis, tum tradam morbi praesagia, denique explicem curandi methodum.

Fiunt praesertim peritonitides sive ventre vi quacunque mechanica laeso, sive perversa ex refrigerio cutis functione, seu denique puerperii critica metamorphosi qualibet caussa vel impedita, vel perturbata.

Signa hujus inflammationis sunt: dolor ventris fixus, attactum non ferens, tympanites, calor, pulsu contracto, duro, celeri, frequenti. Subinde occulta est magis nihilque horum signorum superest, nisi tympanites subitaneus, cum alvi adstrictione, in quo casu, auctore BROUSSAISSIO, pressio lateralis dolorem epigastrii praesentem denotat. Recte tamen monente FRANKIO varia erit doloris sedes, siquidem peritonaeum qua late patet, inflammari potest, alio alioque loco, neque in ven-

tris tantum regione anteriori, verum etiam in mesenterio, ad dorsum, ad lumbos, ad psoam musculum et iliacum internum. Ubi psoitis est, aut potius peritonitis prope musculum psoam, dolor ad dorsum infra vesicam urinariam sentitur, in uno latere stupor est, per inguen ad femur descendens, quod (sunt verba FRANKII) prae magnis tormentis ab aegro extendi non potest, et nulla neque urinae, nec alvi difficultas. Ubi dorsum, lumbos occupat dolor, hic ad columnam vertebralem potissimum erecto trunco urget majorque ventriculi et intestinorum sympatheia suscitatur. Exinde faciles in mesenteritidem lapsus, in quo dolor profundus ex dorso incipiens inque umbilicali regione subsistens, contrectatione auctus, sub qua tumor et durities percipiuntur, obstructa alvo. Omento inflammato dolor ventris anterioris acerrimus, cum tumore et tensione supra et infra umbilicum, loco tactum non ferente. In peritonitide puerperali cruciatus abdominis atroces, tactu exasperati, febris aucta, venter in tumorem et tympanitem adsurgens. Accedunt anxietas, dyspnoea, nausea, vomitus, diarrhoea, singultus, deliria, sopor, propter laesam nimirum serosam capitis. Invadit nunc brevi ante partum, nunc mox a partu, aut abortu, plerumque, ut ego observavi, die secundo, aut tertio, quo tempore febris lactea feminam tenet, cum eaque coincidit.

Raro simplex est, saepius cum gastrico morbo complicata.

Morbi decursus est a paucis diebus ad plures hebdomades, prouti vel acuta, vel chronica inflammatio fuerit. Mors crebro evenit, die morbi undecimo eaque varia sive apoplectica, seu convulsiva, sive ex gangraena, sive denique ex haemorrhagia etiam pulmonali. Haemorrhagiae factae indicia sunt: dolor atrox, pulsus parvus, frigus extremorum, pallor, facies collapsa: et similia ferme factae gangraenae. Morbum levarunt subinde alvi, urinarum fluxus, sudores.

In corporibus defunctarum ex hoc morbo mulierum reperta inflammati peritonaei, omenti, intestinorum vestigia: pseudomembranae partes obtegentes, ligantes, serum, lympha plastica effusa, hydrops purulentus.

Peritonitis puerperarum raro evenit sine aliqua appendicum uterinarum phlogosi idque repperi, inquit is, quem nuper laudavi Robertus Lee, contextu uterino integro et integris venis, similiter atque in spirandi organis et capitis et digestionis officina variae inflammationes vel seorsum, vel conjunctim existunt. Ubi vulgaris sive epidemicus morbus est, hae varietates inflammationum uterinarum aliae alio tempore cernuntur, ut nunc uteri, nunc peritonaei phlogosis animadvertatur, quamvis in epidemia eadem ambae etiam visae sint in aegris eodem in Nosocomio in lectulis contiguis

etiam decumbentibus; manifesto indicio, varias ejusdem esse morbi formas.

Verum lubet hujus auctoris referre circa hanc inflammationem animadversiones, quae veri studio, candore, simplicitate eminent, quibus maxime virtutibus excellunt Angliae medicorum observationes, nobisque mirifice placent.

Hoc igitur auctore, signa characteristica morbi sunt: hypogastrii sensus acutior, seu dolor pressione auctus, cum pyrexia i. e. febre. In morbo gravi cubant aegrotantes in dorsum, genubus ad truncum flexis; abdomen initio molle, flaccidum, nec tactum, nisi in uteri regione recusans. Haec regio etsi nunquam tumore et dolore careat prorsus, dolor tamen, quia, ut dolores post partum, crebras habet exacerbationes, ab observatore medico negligente cum his confundi solet. Deinceps totus venter tumet tympaniticus, quo facto dolor aut mitescit, aut ingravescit. Sequitur diarrhoea, aut vomitus humorum nigrescentium, viridium, pulsus fiunt creberrimi et imbecilli, lingua sicca, fusca (nigra) labia, dentes sordidi: quae signa mortem brevi affuturam praenuntiant.

Principium non omnibus idem est. Interdum subitaneus dolor, interdum lente et pedetentim increscens. Vehemens interdum rigor, interdum levis, interdum nullus, ut pulsuum velocitas, calor cutis, spiratio intercepta continuo dolorem uterinum insequantur. In casu pessimo habitus ab

initio anxius, pallidus vultus, artus frigidi. Lochia jam suppressa penitus, jam parciora, jam foetida. Mammae nunc flaccidae, nunc in morbo gravissimo ad mortem usque fere lac secreverunt.

Saepe difficilis est ab uteri doloribus et hysteralgia dignotio. At in casu dubio curatio antiphlogistica praestabit facta, quam praeter rem omissa.

Peritonaeum cernitur vasculosum, rubrum, densum, abdominis viscera agglutinata, aut serum effusum album, flavescens, cum albumine, pure, sanguine subinde mixtum. Nonnunquam lympha plastica concreta est, nonnunquam serum tenue, cui innatant membranea concrementa. Omentum saepe rubrum, vasculosum, intestinis, uteri fundo adhaeret.

Incipit autem ab uteri involucro seroso idque etiam gravius laesum apparet et humor purulentus est in supposito textu celluloso.

Praeterea adpendices uterinae: ligamenta lata, ovaria, tubae inflammata et quidem prae reliquis partibus gravius, et structura prorsus depravata, cerni solent. Ab iis inflammatis dolor minus acutus excitari isque lateralis esse, in fossa iliaca alterutra sedem figens indeque progressus altius insurgere in hypogastrium observatur.

Ecce auctoris in hunc morbum annotationum compendium!

Sequuntur historiae morbi novem. Citabo primam, ex una noscite omnes: adeo sibi similes sunt.

Mulier primipara, altero post partum die utero doluit, lochia suppressa habuit, febricitavit, quae symptomata, quia a spasmo uteri esse credebantur ab eo, qui tunc ipsam curabat medico, anodynis et fomentationibus calidis tractata, die quarto a partu, primo quo aegram visitabat auctor, non decreverunt. Abdomen tympaniticum erat et summopere dolens ad tactum, pulsus 140 et debiles, extrema frigida, vultus decompositus. Vomebat perpetuo materiam liquidam viridem, alvum habebat fluidam: quibus persistentibus post meridiem mulier mortua est. Membrana serosa intestinorum perquam vasculosa, hepatis superficies, qua parte, lympha tecta. Appendices uterinae in utroque latere pure et lympha obductae. Ad lumbos serum turbidum copiosum. Lien mollis admodum.

Erat in hoc casu inflammatio adhaesiva in aliis locis, purulenta ad adpendices uterinas, ut ab his initia duxisse inflammationem dixeris: saltem in iis gravior fuit, quod etiam vulgo ita esse solet atque probabilem reddit conjecturam Cari, ovaria esse partes, unde inflammatio et secretio incipiunt: hunc esse locum morbi natalem, ut embryonis ipsius est, quod sive ab eorum in apparatu generationis dignitate, sive ab antagonismo inter ovaria et uterum repetendum esse, opinatur.

Curatio prava fuit, ut falsa morbi notio. Cavete tamen, huic soli caussae mulieris mortem tam citam tribuatis. In aliis etiam, quarum morbus a

medico cognitus et bene tractatus est, eventus brevi lethalis fuit. In casu altero vena secta, admotis hirudinibus, mors demum incidit die morbi duodecimo, ita ut quamvis ea medendi ratio mortem non averterit, tamen videri posset distulisse: cui judicio ex casu nono, in quo similis curationis suppar fuit eventus, aliquod pondus accedere videtur, verum in casu quarto et quinto et sexto et septimo et octavo ne hoc quidem per validam curationem antiphlogisticam impetrari potuit, pereuntibus aegris altero, tertio, quarto, aut quinto die, morbo semper ingravescente, ventre tympanitico pulsuque et respiratione turbatis; vomituque materiae viridis accedente.

Enteritis serosa tenuium in omnibus animadversa est, provectiore morbo in omnibus lympha plastica effusa, in membranas concreta, in omnibus gravissima in ovariorum regione laesio. Casus quintus et septimus pleurae inflammatae obtulere et symptomata in viventibus et vestigia in mortuis mulieribus: capitis et arachnoideae nulla facta est mentio; quae tamen prae pectore et pleura crebrius in mali societatem veniunt et a quibus irritatis, inflammatis, oppressis, puerperarum vigiliae, insomnia, deliria, convulsiones, spasmi, sopores, comata, paralyses, apoplexiae, maniae provenire solent, quas medicorum vulgus a nervis repetere nervinisque oppugnare remediis amat.

Caussa morbi proxima in puerperii turbata crisi

ponenda videtur, vita plastica, quae in gravidis mulieribus exuberat, non rite ad naturae modum revocata (*). Veteres lochiorum suppressionem, recentiores metastasin lacteam accusarunt. Verum ubera non semper flaccescunt, nec lochia deficiunt semper. Ex caussarum remotarum numero aliae psychicae sunt, aliae physicae, in corpore rebusque externis, quorsum animi commotiones, aëris insalubritas, immundities, gastrica colluvies, refrigerium in primis referuntur, quibus aut praecavendis, aut amovendis curatio prophylactica continetur.

Altera therapeutica curatio tum antiphlogistica universe, tum ejusmodi sit, quae et secretionibus moderandis et tollendis complicationibus respondeat, ita tamen ut semper ratio habeatur vitii phlogistici. Quocirca sanguinis depletiones fieri proderit, iterata vice interdum, alvus clysteribus eccoproticis eluenda, cutis promovenda leniter perspiratio. Praecipue vero mercurii virtus laudanda est in curandis ejusmodi inflammationibus maxima, qua in bene multis feminis eventum funestum praecidere mihi contigit. Quod remedii genus, si alvus fluidior justo, cum pauxillo extr. opii gumm.

(*) Qui pluribus hanc theoriam explicatam avent, adeant Carolum Gustavum Carum, Dresdae artis obstetriciae professorem, in praestantissimo Gynaecologiae Compendio P. II. pag. 572 sqq. de hoc argumento acute disputantem.

aut Doveri formula copulavi et quo in chronica etiam peritonitide, quae crebro a partu superest et permultis medicis ignota morbi forma esse videtur, feliciter usus sum. Interea tamen summopere cavendum est, ne sordes gastricae, ut fieri solet, accumulatae intestinorum cavo retineantur; quod cavetur optime enematum emollientium crebro usu, quodque nisi tempestive fiat, nascuntur aphthae repullulantes perpetuo morbumque trahentes aegrasque vel in ipso convalescentiae limine tollentes e medio.

Tandem animadvertendum est, in curatione multum a medicis peccari. A Frankio, principe caeteroquin in arte viro, laudante inunctiones oleosas e linim. volat. camphorat et vesicantia abdomini inflammato imponente. A Broussaissio fomenta frigida commendante; ab aliis symptomatibus sympathicis a nervorum genere repetendis nervina opponentibus remedia. Tam arduum est, rectam semper inire et sequi constanter viam, quam morbi natura sola monstrare poterit.

DE PLEURITIDE.

Pleuritis dicitur adesse, quando aeger laborat acuta continua febre, cum pulsu duro, dolore acuto, punctorio, sub inspiratione valde aucto; mitiori,

si spiritus retineatur aut emittatur ac respiratio fiat ope abdominis, immoto thorace; tussi fere perpetua, sicca, dolorem magnum inferente, hinc suffocata.

Boerhaavianam hoc loco secutus sum morbi definitionem historicam, i. e. eam, qua morbus per sua signa describitur. De altera, quae genetica adpellatur definitione, inter medicos non convenit. Alii scilicet pleuritidem et peripneumoniam idem esse morbi genus contendunt, alii contra distinctum esse perhibent. Hanc quaestionem ut solvamus, quod in aliis inflammationibus facere instituimus, idem in pleuritide explicanda faciemus, ut traditis auctorum de anatome pathologica observationibus, quae caussa, quae origo symptomatum pleuriticorum, quae sedes morbi, adpareat. Incipiam a MORGAGNO. Nam BONETI Sepulchretum multos quidem casus habet, sed adeo truncatos illos, ut parum lucis rei obscurae affundant. MORGAGNUS igitur, in Epist. 20 et 21. de pectoris, laterum et dorsi dolore scribens, priore epistola VALSALVAE observationes memorat, altera suas. Hic iis effici arbitratus est, a pulmonum magis, quam pleurae inflammatione pleuriticorum cum signa, tum funera repetenda esse, quod quo jure arbitratus sit, agite, rerum testimoniis adhibitis, videamus. In prima historia (VALSALVAE est) nulla leguntur alia symptomata, praeterquam tussis inanis, difficilis respiratio et quoddam subdelirium. Haec utut ap-

pellatur peripneumonia, tamen cum in thoracis cavo dextro unciae aliquot seri turbidi repertae sint, pleuram illaesam fuisse non facile VALSALVAE adsentiar. Annum totum febribus vexatus erat aeger, splen triplo major inventus est. An ex febre intermittente nata pleuroperipneumonia? Quaestionem solvite perlectis Brouissaissianis aegrotantium historiis, de quibus postea erit sermo. Interim Cf. casum §. 51. §. 30. §. 2. quaeque priori loco notavit ille circa hanc lienis et pectoris morbi cognationem a FANTONO pridem animadversam. Secunda pulmonis dextri inflammati arcteque per membraneos nexus pleurae adhaerentis indicia obferebat. In sene peripneumoniae signa ut in vivente erant, ita in mortuo adparebant. In muliere sinistri lateris dolor cum spirandi difficultate et tussi vehemente, qua aliquid expectorabat, inque hoc latere thorace recluso serum albo infectum colore, tum pulmo a posteriore inflammatus inventus est. (Haec: serum album et reliqua signa indicabant pleuritidem modicam, qualis chronica primi generis GENDRINO dicitur). In matrona dolor erat gravativus, ut in sene, cum sensu ponderis inque illa, ut in hoc, peripneumonia fuit: qui dolor tamen postea in pungentem mutatus est, affecta forsitan pleura, cujus nulla fit mentio.

» Virgo annos quinquaginta quinque agens thoracis dolore, praesertim circa sternum corripitur, capite dolet, difficile spirat, ingentem materiae co-

piam expuit. Circa nonum diem, cum nisi erecta cervice spirare non posset, moritur. Sinister pulmo inventus est cohaerens pleurae, ut sine laceratione separari non potuerit (erant igitur pseudomembranae organicae). At dexter, qui continebat abscessum, toti mediastino arcte adhaerebat. An inflammatio mediastini peripneumoniam praecessit, an contra secuta est? Pericardium erat plenum seri. In cordis ventriculo dextro non parva polyposa concretio."

In lanione dolor fuit in dextra thoracis atque etiam in medio sterni. Supinus cubat, multum tussit, parum expuit. Pulmo dexter superiore parte tota induruerat et nonnihil sterno, arctius autem mediastino adhaerebat. A sinistris, thoracis cavea paululum habebat seri, quo pericardium plenum. In corde dextro polyposa concretio. In hoc pleuritis peripneumoniam praecessisse videtur. Sed symptomata obiter tantum tradita nullaque anamnesis mentio facta est. Virgo annorum viginti dolore corripitur in sinistra primum, tunc in dextra thoracis parte. In hanc cubare non potest: tussit, noctu delirat. Pulmo dexter nonnihil inflammatus, a tergo praesertim. Sinister autem, qui undique pleurae costas et diaphragma investienti adhaerebat arctius, ut eximi sine laceratione non posset, multum rubebat. In corde nulla polyposa concretio: sanguis duntaxat in utroque ventriculo ater et coagulatus. Sanissimum cerebrum: paululum

duntaxat seri circa ejus basim. (In virgine procul dubio peripneumonia pleuritidem secuta est et in pleura longe major morbi pars fuit, nec serosa capitis intacta prorsus). Juvenis triginta annos natus post multos labores levi obtusoque in sinistra thoracis parte dolore corripitur, febricitat, difficulter respirat, nihil exspuit. Post aliquam die decimo quarto remissionem, ex improviso ingens spirandi difficultas cum stertore et sputo cruento. Ex sinistro in latus dextrum se convertens mortuus est, die decimo septimo. Sinister pulmo inflammatus, si superiorem partem excipias, ex qua duobus in locis stillatim sanguis erumpebat, ut hujus librae amplius quatuor in eadem sinistra thoracis cavea stagnantis repertae sint. (En pleuroperipneumonia haemorrhagica, seu pleuritis haemorrhagica Laenneccii!) Sacerdos annorum propemodum triginta, difficili corripitur respiratione, multum exspuit: principio de dolore queritur in dextra thoracis parte, deinde in sinistra. Die decimo obit. In thoracis utroque cavo erat serum, sed non multum, cujus portio undique super pulmones concreverat, tunicae instar pallescentis. Pulmo autem dexter ea parte qua spectabat dorsum, valde rubebat: induruerat quoque: minus tamen quam in aliis solet peripneumoniis: circa medium vero intus gigni coeperat materies purulenta. Sinister pulmo a tergo pariter leve inflammationis initium ostendit. Pericardium aequo erat crassius et fla-

vescente sero turgebat: ex hujusque seri concreta portione quasi reticulare quoddam corpus effectum erat, tum per extimam cordis, tum per intimam pericardii faciem, qua pressa seri guttulae erumpebant. Cordis ventriculus dexter continebat polyposam concretionem.

Senex annos circiter sexaginta natus dolore prehenditur in dextra thoracis parte, febricitat, tussit, exspuit, facilius decumbit in dorsum. Sputi copia major fit: sed ob sectam die decimo venam supprimitur. Itaque die undecimo obit. Pulmo sinister sanus, quamvis undique pleurae adhaerens. Dexter contra quamvis a pleura solutus, dorsum versus tantopere inflammatus ut solidiorem carnis substantiam referat. Duae exiguae concretiones singulae in singulis inveniuntur cordis ventriculis. In hoc sene dum in dextra thoracis parte dolor fuit, in sinistra parte pulmo pleurae adhaerebat, in dextra ad dorsum erat peripneumonia. De quo tamen multa superest dubitandi caussa, quod nec doloris describitur ratio, utrum pungens ille an gravativus, nec si pungens fuerit, certo cognoscitur, an omnis omnino abfuerit a pleura pulmonali inflammationis nota. Reliquas saltem si numeremus aegrotantium historias, plerasque pleurae cum pulmonum junctam phlogosin obtulisse deprehendemus, eo in latere quod dolebat et in quod facilius cubabat aeger, quocum saepe conjungebatur pericardii inflammatio et polyposa in corde concretio.

Pleuroperipneumonia erat in viro quadragenario, in adolescentulo, in clerico, in virgine, in sene (*), in juvene, in famulo, in viro utroque, altero vitiatum hepar habente, leproso altero: in illo gravior pulmonum, quam pleurae, in hoc pulmonum levis tantum, at pleurae gravissima inflammatio. Talis denique erat morbus in femina sexagenaria, plethorica: quaeque in hac Epistola, VALSALVAE observationes referente, agmen claudit anus duos circiter menses de interno thoracis dolore conquesta fuit, pulmonem utrumque habuit nigris distinctum maculis: dextrum praeterea qua vertebras spectabat, durum et exulceratum; quanquam nihil adparuit saniosae materiae (†); ingentem denique polypum in ventriculo cordis dextro. Jam traditis VALSALVAE observationibus ad eas MORGAGNI accedemus, quas Epist. 21. descripsit, quarum septemdecim priores huc pertinent, duae ultimae aliorsum.

In prima historia peripneumoniae fuere in vivente et mortua muliere signa, una cum pericardi-

---

(*) Thorax dum aperitur, e dextero ejus cavo erumpit serum, quo illud totum opplebatur. Qui in eo cavo erat pulmo, ater et phlogosi affectus, durus praeterea et valde compactus, membrana autem extima facile separabili, per membranulas scapulas versus pleurae adhaerebat, Epist. 20. art. 33.

(†) Recentiorum observatio est, pulmonum abscessus, seu vomicas magis ad pulmonum tubercula, quam ad peripneumoniam pertinere.

tidis chronicae indiciis et in corde concretionibus polyposis; in secunda pleuritis pneumoniae juncta. Senex annorum septuaginta quatuor staturae humilis, cauponas frequentare solitus, ultimis annis pulmonum inflammationi obnoxius, hac novissime in Patavino Nosocomio intra octiduum confectus fuerat. Peculiaria symptomata eo tempore animadversa non fuit, qui accurate satis narraret; hoc unum non reticendum, nullo prorsus symptomate cordis vitium indicante laborasse. Pulmones undique erant pleurae annexi, dexteri pars summa dura et nigricans. In corde sinistro tuberculum, instar hydatidis.

Agricola annos natus triginta quinque, dum ex alto cadens dextrum latus contudisset, in Bononiense Nosocomium exceptus fuerat. Convalescens ex ciborum abusu incidit in ardentem febrem, mox etiam in spirandi difficultatem, quam nullus tamen comitabatur thoracis dolor. Omnibus, quae morbus requirere videbatur, frustra administratis, jacens ut solebat in dorsum et stertens et pulsibus, qui magni antea fuerant, vibratis et frequentissimis, intra octiduum ex quo ardens febris invaserat, mortuus est. Pulmones undique ad pleuram adhaerebant per membranas. Sinistri pulmonis lobus inferior praegrandis et gravis totusque durior hepaticam substantiam referens. In pericardio multa aqua subflava et turbida. In singulis cordis orificiis et auriculis polyposae concre-

tiones, quas inter maxima quae in auricula dextra, inde ramos promittens in ipsas usque jugulares venas. Senem annos natum plus sexaginta febris et pungens dolor corripuerat ad anteriorem partem lateris dextri. Cubabat in dorsum, lingua erat arida: pulsus magni, frequentes. Ex qua convalescenti cum plenior victus concederetur, per triduum purgaretur indeque multum comederet, nocte proxima redeunt febris et dolor. Pulsus erant duri, frequentes, magni, vibrati, ad diem usque ultimum, quo cum in lecto se erexisset, mox accedente stertore mortuus est. Thorace recluso pulmonis dextri superior lobus magnus durusque, substantia hepaticae simili, effluente materia purulenta cum spumoso humore. In sinistro thoracis cavo aqua ex flavo viridis tenuisque pseudomembrana. Pulmonis sinistri lobus inferior ater posterius et durus, pure non caruit. In pericardio aqua multa. Ad singula cordis orificia polyposae concretiones. Tenuia inflammata. Lanius annos natus duodeoctoginta, colore ex fusco pallido, qui alias sputo sanguineo laboraverat, jam ante dies quatuor paulo infra sinistram mamillam, internum eumque pungentem dolorem sentire coepit. Pulsus inaequales, crebri, intermittentes, frequentes et qui parum digitis explorantium resisterent: tussis crebra eoque sono, qui latratui esset propemodum similis: sputa crassa in iisque albae particulae quasi polyposae; difficilis respiratio: decubitus duntaxat in dorsum,

Sanguis emissus crassissimus, crusta flava. In sputis adparuit sanguis. Vena iterum secta die septimo, mortuus est octavo die. Pulmo dexter pleurae adhaerens ferme undique. Sinistri lobus inferior gravis, rubens, durus, adhaerens pleurae. In pericardio aqua subrubra (*) in corde polypi.

Virum annorum circiter quadraginta pungens corripuit dolor lateris dextri cum febre et calore magno. In Nosocomium illatus, quarto morbi die, pulsu erat parvo, frequenti, nonnihil inaequali, respiratione frequenti et debili. Supinus jacebat. Vultus erat soporosi. Mens parum constabat. Noctem egit inquietam cum difficili respiratione, quae difficillima mane, ut addito stertore obierit die quarto exeunte. Pulmo sinister ferme sanus, fulvo tamen humore imbutus, qui vel uberius ex pulmone prodibat dextro: hic major, gravior, durior, hepatis substantiam referens. In corde polypi. Cranio recluso vasa, quae per tenuem meningem feruntur, turgebant, sub hac autem aqua, cujus in ventriculis lateralibus portio aliqua sed subrubentis.

Mulier aetate consistente postquam abortum fecerat, interna thoracis inflammatione correpta est. Decubitus in latus dextrum, febris, spirandi difficultas, thoracis dolor interior, cujus sedem desig-

(*) Quae pariter in pectore simulque concretio cartilaginea, LAENNECCII theoriam firmans. Vid. infra.

nare satis non poterat. Tussis sicca aderat, surditas, aurium dolor. Pulmones pleurae adnexi, eorum substantia densa, duriuscula, alicubi etiam nigricans. In pericardio subrubrae aquae et turbidae copia aliqua. In utroque corde polypi.

Erunt forsitan, qui tam longam casuum singulorum commemorationem taediosam atque inutilem putent. His respondeat sequens peripneumoniae epidemicae ab auctore addita historia.

Anno 1708. hyeme Patavi fuit inflammatio pulmonum epidemica, quae nusquam magis quam in quibusdam monacharum coenobiis grassata est, in uno autem maxime, ut quaecunque ea prehenderentur omnes, nonnullae etiam intra quatuor dies interirent. Quapropter publice Morgagno mandatum fuit, ut morbi naturam etiam per dissectionem inquireret. Non erat difficile intelligere, nihil in eo esse contagiosi. Sed tamen cum earum quae aegrotaverant, etsi tres neque ignobiles medici, alii aliis adhibiti essent, ne una quidem servari potuisset, id vero non tam morbi vi, quam non bene cognitae ejus naturae adscriberetur, Morgagnus fretus iis quae post ejusmodi signorum praecipua semper invenerat, agite inquit, secetur cadaver, morbi natura haec facile reperietur, ut in pulmonibus adpareat substantia jecinoris. Quod etiam ut praedixerat, deprehensum est, quaeque non praedixerat, pseudomembranae inventae sunt et serum cruentum: ut evidens esset, utriusque

pulmonis (et pleurae) inflammationem, quae jam in suppurationem degenerabat, mortem attulisse. Fatetur tamen ipse, in plerisque laesionem pleurae inveniri cum laesione pulmonum conjunctam: quamvis sedem pleuritidis in pulmonis laesione magis, quam pleurae positam esse opinatur adhibito, etiam in rei fidem COITERI nostratis testimonio, quod recentiorum inventa, de quibus mox, si cogitemus, quae viro summo cognita esse non poterant, ipsi non dabimus; id lubenter ei concedentes, in longe plurimis pleuriticis pulmonum pleuraeque imflammationes esse conjunctas et ab illa magis, quam ab hac eorum funera esse repetenda; tametsi nec desint, rariora licet, solius pleurae inflammatae exempla.

Quae majorum, MORGAGNI praesertim observationes circa pleuritidis et pleuroperipneumoniae in corpore vestigia docuerunt, ea recentiorum industria mirifice et explicuit et perfecit plurimum. Quo loco primus mihi nominandus est BROUSSAISSIUS, cujus liber: *Histoire des Phlegmasies, ou Inflammations chroniques*, magnam auctori conciliavit nominis celebritatem, qua si contentus fuisset, longe melius famae suae consuluisset, quam systema condendo naturae judiciis non respondens. Is igitur de utriusque inflammationis notis disputans universe dolorem acutum pungentem parietum thoracis cum pulsu frequenti duro pleuritidis haberi signa animadvertit, dolorem contra obtusum, ex-

pectorationem cruentam, dyspnoeam gravem, ruborem genarum intensum peripneumoniae: id quamvis in acuta pleuritide manifestum, in latente et chronica non semper observari: dolorem punctorium fixum tam in acuta, quam chronica pleuritide, praesertim si late extendatur, subinde abesse, nec non in pericardii inflammatione pleuritidi juncta, qua reactio febrilis ipsaque febris inhiberi magnopere videtur. Ejusmodi pleuritides propter magnitudinem inflammationis obscuratas ingenti stipari virium prostratione et eam ob caussam saepius male curari.

Haec cum observationibus illustat, eas breviter recensebo. Itaque prima observatio, numerum si quaeratis, decima nona est, pleuritidis acutae est in chronicam formam mutatae, in eaque primo dolor acutus pungens dextri lateris, alternis vicibus, per menses integros, jam mitigatus, jam exacerbatus. Donec tandem corpore plurimum extenuato, facie Hippocratica, cute arida, in dextrum praecipue decumbens placide obierit. Pulmo dexter atrophicus ad mediastinum et sub clavicula recondebatur, magno spatio relicto: pleura crassa, lardacea, parenchyma pulmonale rubrum, molle, carni simile. Pulmo sinister per pseudomembranas adhaerens. Cor parvum, vacuum: levis rubor mucosae ventriculi. Hepar justo majus. Observatio tertia (vigesima prima numero) pleuritidis chronicae est, suppuratione circumscripta ter-

minatae, a qua nec dolor fixus lateris dextri aberat, nec febris acuta. In dextro pulmone pseudomembrana, empyema pleura utraque circumscriptum et pulmonis, nec gravior tamen inflammatio. Observatio vigesima secunda pleuritidem chronicam obfert cum sanguinis exhalatione, in qua tussis, dolor acutus pectoris anterioris et superioris et febris valida. Paucum, non cruentum sputum; post levamen exacerbatio ex catarrho et altera ex errore in victu, unde dypnoea, perpetua tussis sicca, nocturna, pulsus frequens, contractus, alvi fluxus, mors quinto mense morbi nati, die quadragesimo tertio morbi recidivi. In mortuo lobi pulmonis dextri potissimum sero rubro obruti et sanguis coagulatus in partem thoracis posteriorem effusus. In abdomine hepar magnum, sanguine, ut videtur, turgens.

Hoc loco quaestionem agitat auctor, num pleuritis utriusque lateris longe lateque diffusa perinde fixum et pungentem dolorem moveat, atque pleuritis circumscripta. Ad quam quaestionem si et hanc et alias aliorum observationes consulamus, negative respondendum videtur. Paucos illos pleuritidis simplicis casus sequuntur alii pleuritidis complicatae cum febre intermittente, cum gastritide, cum tuberculis et ulceribus pulmonum, quos singulos persequi nimis longum foret. Notasse sufficiat, qui in recitatis hucusque observationibus aderat dolor, sive fixus punctorius, sive ut in ca-

sit ultimo diffusus per pectus anterius et superius; in observatione vigesima sexta et vigesima septima defuisse, gravis licet subfuerit phlogosis, verum chronica illa, aegro ex longa valetudine imbecillo in priori, aegro phlegmatico in altero: in utroque pleuroperipneumonia fuit: in priori quidem pulmonis inflammatio recens veteri accessit pleuritidi et ultima fuit eaque lethalis phlegmasiarum thoracicarum: in secundo inflammatio abdominis pectoris inflammationi se junxit.

Summae est utilitatis, in arte facienda definire exacte quomodo morborum in eodem corpore contubernia hos ipsos mutent aut obscurent. Id si de febris intermittentis et pleuritidis connubio quaeramus, in priori casu videmus pleuritidem post febrim debellatam demum exsurgere, in altero, quae observatio vigesima quarta est, initio paroxysmi tussim auctam, exinde nullam, tandemque dolorem dextri thoracis perpetuam factam esse, qui febre sublata perstitit, ut ex febre intermittente evoluta videatur aut eadem suscitata pleuritis. In phthisicis saepius hoc connubium vidi ac semper symptomata pectoris intermittentis paroxysmo increvisse; morbo nondum provecto, frigoris stadio, dyspnoea gravis, provectiori, paroxysmo declinante, largi oboriebantur sudores multumque accelerabatur phthiseos decursus, quapropter febrifugis quantocyus febrem oppugnavi, quod ab aliis etiam feliciter factum cognoveram. Caeterum quae pleuritidem comitatur

febris, si cum calore acutam, si absque calore chronicam pleuritidem designare, auctori dicitur, ingravari, ubi ex compressione pulmonum ab humore collecto, hujus inflammatio suscitetur: hecticam denique febrim, quae morbi provectioris diuturnioris est, aliam esse a dolore (*hectique de douleur*) aliam a pure resorbto, quod oeconomiae venenum factum est. Quando nempe ex morbo nata suppuratio et empyema factum, pure in pleurae cavea collecto, pus depravatur, putrescit, fit foetidum, ubicunque accedat aër atmosphaericus, sive ex vesiculis bronchialibus in membranam inflammatam ductus, sive ex paracenthesi aut vulnere thoracis hujus cavum ingressus, rem confirmante observatione trigesima tertia. Haec morbi per suppurationem terminatio, quae empyema dicitur, longe rarior est, quam altera per pseudomembranas, ad quam naturae sanationem requiri contendit inflammationis nec gradum nimium, nec decursum longiorem: ab illo sanguinem effundi, gangraenam fieri, hoc impediri concretionem membranaceam, sero perpetuo affluente.

Est inflammationis communis eventus, ut quamvis initio supprimat excretiones, quamprimum paululum remittat, eas revocet, sed mutatas illas, humore facto spissiori: atque hoc concretionis tempus est. Subinde in chronica pleuritide serum evacuatur adeo copiosum, ut pulmonem posteriora versus repellat ac tantopere comprimat, ut deletus

fere videatur. Serum illud si cito resorbeatur, pulmo compressus explicatur rursus et caveam pectoris replet: sin minus, pressione durus, atrophicus fit, ad respirationem ineptus. Haec ut indicaverat Broussaissius, ita egregie interpretatus est Laenneccius. Inflammationem pleurae, inquit, semper comitatur exhalatio ad ejus faciem internam, quae membranarum serosarum tanquam suppuratio est atque ab ipso jam inflammationis principio fieri duasque variae naturae materias formare videtur, alteram semiconcretam, alteram liquidam: illa adpellatur pseudomembrana, haec serum, aut effusio sero-purulenta: quae effusio seri si fuerit copiosa, membranas factas solvit, quod inprimis aegrotantibus debilibus, infirmis, lymphaticis evenit, ut confundi quasi cum hydrothorace pleuritis videatur: interdum contra parva aut nulla est, verum tunc quidem facta, sed mox absorbta fuisse videtur. Hac absorbtione pars liquida demitur, superstite parte crassiore, quae concrescit, fit vasculosa ac in novam eamque crassam saepenumero et densam membranam mutatur. A sero effuso premitur pulmo atque aëre et sanguine fere orbatur, si copiosissima fuerit seri ex pleura inflammata secretio; quo facto versus columnam vertebrarum et mediastinum repellitur atque pseudomembranis factis tanquam vinculis ligatus postea hoc loco retinetur. Id ubi nondum factum est, subinde resorbto humore restituitur pulmo pectus-

que, quod antea cernebatur affecto latere dilatatum, nunc rursus contrahitur, quod dum fiat, respiratio primo in suprema pulmonis parte, in infima ultimo redit. Ut plurimum vero ex marasmo hi aegrotantes succumbunt.

Est, ubi facta licet humoris effusi resorbtione, lateri aegro nec spirandi munus redditur, nec legitima forma. Id externo habitu cognoscetis, siquidem in latus aegrum declivis truncus cernitur eoque latere pectus magis arctum est: costae magis vicinae invicem, humerus depressior atque incessus tanquam claudicantis. In cadavere horum hominum visus est pulmo compressus retentus, ligatus atque involutus concretione membranacea dura, fibrosa aut fibroso-cartilaginea, cujus formationem praesertim post pleuritidem haemorrhagicam fieri contendit.

Tandem Gendrini etiam commemorandae sunt animadversiones, qui accuratissime, ut solet, rem perscrutatus est. Quod ut ipsi perspiciatis, Gendrini mecum pervolvite laudatum prius librum. Is uti reliquas inflammationes, ita pleuritidem pariter aliam acutam esse monet, aliam chronicam. Initio inflammationis acutae cernuntur maculae roseae ex cellulosa subjacente inflammata et adspersa puncta rubra ad ipsam serosam pertinentia et augetur simul membranarum istarum propria exhalatio. Increscente inflammatione intenditur rubor punctatus; ipsa pleura obtegitur pellicula

albuminosa serum rubrum limpidum in pectus effunditur, formantur pseudomembranae. In gravi inflammatione membrana rubra, sicca, villosa est, crassior etiam et facile dilaceranda eaque declinante magna copia humoris purulenti thoracis caveam replet. In summo acutae pleuritidis gradu serum sanguinolentum ipseque sanguis effunduntur. Ubi ad formam chronicam appropinquat, accumulatur in pectore humor, pulmo columnam spinalem versus repellitur, praesto sunt pseudomembranae pulmonem ligantes, quae in acuta forma semper disparent. Pus ad certum locum thoracis collectum si fuerit, ulcerat superficiem pulmonum et per bronchum patulum canales aëriferos ingreditur indeque per exspuitionem evacuatur. Plures vomicae ejectae nonnisi id generis fuerunt abscessus pleuritici. Interdum in cellulosa vicina pus formatur, fiunt parva apostemata; unde oriuntur fistulae pulmonales, id est ulcera pulmonum fistulosa. Interdum, si inter musculos thoracis et pleuram fit, in illos pus effunditur et extus fiunt abscessus et evacuatur empyema. Interdum diaphragma perforatur et pus in abdominis cavo sub peritonaeo ad lumbos colligitur, similiter atque abscessus hepatis in thoracem per diaphragma erumpunt. Interdum abscessus notabiles fiunt in mediastino et fistulae ad axillam et sternum protenduntur. Ubi sputa foetida sunt, vel gangraenae indicium est, vel aëris sive per bronchum ulcera-

tum, sive per hiatum parietum ex vulnere, ulcere factum ad caveam thoracis delati.

Pleuritis chronica sive ab initio, sive post acutam est. In hac formantur pseudomembranae organicae, quarum quatuor discernunt formas: stratum gelatinosum, puriforme, amorphum, qui primus gradus; materiem densiorem, plenam seri, elasticam: hic gradus alter; substantiam albam, duriorem, semicartilagineam: gradus tertius est; textum porosum, cellulosum, vasculosum: est gradus ultimus.

Pleuritides ab initio chronicae triplicis generis sunt: primo inflammatio modica: membrana crassa, densa, subrubra, serum effusum inodorum, subinde gelatinosum, materies in pleuram effusa albuminosa. Latus non tumet, neque distenduntur aut expanduntur costae. Secundo inflammatio gravis. Humor effusus in thoracem turbidus, serosus, albus, interdum puriformis, purulentus, costae expansae, diaphragma versus abdomen repulsum. Fistulae patulae inter costas aut ad ramum bronchiorum. Pleura tecta granulationibus, stratoque albuminoso, semiconcreto. Pseudomembranae fiunt inprimis morbo aut declinante, aut saepius recurrente. Tertio inflammatio gravissima. Effusio seri cruenti ipsiusque sanguinis, rubor serosae profundus, pseudomembranae rugosae, granulationes ex fibrina decolore deposita. Praeterea

macies parietum thoracis eam reliqui corporis praecedens, ex adipe resorbto, sudor topicus pectoris, motus, quo costae attolluntur, aut suppressus plane, aut impeditus rem denotant.

En observationum GENDRINI epitomen!

Superest, ut quae hactenus disputavimus, ad pleuritidis et pleuroperipneumoniae diagnosin, atque prognosin transferamus.

Dolor lateris pungens sub inspiratione auctus; spirandi difficultas, pulsus durus, vibratus saepe, celer et frequens, febris, decubitus in latus affectum praesertim, tussis initio saltem sicca, molesta: haec praecipua sunt pleuritidis et pleuroperipneumoniae signa. Dolor iste ubi latus alterum etiam occupat et in neutrum latus inque solum dorsum cubat aeger, in utroque inflammationem esse et ab uno ad alterum migrasse significat; ubi medium thoracis tenet, mediastinum anterius, ubi dorsum, posterius mediastinum laesum esse monstrat, in quo sine dolore corpus erigere nequeunt aegrotantes; pulsus inaequales, intermittentes, anxietas, caput demissum simul pericardium inflammatum esse indicant: mens parum constans, subdelirium, delirium, vultus soporosi, absentia doloris, membranas cerebri, cerebrum ipsum aegrotare (*). Augescente spirandi difficultate, pulsibus oppressis,

(*) Cf. MORGAGNI *animadversio*, Epist. 21, art. 7.

respiratione celeri, brevi, pulmones gravi inflammatione teneri, ex qua, nisi cito solvatur, mors exspectanda est. Hanc brevi futuram intelligetis, si orthopnoea fiat jamque subrepentem, si orthopnoeae accedat stertor. Verum ex alia quoque caussa increscit dyspnoea, ex sero scilicet, vel pure copiose excreto, quo facto costae alterius lateris, vel utriusque, si in utroque id factum sit, exstant, sitis est magna, rubor circumscriptus faciei, vel facies pallida, tumidula, artuum oedemata, urinae parcae, turbidae. Etiam sputa inspicere oportet, quae vel nulla, vel pauca eaque cruda, mucosa, vel crassa, multa, globosa. Haec pulmonem ulceratum denotant: eaque foetida vel ulcera fistulosa, empyematis pure ad pulmones ducto et per bronchium evacuato, vel pulmonum pleuraeque gangraenam factam, in quo casu intolerabilem odorem spargit aeger, testantur.

Non aliter atque in aliis inflammationibus, in pectoris quoque vitae incitatae symptomata a serosa inflammata, oppressae vero a pulmone sunt; utriusque vel alternantis vel succedentis ab utroque cum involucro membranaceo, tum recondito viscere. Sin autem dolor acutus, pungens in dolorem gravativum cum ponderis sensu mutetur, pulmonem inflammatum esse scitote: interdum etiam magna puris, aut seri copia brevi tempore secreta pleuram opprimi et doloris obtundi stimulum, quod ex symptomatibus reliquis: costarum exstantia, protube-

rantia, genarum rubore, siti, urinarum paucitate cognoscere poteritis. Nec reticendum est, arduam saepe diagnosin facere symptomatum fallaciam, obscuram significationem, variamque morbi complicationem, praesertim in chronica pleuritide, quamobrem percussio thoracis et stethoscopii usus solent tanquam illius subsidia adhiberi: quae tamen neque adhiberi semper, nec sola credi posse fatendum est.

Exstitit praecedenti seculo medio medicus Viennensis, nomine Auenbrugger, qui ad morbos pectoris indagandos hujus percussione usus est. Quippe pectus hominis prospere valentis, digitis aequabiliter et fortiter percussum, ad utrumque latus sonum edit clarum instar tympani tensi, qui in multis hujus caveae morbis gravis fit et suffocatus, aut nullus omnino. Haec explorandi ratio quum multum difficultatis habeat, neque ad singula a singulis vitia discernenda, satis idonea deprehendatur, aliam anno hujus seculi decimo sexto excogitavit medicus Parisiensis Laenneccius. Is utitur cylindro cavo ligneo, qui pectori admotus audienti signa praebet per auscultationem vocis, respirationis et pulsationum cordis. Vox hominis sani in imo pectore thoracis parietibus contremiscentibus, pulmone impedito, aut obruto sero ejusmodi tremore non stipatur. Pariter respirationis auditur murmur sonorum, praecipue aetate puerili, aut juniori. In omnibus, quorum in pectore ad omnem fere partem

aequale circiter sono respirationis murmur auditur, neque factam esse seri in pleuras effusionem, neque obstructionem aliquam in pulmonum contextu, scitote. Uti in ulcere pulmonum majori pectoriloquela, id est vox per ipsum cylindri tubum transiens in pectore (de qua deinceps, ubi de phthisi) animadvertitur, ita in aliis morbis aegophonia, pectoriloquelae affinis, etiam vox argentea dicta, cujus constans maxime character est tremor quidam caprae balatui similis; cujusque caussa est in naturali vocis sono, per stratum tenue et tremulum liquoris in pleuram effusi transmisso et sic jam quadantenus mutato, qui sonus postea propter contextum pulmonum densiorem factum magis clare auditur. Notandus etiam rhonchus est, sive sonus, quem aër inter spirandum per liquida tenuiora, spissiora in bronchiis, vel contextu pulmonum transiens edit.

Discernunt autem rhonchum humidum crepitantem, rhonchum humidum mucosum, rhonchum siccum sonorum, rhonchum sibilantem: hunc quidem in primo peripneumoniae gradu: in altero et tertio nullum respirationis murmur, nonnunquam rhonchum mucosum, a sputis.

In pleuritide post effusionem seri copiosam respirationis sonus in affecto latere toto nullus, praeterquam in spatio tres fere digitos lato ad spinam dorsi. Ubi lentius effunditur, respirationis murmur

sensim deficit, nullo rhoncho comite, nisi catarrhus subfuerit.

Alterum pleuriticae effusionis sat certum indicium aegophonia praebet, quae audiri solet in effusione mediocri atque ideo bonis signis adnumeratur. Quando absorbtione decrevit copia seri, primo id quidem innotescit clariore respirationis sono in dorso, mox in parte pectoris antica superiori summoque humero, postea ad scapulas, tandem in latere et pectore reliquo. Sunt aegri, quibus post pleuroperipneumoniam, aut pleuritidem chronicam, vel acutam etiam lente terminatam, semper superest major affecti lateris contractio, seu coarctatio, unde inclinare truncus versus eam partem videtur atque eo loco percussionis sonus nunquam clarus, nec spirandi murmur naturale auditur, manente respirationis auscultando exploratae sono quodammodo suffocato, ex cellularum aëriarum in pulmonibus compressione.

Habetis ea, quae nova methodus ad pleuritidem vel pleuroperipneumoniam dignoscendam obfert subsidia. Quae certe nisi ad omnem attendamus symptomatum syndromen, minus tuta deprehendentur.

Aetiologiam pleuritidis sat ample exposuit celeberrimus medicinae dogmaticae nostra aetate auctor Broussaissius. Is ad seminia refert tempericm sanguineam, plethoram, magnam irritabilitatem vasorum, evacuationem suppressam, phlo-

gosin aliam praecedentem, in primis serosam, pectus angustum, evoluto maxime corde et genere vasorum.

Inter potentias nocentes recenset thoracis contusiones, nixus vehementes, quibus inhibetur spiritus, tussim magnam, pertinacem, suppressum derepente ex refrigerio sudorem, frigus febrile, terrorem, horrorem, febris intermittentis stadium primum, quarum enumeratio potentiarum nonnullis locis minus perspicua, nec lucido satis ordine facta videbitur.

Ab antiquis morbus habebatur sanguineorum, plethoricorum eorumque, qui corporis macilenti duroque labore firmati sunt, acidum raro eructantium (Hippocr. *Aph.* 33. Sect. VI.) aetatis imprimis florentis, hyeme exeunte, aut vere primo nascens: etiam secundario fieri febres pleuriticas epidemicas variae indolis, aut, Sydenhamo notante, febri medicina et regimine calidis male curatae supervenire. Prae reliquis autem subitum corporis calentis ab aëre frigido aut potu gelido refrigerium accusandum esse, ex qua caussa plures perire homines Sydenhamus putabat, quam peste, gladio et fame. In nobili juvene, narrante Swietenio, pilae lusu dum calesceret totus, potio gelidissimae aquae cum succo limonum intra trihorium lethalem pleuritidem fecit. Diemerbroeckius observavit hominem, qui media aestate foeno colligendo erat occupatus et valde sudabat, ilico pleuritidem intra

paucos dies funestam contraxisse, dum frigidam cerevisiam largo haustu biberat. Summo igitur jure LANCISIUS inter subitaneae mortis caussas numeravit frigidae potum, vel balnei usum, excalefacto corpore.

Praesagia pleuritidis primum ducenda sunt ab illius symptomatibus. Si decubitus in neutrum latus corporis tolerabilis, si gravis dyspnoea, spiritus sublimis, magna anxietas, infaustum eventum praesagire oportet. Ex febris, aut doloris gradu non semper tuto concluditur ad morbi saevitiem, quia utrumque symptoma aliis obscurari potest et obscuratur interdum. Quamdiu respirationis laesae signa fuerint, cautus sit medicus in prognosi. Solet enim saepe morbus reverti, aut latenter progredi, chronicus factus. Symptomata hectica vel empyema factum, vel pulmonis parenchyma ulceratum denotant: rem firmant sputa, sive ex pulmonis ulcere prodeuntia, seu ex ulcere fistuloso: ad quae si aër atmosphaericus accedat, aut per bronchia inspiratus, aut hiatu parietum thoracis ex vulnere, ulcere admissus, id sputorum foetore cognoscitur. Foetent etiam sputa ex gangraena pleurae pulmonumve, quam facies Hippocratica, pulsus debilis et vel minimus, foetor circa aegrum cadaverosus, collapsus virium factum monstrabunt. Quum pleuritidi aut pleuroperipneumoniae pericarditis jungitur, conditio longe pejor erit. Costae extantes gravissimam pleuritidem magnamque

humoris in thoracem factam effusionem significant. Quo magis symptomata irritationis in symptomata oppressionis transeant, eo major pulmonum graviter aegrotantium metus est eoque minor spes salutis. Delirium serosam capitis, ventris dolores serosam abdominis, anxietas, pulsus contractus, leipothymiae serosam cordis inflammatam testantur. Potest inflammatio ad parenchyma pulmonale extendi, potest mucosa pulmonum inflammari, atque ut ex pleuritide subnascitur peripneumonia, ita ex hac pleuritis: etiam ex catarrho, id est phlogosi mucosae: quae varia morbi progressio, complicatio, successio, variam exhibebit morbi prognosin. Crisin per haemorrhagiam ad mucosam pertinere, jure notavit Broussais, ad quam etiam pertinet crisis per sputa, quae, animadvertente jam Freindio, pleuritidi purae ac simplici perperam adsignatur. Hanc tamen raram esse auctorum et veterum et recentiorum observationes ostendunt, ita ut quae vulgo adpellantur pleuritides, pleuroperipneumonias fuisse adpareat.

Hisce quaedam praesagia Hippocratica addere non supervacaneum erit. Bonum est: facile morbum tolerare, dolore defungi, sputum mature et facile educi, bene spirare, absque siti esse, omne corpus aequaliter incalescere, somnos, sudores, urinarum, alvi eductionem laudabiliter fieri. Contraria mala et gravedines et sternutationes aut praecedere, aut subsequi et livores ad costam adparere.

Transit in sanationem, alios morbos, mortem. In sanationem, naturae, vel artis auxilio, in morbi simplicis principio. Veteribus lysi interdum sanari dicebatur, si corpus sanum, integrum, inflammatio levior, symptomata mitiora: quod tamen congestionem magis, quam veram phlogosin spectare existimo. Nam in levi etiam inflammatione factae pseudomembranae metus erit. Crisis tum per haemorrhagiam narium fit, aut haemorrhoidum, catameniorum profluvium, tum per urinas crassas, hypostaticas, ante diem quartum, tum per alvum biliosam, tum per abscessus ad crura, diu manantes, ante diem sextum ortos, tum per doloris ad alia loca migrationem: humerum, scapulas, manum, dorsum, cum stupore ac gravitate illarum partium, tum denique per sputum laudabile, criticum, dolorem levans, sine coryza, puriforme, ante diem quartum continuum. Inde enim vel nono, vel undecimo salus. Harum crisium aliae ad morbum compositum aut complicatum referendae sunt, uti sputa ad peripneumoniam, urinae ad febrim et rheumaticam pleuritidem, aliae ob vicariam alius organi actionem, qua organon prius affectum levatur, prodesse videntur. Hujus exempla recentiores etiam auctores scripto consignarunt.

De curatione pleuritidis si auctores medicos consulamus, miram offendimus opinionum pugnam. Sydenhamus audacter venam secandam esse et in

quavis pleuritide adulti hominis ut curetur, sanguinis e largo vulnere detrahendas esse uncias quadraginta, contendit. MORGAGNUS ne nimia fiat sanguinis jactura, in primis provecto morbo, monet. PINELLIUS topicas laudat prae generalibus in pleuritide depletiones atque praeceptori in hisce adsentitur BROUSSAISSIUS. PRINGLIUS medicus castrensis vesicantia jubet mox post venae sectionem lateri dolenti imponere, quae BROUSSAISSIUS, medicus pariter castrensis reprobat; immo sunt hisce diebus, qui omnem rejicientes sanguinis evacuationem, tartarum emeticum, ingenti adhibitum dosi, cunctis aliis remediis anteponunt.

Omnes illi auctores experientiam invocant suae methodi laudatricem, neque est tamen, cur uni magis credam, quam alteri. Num ergo ipsi experiemur nunc hanc, nunc illam medendi rationem, ut optimam tandem sequamur. Haec profecto empiria vereor ne longe plurimis exitio foret, nec medicum magnopere commendaret experimentorum ejusmodi in corporibus aegrotantium auctorem, aut suasorem. An praestat, unum seligere auctorem, quem tanquam dominum sequare. Haec certe methodus sat commoda, nec multam requirit eruditionem, sed minus idonea est ad magnam medico famam conciliandam, nec apta omnibus aegris. Quid igitur? Medicus in omni casu consilium adhibeat oportet et rationem experientiae ducem. Non sufficit manipularis experientia,

aut tenuis doctrina ea in arte, quae temporis filia recte dicitur. Optimos pervolvat et perlegat artis magistros eorumque exempla et scripta ei inter curandum semper ob oculos versentur, ne ab alio doctiore medico superetur. Pleraeque pleuritides sunt pleuroperipneumoniae, in quibus una cum pleura inflammatur pulmo. His veterum curandi ratio stricte antiphlogistica convenit. Sanguis mittatur e brachio affecti lateris, e largo vulnere, ut prompta fiat jactura sanguinis eaque post breve tempus iterum fiat et tertio et pluries, si symptomata urgeant eoque, quo urgent tempore, exacerbationis nimirum, quae vespere esse solet. Quantum prosit medico audacem esse, praeclaro exemplo monstravit TRILLERUS, veterum medicorum et priscae medicinae dignissimus vindex.

Hanc etiam methodum sequi juvabit si acuta eaque gravior pleuritis, cavendo tamen, ne remedium superet corporis aegri vires.

Quodsi chronica fuerit pleuritis, ab hac methodo ita recedendum est, ut depletiones fiant magis topicae, quam universales, quibus tamen unice fidendum non est, sed adhibenda simul remedia antiplastica, id est in vim plasticam sanguinis auctam agentia, qualia praesertim nitrum sunt, sal ammoniacum et mercurius dulcis. Sanguinis enim vitam in phlogosi auctam esse, tenendum est, quod nisi teneamus, metus est, ne deseramus aegros, quos servare potuissemus. Si rheumatica sit pleu-

ritis, Pringlii methodus conveniet, qui in Belgio nostro artem fecit eamque in militibus suis in Flandria castra habentibus ex frigido humido atmosphaerae crebro natam observasse videtur. Sin vero gastrica sit pleuritis, proderit quam Itali (quorum cholerica temperies) praesertim commendant methodus per tartarum emeticum.

Atque sic o Juvenes! aliorum nobis proderit observatio et experientia, si judicium adhibeamus et cuique auctori suum tribuentes, nec vagam sequamur aut temerariam periclitandi artem, neque uni adhaereamus sive veteri seu novo scriptori, verum cuique morbi formae et aegro suam adcommodemus medendi rationem.

Nec infructuosa tamen ad curandi methodum emendandam fuere recentiorum inventa pathologica. Nam si, ut vidimus, terminari soleat pleuritis tum effusione seri, tum membranarum spuriarum genesi sique adhaesione spontanea fiat morbi sanatio, qua cohibita protrahitur ac vulgo insanabilis fit: haec omni cura promoveatur, nec turbetur oportet. Id quidem optime fiet, tum inflammationem moderando, tum pulmonum, corporisque motu et tussi compescendis. Cavendum a novo catarrho corporisque refrigerio: hinc corpus bene vestiendum, mucilaginea, diacodiata, opiata praebenda, si tussis et irritatio pectoris antiphlogisticis non cesserint: haustus paregoricus sub noctem atque eclegmata oleosa, papaverina tunc valde pro-

ficua erunt, nec non curatio topica per hirudines, cucurbitas, rubefacientia, cauteria. Ab evacuato sero copioso facta pulmonum oppressio, dyspnoea, diureticis, lymphaticorum absorbtionem incitantibus: scilla, digitali, nitro, sale ammoniaco, mercurio dulci cum opio tollenda atque solvenda est: quae remedia mihi in re fere conclamata opem tulisse, gratus agnosco. Empyemate facto, moxa tentanda est, qua aegrotantem jam hecticum et colliquatum fere in virum robustum et torosum vidi mutatum. Interea temporis diaetae magna cura habenda est, qua neglecta vel optima medendi ratio nihil proderit et morbi licet perfecte sanati brevi metuenda erit reversio.

DE PERIPNEUMONIA.

Quae a veteribus cum observata bene, tum diligenter descripta est *peripneumonia*, ea nuper tum ab anatome pathologica, tum a perfectiori diagnostice plurimam lucem accepit.

Veterum monumenta artis testantur, pneumoniae praesagia, crises, eventum ab Aesculapii Coi sacerdotibus et Asclepiadarum summo ac principe Hippocrate, magna fuisse notata religione, ab Aretaeo diagnosin et a pleuritide discrimen ex ea, quae illorum temporum erat, anatomica partium

cognitione cumque symptomatibus comparatione bene positam, a CAELIO, quae circa curationem auctores prisci praeceperunt, magno studio collecta. Haec veterum observatio posteris tradita, BAGLIVII primum, dein STOLLII de occultis pectoris inflammationibus observatione aucta, tandem VALSALVA ejusque illustri discipulo MORGAGNO auctoribus plurimum incrementi cepit, propter cultum anatomes practicae studium. Hi enim, ut supra indicavimus, quae pleuritides vocantur, esse pleuroperipneumonias manifesto ostenderunt, continuoque symptomata cum visis et repertis in corporibus mortuorum comparantes, illustrarunt multa posterisque principes extiterunt ad colendam anatomen practicam auctores. E Galliae medicis, apud quos hoc studium jam maxime floret, PINELLIUS, LAENNECCIUS et ANDRALLIUS de hujus phlogoseos cognitione optime meruerunt. Diagnosis vero eapropter longe certior est, quia postquam Celeb. CORVISART neglectam pectoris percussionem, pridem a medico Viennensi AUENBRUGGER adhibitam, iterum commendaverat, LAENNEC invento stethoscopio auscultare docuit, quae in pectore fiunt.

Therapeiam quamvis non ignorarunt quidem veteres, quemadmodum ex plurimis locis effici potest, recentiores tamen accuratius longe exposuerunt: SYDENHAMUS, HUXHAMUS, FRANKIUS, atque ex aequalibus ANDRALLIUS, quorum tamen nullus est, qui pari diligentia diaeteticam curationis partem,

quam illi primo quodam loco ponere solebant, pertractaverit.

Aretaeus pleuritidis et peripneumoniae discrimen praesertim a dolore repetit vel praesente, vel absente huncque a diversa partium inflammatarum natura. Hanc doctrinam amplexi sunt qui aetate ipsum sequebantur medici, donec Morgagnus, sectis pleuriticorum defunctorum corporibus, docuerit, pneumonicos fuisse, qui credebantur pleuritici, sive potius cum pleuris pulmones habuisse inflammatos. Neque hic substitit recentiorum industria medicorum qui, quae communi peripneumoniae nomine comprehenduntur pulmonum valetudines, neque origine tenus, neque sedis, neque eventus ratione easdem esse parique ratione curandas ostenderunt. Haec, acsi praevidisset Boerhaavius noster, anatome duce duplicem concipi posse peripneumoniam monet, quarum una ad fines arteriae pulmonalis, altera in bronchialibus haeret. Quam ille ex theoria a vasorum discrimine duxit distinctionem, nos ex observatione ducemus a reliquis partibus, membranaceis, parenchymatosis spirandi officinam componentibus. Nimirum pervolventes medicorum scripta alias cernimus peripneumonias ex catarrho natas, alias ex pleuritide, alias ex vesiculis, sive caecis bronchiorum finibus inflammatis. Perspicitis non eandem fore morbi faciem sive ex hac, sive ex illa alterave caussa succrescat ideoque non iisdem indicatum iri symptomatibus.

28

Ex catarrho provenisse videntur, quas descripsit Broussais. Is neque immerito contendit, omnem pulmonum catarrhum graviorem in peripneumoniam evadere, ita ut difficulter distinguatur uterque morbus. In peripneumonia tamen esse dolorem lateris obtusum, profundum, cum dyspnoea, tussi atque excreatione muci cum sanguine mixti, febre acuta, pulsu magno, pleno eamque saepius induratione seu hepatisatione terminari, qua lobum sive integrum, sive utrumque occupante, suffocari aegrum. Quodsi ex catarrho fiat peripneumonia, illius signis accedere pulsus, caloris, circulationis incrementum.

Ex pleuritide originem traxerant pleraeque, quas scripto consignavit Morgagnus, pulmonum inflammationes ac tales sunt, quae vulgo pleuritides medicis dici haberique solent. Nam ex pleuritide pura, simplici, germana, rem jam observante Freindio, nulla neque tussis esse debet, neque expectoratio: et huic ut propria est vitae incitatio, sic illam denotat vitae oppressio: unde in gravi peripneumonia cum gravi dyspnoea, orthopnoea, pulsus ad tactum debilis, mollis, anxietas, somnolentia animadvertuntur. Nolite tamen putare, haec ita esse disjuncta, ut altera alteram excludat inflammatio: immo saepius in uno eodemque corpore et pleura et parenchyma pulmonum et mucosa bronchialis inflammantur et morbus ab uno ad alterum elementum transit.

Natae ex bronchitide pneumoniae exemplum sequens profert ANDRAL vir cl. in Obs. 3. Tom. III. p. 279. Operarius, annos 35 natus, Nosocomio excipitur aeger ex rheumatismo articulari leviori et bronchitide acuta. Vix febricitabat. Duae venaesectiones intra biduum factae sustulerunt dolores rheumaticos: nec sustulere tamen bronchitidem, Dies tres quatuorve continuos solis potionibus demulcentibus continebatur medicatio, quibus elapsis aeger vestibus non probe tectus aëri libero se exposuit: erat dies 8. m. Aprilis. Eadem vespera febris reversio, dyspnoea, tussis frequentior: altero mane symptomata eadem ab exacerbata bronchitide esse creduntur: 15 hirudines ad sternum inferiori loco admotae. Die 10 aucta spirandi difficultas, sputa viscosa, rubiginea, sanguini mixta, manifesto indicio phlogosin bronchialem ad pulmonum parenchyma transiisse: rem indicante rhoncho crepitante in multis pectoris locis iisque circumscriptis parvisque, dum parte intermedia audiebatur aëris in vesiculas pulmonales liber introitus et sonus parietum thoracis clarus erat. Sanguis venaesectione detractus ad uncias XVI: die 3 et 4 post pneumoniam natam, 11 et 12 Aprilis rhonchus in pluribus etiam audiebatur locis, sono pectoris percussi non mutato. Sputa viscosa, cruenta, febris magna, dyspnoea mediocris. Altera venaesectio unc. VIII. facta est die 11°. et sequenti vesicans pectori medio impositum, sanguis uti antea crasso

corio tectus. Die 13°. Aprilis, 5°. morbi, cutis, quae sicca hactenus, humescere lenique halitu molliri incipiebat. Datae potiones demulcentes. Die 6 et 7 sudores perpetui, symptomata pneumoniae immutata perstant. Die 8°. sudor continuat: sputa minus viscida, minus cruenta, spiratio minus difficilis; tussis minus frequens; rhonchus crepitans minus extensus, pulsus minus creber, plenior, undosus. Hisce ita decrescentibus tandem et ipsa, quae supererat bronchitis, evanuit et aeger perfecte sanus ex Nosocomio excessit.

Rhonchi crepitantis hoc loco facta est mentio: qui est sonus peculiaris, stethoscopio auditus, quem cum salis crepitantis, alii cum chartae pergamenae fricatae sono comparaverunt. Rhonchus ille crepitans infarctum pulmonem indicat: a pulmone hepatisato non editur eoque sanescente revertitur. Verum priusquam pergamus, hic paululum subsistendum est atque tum de auxiliis diagnosticis, tum de visis atque repertis in cadaveribus pneumonicorum variisque morbi gradibus uberius exponendum est.

Est hoc in morbis pectoris aeque ac capitis dignoscendis impedimentum grave, quod parietes ossei duri impediunt, quo minus tactu explorari viscera recondita possint; quemadmodum in abdomine quidem fieri id commode solet. Idcirco varia excogitata sunt auxilia ad ea, quae intus fierent, detegenda. Utrum pus in pectore haereat sci-

re cupiens brachiis prehensos aegros commovisse et concussisse dicitur HIPPOCRATES. Quae profecto methodus non multum commodi et utilitatis adferre potuit, tamque rudis est et incerta, ut merito eam neglexerint posteri.

Medio seculo praecedente inventum novum vulgavit medicus Viennensis AUENBRUGGER (V. S. p. 421.) et docuit percussione explorare thoracis caveam, quam methodum deinceps medicorum incuria oblivioni traditam revocavit Archiater Imperatoris Franciae CORVISART. Huic methodo per tactum alteram subjunxit LAENNEC per auditum, invento scil. stethoscopio, de quo conferatis ejus Tractatum de auditione mediata, cujus tertia Editio nuper prodiit Lutetiae Parisiorum cura et studio consobrini et discipuli MERIADEC LAENNEC; novissima cura ANDRALLII. Hujus loci non est, neque historiam inventi, neque fata describere, neque notum stethoscopium ejusve adhibendi rationem, quae partim ex libro ipso petantur oportet, partim, nisi cognita sint, usu et exercitatione discantur. Illud tantum hoc loco monendum est, quod ad peripneumoniae diagnosin attinet ejusque gradus et exitus discernendos. Tres igitur distinxit LAENNECCIUS morbi gradus: alterum infarctum adpellavit, alterum hepatisationem rubram, tertium infiltrationem purulentam.

In primo gradu pulmo pondere auctus, colore livido, violaceo, minus crepitans et plenus est seri cruenti. Hujus signum pathognomonicum auc-

tore LAENNECCIO est rhonchus crepitans. Sonus pectoris percussi non mutatur, nisi infarctu latiori majorique et hepatisationi proximo.

Reliqua symptomata sunt: dolor obtusus, profundus in imo pectore, dyspnoea, spiratio frequens, tussis, sputa glutinosa, viscosa, sanguine tincta, pellucida, fere adinstar albuminis ovorum leviter colorati. Dolor ad pleuritidem magis, quam ad peripneumoniam pertinet omnesque, qui pectore doluerant defuncti, manifesta obtulerunt pleurae inflammatae signa, notante ANDRALLIO, ut ideo veteres de peripneumonia vere dixerint: affert plus periculi, quam doloris. Dyspnoea universe inflammationis magnitudini respondet. Verum etiam aegri temperies animadvertenda, propter quam nonnulli ex levi pulmonum phlogosi graviter afficiuntur, immo pereunt. Et notandus locus: ex superiori lobo inflammato gravior, quam ex inferiori dyspnoea subnasci dicitur. Hoc symptoma ita increscit, ut initio tantum major cernatur costarum attractio idque brevibus et crebrioribus motibus: deinde profunde inspirare nequeant, anhelent et voce intercepta loquantur atque ubi movent celeriter corpus, sibi pectus opprimi sentiant. Tandem adeo increscit dyspnoea, ut sive moti, seu quiescentes, oppressionem illam persentiscant anxii, anhelantes fereque suffocati, naribus dilatatis, vultu rubente, livente, pallente, saepeque mente obnubilata, ut ab hoc symptomate et

respirationis laesae gradu certa maxime petantur morbi periculosi praesagia. Praeter rhonchum crepitantem etiam sonum proprium audiri monent, acsi quis aërem in tubum inflaret (*souffle tubaire*) simulque aliter resonare vocem. Qualem a bronchis oriundam appellaverunt *bronchophoniam*; iisdemque gradibus rursus remittunt hi soni respiratorii, morbo declinante, aut junguntur, ubi diversa in eodem pulmone conditio, dum in pulmone sano intenditur sonus respiratorius, ut sonus major audiatur vel circa locum inflammatum locisque vicinis (*respiratio bronchialis*) vel in pulmone sano, pulmonis aegri vicem supplente.

Tussis nullum obfert characterem proprium, neque inflammationi semper respondet. Initio sicca est, dein stipatur expectoratione peculiari, quae est ex signis peripneumoniae maxime certis minimeque fallacibus, aut inconstantibus. De decubitu, quem in locum affectum esse solere vulgo perhibent, jam plura dubia moverat Morgagnus: illud pleuritidum esse, pneumonicos in dorsum cubare Andrallius praecipit. Verum neque hoc constans est, quemadmodum aliorum ipsiusque Morgagni observationes testantur: neque Andrallius negat, qui pari fide, quod maxima laude dignum censeo, cum certa, tum dubia artis proferre solet.

Ex symptomatibus sympathicis alia cor et genus vasorum, alia cerebrum et nervos spectant. Priorum e numero febris est, quae cum phlogosi inten-

ditur et remittitur ac saepe venae sectione jugulatur, priusquam morbus sit resolutus. Esse tamen casus animadverterunt, in quibus febris manet, sub lysi pneumoniae, alios, in quibus praecedit ipsam, si scilicet habitus plethoricus et phlogisticus phlogosin topicam praecedat. Haec febris essentialis ac veterum Synochus, quam larga haemorrhagia, aut venaesectione ad animi deliquium, tum naturam tum artem sustulisse novimus quamque negantibus licet aliis, veritatis studiosi medici Gendrinus, Laenneccius, Andrallius (nam praeter Gallos, nemo, quod novimus, id negavit) adgnoverunt.

Ex altero genere symptomatum sympathicorum, quae genus nervorum spectant, coma est, ex congestione sanguinis versus caput, quod sinistri ominis esse ac senibus plethoricis crebro evenire, post alios animadvertit Laenneccius. Delirant aliquando peripneumonici sive ex inflammata serosa capitis, quod pleuroperipneumoniae magis proprium, sive ex congestione in cerebrum, quod pulmonis graviter inflammati est. Universe circa pathognomoniam hujus morbi tenendum est, quemadmodum pleuritidi propria est vitae incitatio: dolor acutus, pungens, pulsus creber, celer, durus et validus saepenumero, sic peripneumoniae vitae oppressionem convenire, dolorem vel obtusum vel nullum, cum ponderis sensu pectori incumbentis, anxietatem, pulsum vel subdurum, vel, morbo gra-

viori, mollem, parvum, exilem, somnolentiam et delirium denique magis mite, quam acutum, aut ferox, qua falsa debilitatis specie, ne decipiantur medici juniores atque a sanguinis detractione deterreantur, multis verbis monuit HUXHAMIUS Opp. T. II. pag. 166 sqq.

Vidimus hucusque de primo gradu peripneumoniae. Alter hepatisatio dicitur; in quo textus pulmonis non crepitat et pondere ac duritie auctus hepati fit similis. Inde nomen hepatisationis, cui ansam dederat comparatio, primum, observante MORGAGNO, adhibita a LAELIO A FONTE et confirmata postea ab ipso MORGAGNO, quod minus rectum videtur ANDRALLIO, siquidem ut plurimum textus pulmonalis non durior, sed mollior est, sanguine turgens: huic tamen obstat diligens diligentis MORGAGNI observatio, non tantum ponderosiorem verum et duriorem fuisse observantis et LAENNECCII testimonium textum pulmonalem pondere et firmitate hepatico similem esse. Verum ne de verbis et comparationibus disputemus, subjiciendum videtur, substantiam pulmonis hepatisati granulatam, ex vesiculis nempe inflammatis infarctisque oculo armato cerni eaque incisa humorem rubrum non spumosum effluere, ex quo efficitur, in hepatisatione stagnare sanguinem in vesiculis pulmonalibus accumulatum.

Hic status emollitio rubra ANDRALLIO dicitur idemque aliis hepatisatio, seu hepatisatio rubra.

Ex pluribus historiis aegrotantium quas Morgagnus descripsit, unam (Valsalvae debetur) referam.

Senex annos circiter sexaginta natus, dolore prehenditur in dextera thoracis parte, febricitat, tussit, expuit, facilius decumbit in dorsum. Sputi copia major fit, sed ob sectam die decimo venam supprimitur. Itaque undecimo obit. Pulmo sinister sanus, quamvis undique pleurae adhaerens. Dexter contra, quamvis a pleura solutus, dorsum versus summopere inflammatus deprehenditur, ut solidiorem carnis substantiam referat. Duae exiguae, quasi inter se aequales concretiones polyposae, singulae in singulis inveniuntur cordis ventriculis.

En alteram Andrallii (Obs. 20. pag. 338 sqq.)

Virum, mediae aetatis, robustum, pridem catarrho affectum, die 15 Januarii prehenderat horror, sequente calore ardente, sicco, simul augetur tussis et dyspnoea, altero die sputa sanguine tincta: 17 detrahitur sanguis, 18 in Nosocomium delatus, haec obfert symptomata: spiratio brevis est, celeris, vix tamen aegro molesta, rhonchus crepitans, ex adverso mamillae dextrae pertinens in partem inferiorem fossae infraspinalis scapulae. Sonus thoracis vix mutatus, tussis frequens, sputa colore croceo, parumper viscosa: pulsus frequens, plenus, cutis calida, sicca. Haec indicabant inflammationem non magnam primo gradu. V. S. unc. xvi. ptisanae demulcentes. Die 19 eadem: V. S.

unc. VIII. Ab hoc die ad 22 sensim ad lysin inflammatio progredi videbatur. Sudores copiosi, nocturni, praesertim intra 7 et 8 diem. Non alia adhibetur medicina, praeter expectantem. Die 8°. spiratio libera, expectoratio catarrhalis, nec frequens pulsus, sed rhonchus aliquis crepitans, ad angulum inferiorem scapulae, ex infarctu superstite, cui tempore debitoque regimine opus erat, ut solvi posset. Die 24 aeger, qui sibi sanus esse videbatur, aëri frigido se exponit. Exinde altero die rediere cum dyspnoea sputa cruenta, rhonchus crepitans, fortis, per omnem lobum inferiorem pulmonis dextri et febris gravis (ven. sectio unc. XX.) Increscit usque dyspnoea, sputique excreandi difficultas. Die 26 facies livida, asphyctici similis. Pereunt rhonchus crepitans et sonus thoracis inferioris: anhelitus, pulsus creberrimus (Duae V. S. unc. VI.) Die 27 post meridiem moritur. Hepatisatio rubra lobi inferioris pulmonis dextri: nullum pleuritidis vestigium: cor plenum sanguine atro, coagulato; hepar et intestina a sanguine turgida.

Ex peripneumonia rarus abscessus, nisi ex tuberculis, crebra vero infiltratio purulenta, quam alii hepatisationem griseam vocarunt, in qua textus pulmonum durus, granulatus, color flavus, stramineus.

En hujus etiam exitus exemplar ex ANDRALLIO. (Obs. 24). Murarius ann. 39. die 9 Apr. 1821. gravi

horrore corripitur quem sequitur calor validus, dolor lateris dextri, tussis frequens, humida. Die 3 secatur vena. Die 4, quo Nosocomium ingressus est, haec notantur signa. Facies pallida, inspirationes breves, crebrae. Sonus obscurus in parte thoracis dextra anteriore, nullum murmur, nec rhonchus crepitans hoc loco, rhonchus mucosus in lobo inferiori ejusdem pulmonis. Sputa pellucida, cruenta, tenacia, pulsus largus, frequens, lingua alba, humida, alvus stricta: V. S. unc. XII, potiones demulcentes. Die 5 expectoratio mutata, brunea, liquida. Tertia V. S. Die 6 facies alienata, decomposita, oculorum aspectus tristis, noctu delirium. Aeger debilis, responsio bona, tarda tamen. Sputa eadem, sed pauciora; vesicans ad locum dolentem. Noctu moritur. Pulmonis dextri lobus superior et medius affectus hepatisatione grisea, ex quorum textu molli fracido fluebat liquor copiosus, griseus, purulentus. In lobo inferiori mixta cum infarctu hepatisatio rubra, pulmo sinister sanus. Bronchiorum utriusque pulmonis interna facies aequaliter rubebat.

Solvitur hic morbus sudoribus, alvi fluxu, sputis, urina cum sedimento sive albo, seu rubro, lateritio.

Prioris criseos exemplum notabile exstat in prima observatione ANDRALLII.

Vir annos natus 33, ipsis Kalendis Februarii A. 1822. dolet infra mammam sinistri lateris. Noctu sensus frigoris calorisque alternantis: multa tussis.

Altero mane auditur rhonchus crepitans sinistrorsum et postrorsum a summo angulo inferiori scapulae usque ad basin thoracis. Spirandi murmur in reliquis sanum, non mutato thoracis sono. Sputa sanguine tincta, pellucida, viscosa, nec tenacia tamen: tussis non frequens, dolor sinistri lateris auctus percussione, tussi, spirandique motibus. Spiratio sublimis, celeris, diaphragmatica. Pulsus creber, plenus, cutis calida, sicca: nulla digestionis laesio. V. S. unciarum XVI, altera vespere unc. XII. hirudines XXIV. ad pectus aegrum, ptisanae demulcentes. Tertio die spiratio liberior, dolor fere nullus, rhonchus crepitans longe minor et cedens sano spirandi sono: sputa neque viscosa, nec tincta sanguine. Sanguis prima venaesectione missus crusta tectus densa, crassa, marginibus contractis, multo sero circumfluente, altera vice detractus crassus sine crusta et sine sero circumfluo. Haec promptam sanationem promittere videbantur. Verum ecce! vespere symptomata exacerbata et die quarto mane spiratio rursus celeris, sputa cruenta, rhonchus crepitans, auctus, pulsus creberrimus, durus. Mox sanguinis unc. XVI. detractae, quem ut ante, corium crassum obduxit. Inde tamen nullum die 5°. levamen. Sexto anhelus fere, orthopnoeicus aeger loqui vix poterat, nec nisi magno molimine expectorabat sputa cruenta, crassissima, subsistente rhoncho, non mutato thoracis sono. (XXIV. hirudines ad pectus, duo vesicantia ad su-

ras). Hoc die anxietas summa, ut suffocari aegrum, qui prae anxietate mortem invocabat, credideris. Vespere vero initio diei septimi cutis sicca antea humescit et tota nocte sudore copioso madet, qui in alterum diem protrahitur. Inde inopinatum levamen, spiratio vix molesta, expectoratio catarrhalis mucosa, pulsus vix febrilis. Superest tamen rhonchus, cui die sequente, succedit sensim spirandi murmur, perfectum illud die 9°. et 10°., pulsu facto naturali, quae brevi convalescentia secuta est, ut aeger ex Nosocomio demitti potuerit. Quemadmodum in hac observatione crisis fiebat per sudores, sic crises per alvi fluxum est in ea, quae sequitur Observatione secunda.

Gemmarius ann. 29. in Nosocomium suscipitur, postquam a triduo correptus erat pleuroperipneumonia, quae initium duxerat ab horrore, dolore lateris dextri, tussi et dyspnoea. Altero die horrorem exceperat calor, qui non cessaverat deinceps; dolor lateris siluerat, increverat dyspnoea; expectorabat aeger sputa cruenta, pellucida, viscosa. In latere dextro thoracis quousque lobus pulmonis ejusdem lateris pertinet, audiebatur rhonchus crepitans, qui tamen non prorsus spirandi murmur obscurabat eoque loco pectus percussum minus resonabat: febris erat acuta, lingua paululum rubebat, abdomen molle erat, sine dolore, alvus regularis (20 hirudines ad locum dolentem V. S. unc. XVI. potio demulcens). Die 4°. evanuerat

dolor lateris (*) decreveratque, sanguine fluente ex hirudinum puncturis. Caetera symptomata persistebant. Sanguis detractus corio denso tectus erat. Venaesectio unc. XII. praescribitur. Sanguis conspicitur priori similis. Die 5°. persistunt dyspnoea, tussis et sputa cruenta; decubitus in dorsum. Eadem docuere auscultatio, percussio. Pulsus maxime frequens, prementi digito parum resistens: cutis ardens, sicca, lingua alba, ad margines rubra, sitis ingens, alvi adstrictio. Hirudines 15 ad anum. Die 6°. mane subdelirium, vultus ruber, oculi scintillantes. Per diem magna jactatio, agitatio, magnaque dyspnoea, vespere alvi fluxus spontaneus. Alvus decies, aut duodecies deposita primum faeculenta, durior, foetida, dein copiosissima, serosa, leviter flavescens. Die 7°. nulla ex ventris profluvio lassitudo, aut infirmitas, verum magna in melius mutatio: spiratio libera, rhoncho crepitanti successerat fere murmur naturale inter spirandum, pectus ubivis recte resonabat: sputa ab omni sanguine orbata erant, vix levis observaba-

(*) Hic desideramus diligentem narrationem. Etenim pag. 376. legitur cessasse dolorem lateris (*le point de coté avait cessé*) ejusque nulla deinceps fit mentio: pag. vero seq. 277. dicitur dolor pectoris, qui jam altero morbi die cessaverat, quarto die disparuisse (*le point de coté avait disparu*) et quidem propter topicam per hirudines factam depletionem. *Le malade assurait l'avoir senti diminuer, à mesure que le sang coulait des piqures des sangsues.*

tur motus febrilis. Diebus sequentibus convalescentia et prompta sanatio; diarrhoea continuavit per horas 24 sequentes.

In utroque casu crisin praecesserat critica perturbatio et promptum secutum est levamen, sanguinisque evacuationes levarunt quidem morbum, nec tamen sustulerunt prorsus ac si, sunt verba ANDRALLII, morborum decursus certis adstrictus legibus, auxiliis therapeuticis abrumpi semper non possit: quod eodem auctore praesertim inflammationes parenchymatosas easque pulmonum tangit, quae non ita facile sanguinis detractionibus, atque serosae, aut mucosae phlegmasiae, tolluntur.

Sputa ad sanandam peripneumoniam prorsus inutilia esse temere affirmavit ANDRAL, contra veterum, BAGLIVII, HUXHAMI, STOLLII, aliorumque observationem. LAENNEC sputa mucosa esse utilia et critica, praesertim in epidemia catarrhali contendit. Reliqui vero medici principes in magna inflammatione praecipuam spem in expectoratione esse positam monent. In Prognostico habentur Hippocratica de sputis praesagia, aliorum experientia comprobata.

Sputum in omnibus doloribus, qui circa pulmonem et latera sunt, celeriter et facile expui oportet. Si enim multo post doloris initium expuatur flavum, aut fulvum, aut quod multam tussin excitet, deterius est. Sputum vero flavum, mixtum cum pauco sanguine, in peripneumonicis, in

principio morbi excretum, salutare est et valde confert, si vero 7°. die aut etiam serius procedat, minus securitatis habet. Omnia sputa mala sunt, quae dolorem non sedant. Optima dolorem levantia.

Transit tandem in gangraenam, qui exitus rarior, quam indicat vultus decompositus, sputa grisea foetida foetidusque, cadaverosus halitus oris. Laennec ejus duplicem descripsit formam: alteram circumscriptam, diffusam alteram. Sequens morbi casus huc pertinet. Est observatio 63 Andrallii. Vir juvenis ad Nosocomium defertur, die 16 peripneumoniae, vultu pallido, plumbeo, summa corporis infirmitate et macie. Spirat difficulter, cubat in dorsum supinus, paululum dextrorsum inclinatus, saepe tussiens expectorat humorem rubrobruneum, nullus in pectore dextro neque in posteriori, neque in laterali parte auditur sonus. Pulsus creber, cute non calida, neque ulla digestionis laesio. Die 18 et sequenti sudores copiosi ex pulvere Doveri ut videbatur; expectoratio catarrhalis. Sputa die 21 male olere aliquantulum incipiebant: inde prodiere grisea, subviridia, foetoris intolerabilis, loco affecto audiebatur strepitus manifestus. Foetore et colore sputa gangraenam indicabant. Ab eo inde tempore subitanea virium prostratio, facies cadaverosa, aër circa aegrum infectus, ex levi motu ubertim profundebantur sputa; ut iis suffocari aeger paene videretur. Sudores perpetui et diarrhoea mortem attulerunt die 42°.

Pulmonis lobus inferior caveam habebat, parietibus rugosis bruneis, quae odorem spirabat gangraenosum. Massa pultacea, semifluida, griseo-viridis sordidique coloris eam replebat, inque ipsam patebant tubi ampli bronchiorum, neque nisi tenui textu pulmonali a costis erat sejuncta. Circum eam, aurantii pomum recipere potuisset, parenchyma lobi inferioris et medii mixtam habebat hepatisationem rubram et griseam. Pars posterior lobi superioris pulmonis dextri erat colore rubro, qui multum differebat a pallore pulmonis reliqui, et textum habebat fracidum, vix aëri recipiendo idoneum, quo indicabatur transitus ab infarctu ad hepatisationem rubram. Ventriculus pallidus erat, ut reliquus canalis cibarius.

Aliae observationes de gangraena pulmonum non ad peripneumoniam puram, sed ad impuram, ad inflammationes gangraenosas referri debent, auctore Laennec, qui ipsam quatuor aegrotantium historiis illustravit, neque semper lethalem esse animadvertit idque propriae experientiae testimoniis firmat.

En casum priorem Laenneccii. Lanius 40 annos natus, temperamenti sanguinei, robustus, bibax, ex vino capite doluit et artubus; inde febricitavit cum delirio: facies erat perquam rubra, rubebant etiam leviter conjunctivae, cutis calida, mollis, pulsus creber, non fortis tamen. Manus tremulae, lingua humida, alba, sitis, ventris sine dolore

durities. Noctu delirium ferox, inde mite, cui quinto die cessanti successere tremores manuum, convulsiones faciei, dolores articulorum. Die sexto nox tranquilla: lingua alba, ad mediam partem siccior, sitis magna, venter subtumidus. Die octavo mentis quaedam alienatio: facies rubra, pupillae contractae: cutis calida, mollis, humida, pulsus creber, regularis, mollis, lingua alba, humida. Venter tympaniticus, dolens, alvus copiosior. Die undecimo, lingua sicca, brunea, delirium per intervalla, pulsus creberrimus. Binis sequentibus diebus respiratio molestior, dextrorsum stethoscopio minus bene auditur. Hoc ob aegri jactationem rite adhiberi nequit. Thoracis sonus non magnus, sed aequalis in latere utroque. Die decimo quarto lingua fuliginosa, collapsus faciei, pulsus debilis, parvus, irregularis: meteorismus, diarrhoea, respiratio stertorosa. Die decimo quinto, hora quarta matutina, moritur.

Pulmo adhaesit costis et diaphragmati membrana grisea, molli, facile dilaceranda. In media pleura serum purulentum, unde pulmonis ad mediam magnitudinem reductio. Hic caeterum sanus ad basin maculam obtulit nigram, sub-viridem, odoris gengraenosi, aspectu escharam referens ex caustico. Pulmo, qua parte ei adhaerebat, adhaerebat autem fortiter, circum maculam illam hepatis duritiem et textum rubrum habebat, granulatum. Pulmo sinister sanus et crepitans. In corde concre-

menta polyposa. Mucosa ventriculi pallida, sub-rubra tamen versus cardiam. Tenue coloris flavi, non abstergendi. Nulla in crasso ulceratio. Reliqua viscera integra.

Peripneumoniae occultae latentes, quarum post BAGLIVIUM, apud STOLLIUM fit mentio, partim lobulares sunt, partim aliis morbis obscuratae. Lobularis plerumque infantum peripneumonia, adynamica senum: quae notha adpellatur, bronchitis est, quam comitatur congestio pulmonum activa, passiva. Inopinato saepius interimit, tum propter paralysin, tum propter oedema pulmonum et colluviem seri.

Caussas peripneumoniae praeter laesiones mechanicas, praecipue in aëre esse positas docet geographica morbi per regiones frigidas boreales distributio et in nostris terris, Gallia, Germania, exeunte hyeme, ineunte vere, mensibus Februarii, Martii, Aprilis, recursus annuus. Catarrhi neglecti, vinolentia, ex reliquis maxime notandae sunt potentiis. Praesagia a gradu, extensione, habitu corporis, morbi sede, symptomatibus ducenda sunt: praesertim a dyspnoea, expectoratione, cutis vel siccitate, vel madore; neque cito nimis desperandum, aut aeger relinquendus est, siquidem sanationes feruntur felicissimae ab auctoribus fide dignis. Tum potissimum parva spes salutis superest, ubi in corpus phthisicum morbus incidat, quoniam inflammatione, nisi formentur, emolliuntur

saltem et liquescunt tubercula haecque ipsa morbum trahunt et peripneumoniam chronicam primo, tum vero phthisin provocant, omnium phthisium maxime funestam et insanabilem.

De curatione non convenit inter medicos. Aliis nimirum medicinam strictam, antiphlogisticam laudantibus, aliis initio tantum eandem commendantibus. Ab illorum partibus stant Galenus, Stollius, Haenius, Frankius, Andrallius, ab horum Boerhaavius, Pringlius, Morgagnus, Laenneccius et plerique medici. Videtis igitur auctoritates cum auctoritatibus pugnantes. Sic autem habitote, omnes verum et vidisse et scripsisse, in eo tamen errasse, quod quae ipsi viderant, semper ita fuisse, existimaverint. Neque sine consilio res tanta, quanta ars medendi est, recte geritur. A consilio igitur et regionum, temporum, corporum discrimine in singulis medicatio petenda. Profecto non diebus certis definitur evacuationis faciendae necessitas, verum morbi et corporis aegri viribus, verum signis persistentibus, increscentibus, revertentibus magisque ad dyspnoeae gradum, quam ad pulsum, aut febris rationem ars dirigenda est. Hinc Stollius omni tempore morbi venam secuit; hinc Frankius octogenarium novem venaesectionibus servavit; hinc Andrallius ejusque praeceptor Lerminier repetitis depletionibus magnisque repetitas morbi rebellis invasiones domuerunt; hinc mihi ipsi evenit, senem agonisantem, facie Hippocratica, extremis

frigidis, ex Orci faucibus eripere; hinc pleuroperipneumonicum fere emortuum, stagnante jam sanguine, restituit Trillerus.

Est tamen modus in rebus: *omne nimium nocet* atque ubi incassum evacuantibus pugnatum est, revellentibus sanatio perficitur.

Laudatur hoc fine Laenneccio tartarus stibiatus, magna dosi adhibitus, neque ita longe a principio morbi; quod remedii genus Andrallio nec nocere, nec prodesse visum est, sive tolerabatur ab officina digestionis, seu non tolerabatur. Prima V. S. magna, ex larga fiat apertura atque in morbo gravi bis aut ter repetatur intra nycthemeram: ac postea etiam morbo aut recrudescente, aut recidivo, cujus repetendae index sit non pulsus, verum respiratio, neque ab ea vos abducat adparens aegri debilitas, aut metus sputi non prodituri. Optimum enim, Frankio auctore, in hoc morbo expectorans venaesectio est. Sanguine satis detracto, deficiente vitae renisu, vesicantia suris imponenda: sin nimia adhuc vitae actio, sinapismi. Interim potiones demulcentes, pectorales, nitrosae utiles. Morbo tardiori, aegro infirmo, nullisque adparentibus signis lyseos, aut superstite congestione passiva, antimonialia, scillitica, polygala senega, arnicae flores, subinde alvi purgatio tentanda, quibus morbi solutio promovetur ejusque tolluntur reliquiae, quemadmodum in aliis phlegmasiis, urgente pectoris dolore, hirudines loco dolenti admoveri et emollien-

tia cataplasmata adplicari jubet ANDRALLIUS. Sub statu nervoso depletiones topicas capitis et prudentem revellentium auxiliorum usum is, quem mox citavimus, auctor commendat. Nec negligenda denique prudens corporis inaniti nutritio, qua in re a multis medicis hodie peccari novimus; ut jure merito LAENNEC animadvertens, mori posse aegrum fame aeque ac cibo intempestive dato, in memoriam revocet saluberrima praecepta HIPPOCRATIS Sect. I. Aph. 16 sqq. quibus addere oportet, quae in libro de Vict. Acut. leguntur.

INFLAMMATIO MEDIASTINI POSTERIORIS ET ANTERIORIS.

Hae ad pleuritidem pertinent: altera pleuritis dorsalis, altera pleuritis sternalis appellari posset. Pleuritis dorsalis describitur ab HUXHAMO, qualis anno 1746. ab ipso visa est. Opp. Lib. I. pag. 336. Ed. REICH. » Est etiam et jam passim insolita quaedam pleuritis, ubi inter scutula operta acerrimus saevit dolor, qui ad sternum usque protenditur, maxima cum gravitate pectoris et spirandi labore. Interdum et per totam dorsi spinam et hypochondrium immaniter cruciat, adeo ut vix respirare et tussire valeant, imo omni molimine tussim aliquando supprimere nituntur ob doloris vehementiam; volunt

se subinde in lecto esse erectos, mox vero ejulantes, impatienter atque prorsus impotentes recumbunt; urget adeo jactatio perpetua, anxietas horrenda, tormentum intolerabile, verbo Hippocratico δυσφορια gravissima; continua vexantur tussicula, at parum aut nil expuunt. Est profecto acutissima febris et intra perpaucos dies jugulat. Robustum quendam jnvenem quarto die inter tussiendum violenta nervorum distentione correptum atque abreptum novi."

Hujus etiam inflammationis in libro II et III. De Morbis, quem inter scripta Hippocratica, sed male referunt, descriptio invenitur: quamvis dubitari possit, utrum eodem nomine auctor comprehenderit pleurae diaphragmaticae, quae deinceps paraphrenitis dicta est, inflammationem. Ejus exitum in suppurationem notavit Andral, in phthisico, Tom. IV. pag. 499 sq. l. l.

Inflammatio mediastini anterioris descripta primum videtur ab medico Arabe Ebn Zohr sive Avenzoar, qui in itinere se eam passum esse ipse refert, ac salutem ingenti sanguinis jactura redemit. Is nempe cum sanguinis libram quarta nocte detraxisset cumque proximo die iter continuare coactus esset, noctu in soporem decidit, quo tempore fascia delapsa e somno exporrectus lectum sanguine undantem viresque multum imminutas deprehendit. Insequenti die saniei aliquid expectorare coepit; quare aquam hordei larga quantitate hau-

sit, sed curationem ingenti sanguinis fluxioni tribuit Cf. Freind, *Hist. Med.* pag. 494.

Post hunc Petrus Salius Diversus morbum observavit. Observationem, siquidem liber qui inscribitur: De Curatione Morborum Peculiarium, est inter rariores, vobis exhibebo.

Nobilis erat aeger, qui cum febre acuta detineretur, ad quam inquietudo magna ingensque sitis consequebatur et caetera, quae febres ardentes comitari solent: respiratio frequens admodum et celer erat, in thorace maximum incendium, ingens sitis et magnus ardor et aurae frigidae desiderium. Nullus in thorace dolor insignis praeterquam ad sternum, ubi angustiam et offendiculum quoddam in inspirando potius, quam dolorem sentiebat. Tussis in initio erat sicca, subsecuta deinde hanc est tussis humida; quae per tussim excernebantur, erant colorata, partim rubra, partim flava; plura erant flava, pro magna parte rubro tincta, pulsus, qui pleuriticorum esse solet, ut si dolorem lateris habuisset, certo pleuritide laborare judicassem. Hic cum et reliqua symptomata et urinae laudabiles coctaeque crisin promittere viderentur, praeter spem, postquam aliquoties syncopen passus erat, nono die extinctus est

In cadavere nulla alia res praeternaturalis inventa est, nisi in membranis intersepientibus tumor inflammatorius satis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio.

Similem casum habet ANDRAL (T. IV. pag. 495 sqq.) qui credebatur pericarditis, errorem detegente cadaveris sectione, etsi rem dubiam facere forsitan potuissent symptomata: tussis et febris gravis et dolor inter mammam sinistram et sternum tussi et inspiratione auctus.

Pus, quod etiam in hoc casu factum erat, aliquando viam sibi facere visum est per ipsam ossis sterni substantiam Cf. SWIETENIUS ad Aphor. BOERH. 913. qua observatione nititur sterni perterebratio, quam ad pus evacuandum subinde adhibitam esse legimus.

In ANDRALLII aegro aeque minus profuere largae et repetitae venaesectiones, atque in paraphrenitico HUXHAMI.

PARAPHRENITIS, SIVE DIAPHRAGMATIS INFLAMMATIO.

Quae hoc nomine dicitur atque a BOERHAAVIO veteres, ut solet, auctores secuto, specie gravissima, Aphor. 907 sqq. describitur, magis pleurae diaphragmaticae, quam ipsius diaphragmatis inflammatio est, quemadmodum bene vidit BOERHAAVIUS ipse, rem minus animadvertente ejus discipulo atque interprete SWIETENIO. Cognoscitur, illo auctore, febre acutissima, dolore inflammatorio loci,

intolerabili ob membranas nervosas: qui dolor immaniter augetur sub inspiratione, tussi, sternutatione, repletione stomachi, nausea, vomitu, compressu abdominis in alvo vel urina reddendis; respiratione hinc sublimi, parva, celeri, suffocativa, quiescente abdomine, solo thorace peracta; delirio perpetuo; hypochondriorum introsursum revulsione, risu sardonio; convulsione; furore; gangraena. Quae symptomata quam longe absit, quin constanter hunc morbum comitentur, docuere et HAENII et MORGAGNI et ANDRALLII observationes, quorum ut hic pleurae diaphragmaticae, sic illi ipsius diaphragmatis inflammati exempla protulerunt.

In juventutis instructore apud HAENIUM *Rat. Med.* Tom. IX. §. 5., quem ex renis ulcere laborantem accedens acutissima pleuritis aliquot horarum spatio sustulit et pleura et diaphragma summopere inflammatum, qua tendineum, qua musculosum, etsi nec nauseavit, nec vomuit, nec nisi sub mortem, non in morbo deliravit, nec risum sardonicum habuit. Neque etiam hunc notatum reperio in cannabis carminatore, neque in lapicida MORGAGNI, qui etiam leviter tantum delirabat, neque in sene illo caeco, qui ex costis fractis diaphragma habuit inflammatum: neque tum semper hoc symptoma animadvertitur, quum centrum tendineum morbus tenuerit, quemadmodum circa lapicidam notaverat ipse. Ex iis, quae ANDRALLIUS descripsit, pleuritidis diaphragmaticae historiis prima sine omni

delirio fuit et tertia, diaphragmate quamvis perforato, et quarta et quinta. Quo loco notat, risum sardonicum a Boerhaavio, Swietenio et Haenio memoratum, a se nunquam esse visum, ne diaphragmate quidem perforato. Cur Haenius hoc loco citetur non video. Is enim tantopere abest, ut constans habeat hoc symptoma, ut disertis verbis moneat, hominem, qui diaphragma habuit vehementer inflammatum, tum in musculosa sua parte, tum in tendinea universa, nec delirasse, nec *risum sardonicum* habuisse, *Rat. Med.* T. IX. c. 11. §. VII.

Non supervacaneum videbitur notasse, alteram pleuritidis diaphragmaticae historiam phthisici fuisse, cui haec fuit miseriarum et summa et ultima. Ex symptomatum numero alia constantia magis, alia minus ei dicuntur. Illis adnumerat dolorem secundum marginem costarum spuriarum in hypochondria et lumbos usque porrectum auctumque inspiratione, motu, nixu; immobilitatem diaphragmatis sub inspiratione; anxietatem notabilem vultu expressam; orthopnoeam corpore antrorsum inclinato. Ex horum genere reputat singultum, vomitum, convulsiones, delirium; icterum etiam cum dolore dextri lateris, hepate ex sympatheia aegro, ut mentiatur hepatitidem ac medico fraudem faciat.

Hunc errorem non ut Andrallius scribit Morgagnus, sed Valsalva, Morgagni praeceptor commisit. Locum antea, ubi de hepatitide verba facta sunt, citavi.

Caeterum prognosis hujus inflammationis dubia, curatio stricte antiphlogistica sit, oportet.

Lubet exempli caussa historiam tradere ab HUXHAMO narratam." Primarius Nosocomii nautici chirurgus vir bonus et ingeniosus, mane 3 Aprilis inhorruit, mox rigore maximo correptus inter visitandum aegrotus se recepit, posterius saevissimo dolore dorsi ac imi pectoris dextri parietis succubuit, febricitavit vehementer. Missus est extemplo sanguis ad uncias XVI. Me deinde accersiri voluit. Fotum emollientem et laxans enema praecipio nitrique plurimum et spermatis ceti, potum diluentem porro et subtepidum, liberalem. Furente tamen usque dolore sub noctem alteram sanguinis missionem ad ℥ XVI. fotumque et enema e lacte dulci cum sale marino plurimo, quo bis terve dejecit alvus: mox diacodii ℥ β sumsit ac Tinct. Thebaic. gr. XXIV. Tota nocte ejulavit, difficillime spiravit, tussicula arida vexatus nihil expuit, mane adeo die quarto ℥ XIV. sanguinis detractae sunt, fomenta etiam et cataplasmata admota, pauloque post injectum est emolliens enema, quo rejecto, epotus est haustus anodynus: pacata hinc omnia per horas aliquot, accessit vesperi somnus. Infidae autem hae induciae! Nox maximis in molestiis acta: febris vehemens, spiritus brevis, interruptus, difficillimus, dolor acerrimus, sitis ingens, lingua arida. Ergo 5 Aprilis H. 9. a. m. repetitur V. S. ad ℥ XII. saltem, mannae porro ʒ X.

cum sale mirab. Glaub. ℥ β ex jusculo avenaceo assumptae sunt; ter hinc quaterve respondit venter, saevissimus tamen usque urget dolor, pulsusque celerrime vibrat, exilis quidem, sed durus admodum: bis noctu repetita sunt anodyna, unde sopor aliquis, at perturbatus valde. Cum parum haec omnia proficere viderim, camphoram cum nitro exhibui, haustusque salinos ex sal. c. c. succo limonum caet. ut nimirum per sudores forsan morbum elicerem; femoribus porro atque dorso vesicatoria adplicari jussi. Sudavit paululum inaequaliter, mox autem rigor invasit dolorque dorsi et lateris immanis recruduit, adeo ut jam non modo exclamaret, sed fureret plane. Quinta adeo vice, die 6 nempe post meridiem, sanguis emittitur ad ℥ xv. circiter, ad fomentum dein et clysma, nec non anodyna confugimus. Hinc quies aliqua, sed languor magnus; obrepsit denique somnus. Post sex vel octo horas inalgescens ejulavit, deliravit, se flammis atque ferro excruciatum intus, dextro e latere exclamavit (durum valde, sed retractum persensi hypochondrium dolens) anhelavit quasi ex citissimo cursu, interim maximo nisu, at summo angore quasi gladio perfossus, suspirium edere anxie desideravit.

Dubius omnino quid facerem, ultra sextam sanguinis missionem suadeo ad ℥ xii. circiter, fomenta iterum, cataplasmata et anodyna. Supervenit sopor, tremor, tendinum subsultus, singultus atque

se relevatum praedicat; quievit utique plurimum, sed aliena murmurans et incondita. Frigidulus occupat sudor frontem; dum genae intenso rubore flagrant, nigrescunt ungues, frigescunt manus; facilius vero movet, imo et se sponte in lecto erigit, melius se multo autumans, si modo gravitas spiritus immensa et aliquantus usque dolor ac pondus abessent. At ego hominem plane moribundum video, septo transverso nempe sphacelato: tamen sopores inter, singultus et deliria atterit noctem; die 7 mensis, paulo ante meridiem obiit vir, siquis alius, vita dignus longiore. — Mox post mortem lividum quasi a contusione apparuit totum latus dextrum ad os ilium adusque.

En casum inflammationis gravissimae, quae ne sexies quidem et largiter detracto sanguine extingui potuit. An opiata, camphora, sal. c. c., salia cathartica bene praescripta? An melius praescriptus foret mercurius? An topicae depletiones aegrum servassent? Dubitari utique posset, utrum tanta inflammationis saevitia ullo remedio potuisset reprimi.

DE PERICARDITIDE.

Si quis ex vobis quaereret, quae censeretis mala proficisci debere ex pericardio, cordis involucro, aut

corde ipso inflammato, nonne continuo responderetis, ea mire turbatam iri circulationem, futurasque esse cordis palpitationes, aut pulsuum intermissiones ac leipothymias. Haec certe ex theoria ita fore existimaretis. Verum an observatio et cadaverum lustratio hanc theoriam firmant? Minime gentium! Equidem scio, ita pridem fuisse creditum, antequam cadavera morborum illustrandorum caussa inspicerentur. Verum alia longe docuit diligens anatomes practicae cultus. Nam sive Morgagni Epistolas legamus, seu Senaccii Medici eruditi et prudentis de corde librum, seu recentiorum arte excellentium medicorum Corvisarti, Laenneccii, Andrallii pervolvamus scripta, videbimus sine his turbis manifesta post mortem detexisse eos non tantum pericardii inflammati, verum cum corde concreti ipsiusque cordis ulcerati indicia. Adeo facile est decipi, si quae observationis sunt doctrinaeque, ea ingenio conemur cogitationeque complecti. Idcirco minime supervacaneum erit, historias harum partium inflammatarum inter se comparare. Verum hic nova suboritur difficultas. Vix observatur pericardii inflammatio sine aliarum inflammatione partium, sive pleuritide, sive peripneumonia, seu gastritide, sub qua delitescit qua ve obscuratur morbi propria imago. Sed ne operis nos terreat difficultas, quam si superare non potuerimus, non sine laude defecerimus. Neque etiam

quae interdum immo saepius defuere symptomata, defuisse semper existimandum est.

Itaque inter observationes medici excellentis eximiique morborum cordis interpretis (ut a recentioribus anatomes practicae peritissimis auctoribus initium faciamus) inter observationes Corvisarti una est, quarta numero, quae morbum simplicem nobis spectandum obfert.

In hac (ex ictu qui in cor impegerat natus erat morbus) pulsus tangebantur inaequales, parvi, crebri, intermittentes, facies cernebatur aliena, genaque sinistra rubore suffusa, a pectore percusso in sinistro latere nullus audiebatur sonus; dolebat hoc loco et crebrae at breves intercidebant virium imbecillitates, ut aeger animo fere linqui videretur. Exinde oculo dextero absque praevio symptomate inflammationis suppurato ac liquescente, pulsibus viribusque deficientibus vivendi finis factus est, die morbi vigesimo quarto.

Erant igitur in hoc aegro pulsuum inaequalitates atque intermissiones, nec deerant animi cordisque deficientis signa: praeterquam quod dolor loci pectusque percussum validusque qui cordis regionem laeserat ictus, morbum reddebat cognitu faciliorem. Nec tamen crebro haec ita contingunt.

Nempe vel cum pleuritide, pleuroperipneumonia, conjuncta est pericarditis, vel cum paraphrenitide, arachnitide, vel cum plurium serosarum inflammationibus, vel cum cordis ipsius valetudine,

vel in phthisicis etiam, cum aegritudine pulmonum, quemadmodum crebris auctorum observationibus indicatur.

In prima observatione Corvisarti prioris complicationis exemplum proponitur. Inter alia spirationis aegrae symptomata: dyspnoeam, tussim molestam, siccam, dolorosam caet. notabantur pulsus parvus, contractus, creber, subdurus, ast regularis, dolor in regione cordis, palpitationes vagae. In altera et querelae de cordis regione tanquam summopere tumente (quamquam nullus ibi tumor conspicuus) et ingens jactatio et pulsus irregularis ac minimus. In tertia senis arthritici, corpore voluptatibus fracto, febris anomala, dolor dexteri hypochondrii tactum non ferentis, pulsus imbecilli, vix tamen irregulares, summa jactatio corporis. In quarta observatione, ut vidimus non deërant pulsuum inaequalitates atque intermissiones et animi defectiones: nec deërant haec in quinta cum aliis valetudinis hujus symptomatibus, de cujus tamen praesentia cum aeger convaluerit, auctor certior factus non est. In sexta denique pericarditidis chronicae, quamvis aegro hydropico non defuerint circulationis laesae symptomata: motus cordis varius, subinde tremulus et varius pariter, quandoque intermittens pulsus, tamen cum pericardio et cor ipsum ejusque valvulae vitio non carebant, ita ut cui parti symptomata adscribas, nescias.

Laennec observator profecto diligens fatetur se

saepius in diagnosi errasse nonnullaque signa ab aliis tradita: ruborem genae sinistrae, ardorem aut dolorem in cordis regione vix observasse; pulsus vero ab initio fuisse intermittentes, filiformes, paeneque nullos. Neque etiam auscultationem certiora praebere signa. Cor nunc fortius pulsare, nunc contra debilius et brevius, una cum pulsuum intermissione atque extrema parvitate.

Andrallius communicavit observationes decem inflammationis pericardii. In prioribus, quatuor numero, observabantur symptomata pathognomonica: dolor in praecordiis, cordis turbati ictus, pulsuum intermissiones caet. nec tamen cunctis eadem, verum cuique alia. Primus pictor ex rheumatismo articulorum acuto in hunc morbum acutissimum incidit. Erat dolor in regione cordis tantus, ut prae doloris atrocitate exclamaret aeger: quem dolorem nec pressio, nec inspiratio, nec mutatus corporis situs augebant; ictus cordis creberrimi, turbulenti, irregulares, intermittentes et intermittentes pariter pulsus iique minimi, tactum subterfugientes, anxietas summa, extremitates frigidae. Haec in priori aegro symptomata. In altero dolor praecordiorum exceperat pariter dolores artuum rheumaticos, nulla nec tussis, nec spirationis laesio. Pulsus creber, regularis, durus, cordis ictus obscuri.

In sutore (Obs. 3.) dolor pectoris sinistri, inquietudo, risus sardonicus, motus convulsivi la-

biorum, doloribus tanquam ab igne admoto sinistrum latus impetentibus, quos sequebatur brachii ejusdem lateris stupor, spiratio difficillima, cordis pulsationibus mire turbatis, pulsus deletus, frigus glaciale. Haec remittentibus doloribus remittebant iisque cessantibus, dyspnoea, oppressio, suffocatio, mors.

In lapidario post signa congestionis cerebralis, dolor sub processu ensiformi intolerabilis, sub decubitu in dorso minor factus, ictus cordis creberrimi, irregulares, turbulenti similesque pulsus. Nulla signa pulmonis aut pleurae aegrotantis.

In altera serie observationum Andrallii (a 5 ad 8.) nullus dolor sed dyspnoea animadversa est. In sutore phthisico (Obs. 5.) cor auscultatum nihil significabat, vultus tamen alienatus gravius pathema indicabat, quam pridem. Spiratio molestior, accelerata, vox paululum anhelosa: oppressio magis magisque increscens, facies oedematosa, palpebrae tumidulae, labra tumentia, violacea, pulsus creberrimi, roboris inaequalis, subinde decima quinta fere pulsatione deficiens et intermittentes etiam creberrimique cordis ictus. Fuere tamen in hoc aegro et pulmones tuberculosi et cor sinistrum hypertrophicum.

Sartor asthmaticus primo, deinde dyspnoeicus, facie tumente, livida, labris violaceis decubuit in dorsum, partim sedens, erecta cervice, reclinato capite: spiratio celerrima, celerrimus pulsus, re-

gularis tamen, sed simul durus et vibrans: ictus cordis regulares, debiles et obscuri eoque loco pectus percussum non resonabat. Pericardium in cadavere sero copioso limpido, innatantibus concrementis, turgens repertum est, intus nullas habens phlogoseos notas, parietes cordis sinistri parumper hypertrophici, cor integrum, bronchia rubra, parenchyma pulmonum infarctum. Adolescentulus (Obs. 7.) suppurantibus variolis, spiratione ex improviso difficili facta, sine tussi, sine sputo cruento, pustulis gangraenescentibus auctaque dyspnoea, comparentibus petechiis sublatus est, initio diei decimi, ex quo aegrotaverat.

In tertia serie ponuntur pericarditides absque ullo symptomate pathognomonico. In muliere nuper abortum passa (Obs. 8.) delirium fuit, subsultus tendinum, convulsiones, pulsus parvus, frequens, regularis, facies pallida: postea pulsus creberrimi, intermittentes, nullum delirium, sed querelae de magna virium imbecillitate, faciei convulsiones, rigores tetanici artuum, die 5°. iterum delirium, paralysis, coma, mors. Reliquis integris, aut parum mutatis, pericardium habuit intus concrementa membranea, serum subviride.

Sequuntur casus pericarditidis chronicae. Primus murarii, catarrho, dyspnoea, hydrope afflicti, facie livida, labris violaceis: in quo pectus bene resonans at ictus cordis et pulsuum intermittentes nullusque dolor. Alter viri juvenis, post graves

palpitationes cum dyspnoea et febre superstitem habentis magnam pulsuum arteriarum et cordis frequentiam, quae pericarditidis suspicionem movit, quam auxit, increscente hydrope, respiratio difficilis, vox anhelosa, a pectore percusso sonus obtusus editus eodemque loco, in latere sinistro scilicet inter spirandum nullus.

Inter antiquiores rei medicae scriptores hujus inflammationis exemplum sectione cadaveris firmatum protulit Zacutus Lusitanus *Prax. Med. Admir.* Lib. I. Obs. 138. quod ideo inprimis notandum, quia aeger pro pleuritico curatus est: quamvis morbi gravissimi et acutissimi (triduo scilicet e vita aeger sublatus est) manifesta adessent symptomata. En casum! Quidam in flore aetatis suae constitutus, acuta febre est prehensus, quam comitabatur sitis ingens, anxietas, inquietudo, respiratio celerrima et frequens, perceptum in thorace incendium internum, cauma, tussis sicca, syncope, animi deliquium, cordis tremor levissimus, in thorace dolor sternum versus, cum angustia summa, pulsus durus et inaequalis. Huic aliam addite historiam facundi Oratoris Mirabeau, qui Cabanisii Medici athei atheus amicus fuit. Retulit ipsam Pniellius *Nos. Phil.* II. pag. 415 sqq.

Habetis succinctam harum observationum historiam, unde perspicitis morbi signa saepe incerta esse, fallacia, obscura: nec tamen prorsus solere deficere, dummodo ad singula mentem advertat

medicus observator, ad cordis ictus, ad pulsum, ad sonum percussi pectoris, ad aegrotantis vultum, ad hydropis cum cordis aegri laesaeque circulationis symptomatibus, indicia.

Desinit pericarditis in lymphae plasticae exsudationem (quam interdum ejus cum corde concretio sequitur) inque pericardii hydropem. Utriusque signa partim communia sunt aliorum, sive cordis sive involucri illius morborum, partim aliis ut fieri solet vitiis obscurata, partim nulla. Ex concretione ejus cum corde perfecta summas turbas ipsamque mortem exspectat Corvisart inque rei fidem exemplum proponit, in quo tamen et effusio seri in pectus, et pulmo dexter eo compressus et durus, et peritonitis chronica, rem notante Laenneccio, qui plura se cadavera secuisse testatur, in quibus haec concretio erat, nullo antea signo indicata. Pericardii hydropem quod attinet, hujus etiam signa incerta et obscura maxime esse, atque quae alii notarunt: sensum ponderis in praecordiis, aut cordis natantis, aut fluctuationis eo loco, aut cordis motum circularem, aut hunc locum percussum non resonantem ea pariter dubia esse atque inconstantia is quem mox citabamus auctor arbitratur, ut magis divinationes esse has, quam diagnoses cum aliis existimemus.

Quid in hoc morbo sanando a largis et repetitis sanguinis detractionibus exspectandum sit, Andralii observatio quarta vos doceat, in qua ter vena secta

est et ter etiam hirudines magno numero admotae sunt. Bis ad libram detractus est sanguis cumque prima vice 20 hirudines admotae sunt, altera et tertia vice quadraginta sunt adhibitae eoque cum successu, ut aeger a morbo tam gravi prorsus sit liberatus. Post sanguinis detractiones vesicantia praesertim loco dolenti imposita prodesse CORVISARTUS monet: quod monitum eapropter minus negligendum est, quia haec inflammatio vel a rheumatica affectione oriri, vel rheumaticae naturae esse solet.

DE CARDITIDE.

Quae vulgo cordis inflammationes (carditides vocant) credebantur antiquitus, non cordis ipsius, sed pericardii sunt. Esse tamen carditides observatas reliquiae testantur earum ab anatomes practicae cultoribus in corde visae.

Nam ut de BONETI Sepulchreto taceam, in quo etsi plura prostant exempla abscessuum in corde, ea tam leviter perstringuntur, ut indicentur tantummodo parumque aut nihil ex iis discamus, ut taceam de MORGAGNO qui quas laudat erosi aut exulcerati cordis leviter observationes ipse a pericardii sero repetit ex inflammmatione, ut videtur, hydropici facti, malo in re tam subtili recen-

tiorum excitare experientiam accuratiori anatomes pathologicae scientia instructam.

Primo citabimus magnum morborum cordis interpretem CORVISARTUM, qui ter tantummodo morbum a se visum esse refert atque tam occultam ejus esse et insidiosam rationem, ut de certa ipsius indubiaque diagnosi desperare videatur.

Prior observatio spectat senem plebejum eumque sanguineum, quem a triginta inde annis plurimum molestaverat dyspnoea quique crebris erat destillationibus obnoxius, nunquam vero cordis palpitationibus. Post auctam spirandi difficultatem, dolorem percepit, nec tamen magnum illum, in media internaque sinistri parte thoracis, quem post biduum insecutum est sputum sanguinis. In Nosocomium admissus capite paululum doluit. facies erat colorota, splendebant oculi, lingua alba erat, spiritus molestior, pectus obscure dolens, nulla palpitatio: pulsus debilis, irregularis, intermittens, inaequalis in quoque brachio. Altero mane spiratio molestior facta est, cum strepitu et rhoncho, dolor increvit in pectore et accessit delirium, cum magna loquacitate. Tempore meridiano surrexit denovo rursusque decubuit et inopinato ultimum spiritum reddidit, die morbi septimo. Cerebro integro, pulmo sinister maxime in pericardii proximitate membrana crassissima tectus ejusdemque lateris pleura qua costas obducit inflammationem passa videbatur. Pericardii cavea libram recondebat propemodum humoris

purulenti, cui innatabant fragmenta membranacea ejusque facies interna erat membrana obvelata aspera et papillarum adinstar tecta. Cor naturalis magnitudinis, molle et laxum ejusque carnosi parietes tum auricularum, tum ventriculorum pallidi, flavescentes ac si adeps esset interspersus atque tum in parietum superficie, tum in ipsa carnis substantia rete vasorum insigne et valde conspicuum. Ea substantia digitis contrectata in liquamen pallidum triste diffluebat. Omnia cordis cava habebant polypos in truncos usque vasorum porrectos.

Altera observatio erat feminae junioris, ex pectore, ut videbatur, aegrae, colore pallido, cruribus tumentibus multum tussientis et reddentis tussi materiem purulentam. At pulsus parvus, labra tumentia, violacea phthisicis minus propria, pectus percussum neque in sinistro latere resonans, suspicionem movebant liquoris ibi haerentis. Post obitum, qui non ita diu a paracentesi abdominis hydropici contigerat, pericardium humoris purulenti plenum, cordis facies externa lympha plastica tecta et cor ipsum parvum, contractum, molle, pallidum interius etiam visum est pleura sinistra tantummodo aegra.

Casus tertius etiam hydropicae mulieris est, cui saepius sine magno levamine aquae eductae erant. Ea pariter suspicionem moverat cordis aegrotantis propter pulsuum parvitatem, imbecillitatem, inaequalitatem et alienam insolitamque rationem. Aegra

postquam decesserat, visum est pericardium liquore lactescente purulento turgens, cor suppallidum parvum, retractum quasi sine habitu et forma, auriculis scilicet ventriculis vasorumque truncis materia lymphatica alba absconditis.

Hic casus, ut alter ad carditidem occultam chronicam, prior vero ad carditidem occultam acutam ab auctore secundum eam, quam ipse fecerat distinctionem refertur. Sane nullus eas obtulit manifestas notas, quae visceris hujus nobilioris inflammationi tribuuntur.

Hasce observationes LAENNECCIUS non esse carditidis, sed pericarditidis contendit sibique unicum tantummodo notum esse exemplum carditidis generalis a MECKELIO propositum minus tamen accurate descriptum testatur. Verum rem animadvertente ANDRALLIO hypertrophia cordis videtur initium ducere ab inflammatione sive pericardii, sive internae cordis membranae, sive aortae, similiter atque alii musculi vitae organicae, ubi in contactu sunt cum membrana inflammata in hypertrophiam sunt proclives. An in hoc casu inflammatio in cor usque pertinet, quemadmodum pleurae inflammatio in pulmones extenditur: videtur saltem carditis sine pericarditide esse perquam rara. Sequens exemplum ab ANDRALLIO propositum ejusmodi deuteropatheiam cordis illustrare poterit. Vir aetatis mediae ex longo tempore doloribus rheumaticis vagis plurimumque mobilibus obnoxius, derepente iisdem

silentibus dolorem atrocem passus est in cordis regione cum palpitatione vehementi, dyspnoea, virium prostratione. Is postquam haec gravia symptomata remiserant, cum signis hypertrophiae cordis (dyspnoea increscente, corde palpitante ac dolente, pedum oedemate accedente) Nosocomium ingressus non ita diu post defecit.

In corde ea reperta est laesio organica, quae praedicta erat: orificia erant libera, verum pericardii membranae cellulosis vinculis concreverant, Nec tantum ex pericardii, verum ex interna etiam cordis membrana inflammata provenire cordis hypertrophiam idem nobis auctor est; hanc multorum vitiorum organicorum hujus visceris originem esse arbitratur: neque omnium tamen: non ossificationum arteriarum similiumque, quas nulla saepenumero cordis vitiati signa denotant (*).

Verum priusquam ad alia progrediar, mentem advertite quaeso ad originem morbi in aegro Andrallii ex doloribus rheumaticis; quae certe creberrima est quamque notabili pistoris casu (quod genus hominum prae aliis ex artificio vivendique ratione in rheumata et catarrhos proclive est) Obs. 1. pag. 4. ostendit. Ipse talem casum observavi, in

(*) Huc referatis historiam uxoris patavini pictoris, quam tradidit Morgagnus Epist. An. Med. 23, art. 4, qua nec fugisse magnum virum efficitur hunc morbi ortum, quamvis minus fausta sit rei ab eodem (art. 5) proposita explicatio.

quo silente, qua diu afflictus erat aeger, lumbagine, brevi et inopinato mors subsecuta est.

Quod autem saepe, immo saepissime fit, id ne semper fieri existimetis, neque in eum incidatis errorem ut omnem rheumatismum largis sanguinis jacturis tolli posse credatis: quod in nostris maxime terris pluribus certe exitio, quam saluti foret.

Nec desunt etiam exempla cordis suppurati aut ulcerati indicantia magis topicam circumscriptamque cordis inflammationem ac quemadmodum ulcera crebrius, quam abscessus inventa sunt, sic ulcera crebriora in cordis interna, quam externa facie fuerunt: quaeque in hac observata leguntur, ea fere pericardium magis, quam cor spectabant. Signa autem eorum adeo dubia et obscura sunt, ut et Morgagnus et nuper Corvisartus, Laenneccius aliique recentiorum ea vix detegi posse, ne percussione quidem, aut stethoscopio arbitrati sint, neque pulsuum intermissiones, neque animi defectiones ea prodidisse notaverint. Et quamvis haec mala omni arte superiora recte reputentur, dolendum est tamen, haec signa adeo esse obscura. Nam si juvare non possimus, magni tamen est non nocuisse. Verum poteritis interdum si non scire, at divinare saltem occulta ejusmodi cordis vitia. Quae ex Corvisarto et Andrallio protulimus exempla, ejusmodi felicis divinationis phlogoseos latentis specimina praebent. Caussae, quas cor saepius inflammasse novimus: rheumata, motus corpo-

ris ingens, praesertim post vitam antea sedentariam actam, animi pathemata, quae primo loco nominare oportuisset, aliarum serosarum, pleurae praesertim phlogoses, circulationis impeditae in dissitis etiam locis incommoda, pedum oedemata atque alia ejusmodi, absentia eorum signorum, quae affines valetudines comitari solent similiaque vobis interdum viam monstrabunt. Nunc symptomata erunt aegri pectoris cum hydrope; nunc facies quid insoliti ostendet, nunc pulsus alienus erit, nunc anamnesis rem patefaciet, nunc corporis fabricatio, temperies, vivendi genus, mores, quibus singulis diversimode collatis, poterit tandem medicus in probabilem insurgere morbi notionem, quod tum inprimis et felicius poterit, si non tantum communia, sed propria cuique aegro et cognoscat et intueatur, unde lusus sympathicos quam plurimos explicabit et cur in aliis alia ejusdem morbi indicia animadvertantur, cur peculiaria singulis, omnium optime interpretabitur, ita ut hoc etiam nomine praestet, medico amico, quam extraneo uti.

De gangraena cordis dubitat Corvisart. Citat tamen Gendrinus exempla, quae rem indubiam facere videntur, propter foetorem, colorem bruneum aut lividum et carnium cordis emollitionem aliaque gangraenae signa. In priore etiam aliae partes gangraenosae erant: intestina, uterus; nec deërant symptomata cordis aegri: pulsus imbecillus intermittens, inde ad tactum nullus, initium synco-

pes, anxietas, palpitatio, strictura pectoris, pedum oedema, summa virium debilitas. In altero pulsus erat inaequalis, intermittens, parvus, cordis motus irregularis, interdum imperceptibilis summaque dyspnoea. In tertio ex peripneumonia credebatur aeger mortuus, corde et pericardio gangraenosis. Cernitis et haec signa non semper certa fuisse.

Supersunt casus cordis rupti, qui tamen cum ex apoplexia magis, quam ex inflammatione cordis repeti hodie soleant, quam sententiam a LAENNECCIO et CRUVEILHIERIO propositam cum alii, tum duo CORVISARTI casus probare videntur, in quorum altero magis prompta, in altero magis lenta haemorrhagia facta fuisse creditur, de hisce deinceps sermo a nobis habebitur.

PHRENITIS.

Ferox et perpetuum delirium, rubor faciei et oculorum, lucis et soni intolerantia, cum febre acuta continua inflammatoria, vocatur phrenitis vera, idiopathica. Quae si a cerebro oritur primario affecto, protopathica dicitur; sin vero a morbo aliunde in cerebrum delato, deuteropathica appellatur. Utraque ab alia phrenitide, alias et caussas et caussarum sedes habente, rite est distinguenda. Haec

enim sympathica est, sive symptomatica phrenitis nuncupanda.

En Boerhaavii et antiquiorum phrenitidis notionem. Jam videndum, quatenus recentiorum observatis congruat.

Abundamus observationibus medicorum, quae phrenitidem spectant, ut facilis videri posset ipsius ab aliis quibusvis morborum similium generibus distinctio. Postquam vero animum advertimus easque non numeramus, sed perpendimus, nos in tanta ubertate inopes esse et pauperes deprehendimus. Accuratam postulamus morbi notionem et ecce alii cerebrum esse inflammatum, alii cerebri meninges contendunt et ex hisce rursus alii arachnoideam, alii piam matrem aegrotare perhibent deque ipsa arachnoidea, quo loco potissimum irritata sit in phrenitide, a viris doctis disputatur. Certam quaerimus morbi diagnosin et nunc symptomata phrenitica fuisse legimus absque ullis phlogoseos indiciis in corporibus mortuorum repertis, nunc haec reperta esse, ubi nullum erat phrenitidis signum. Cognitam nobis cupimus curationem legitimam atque ab aliis antiphlogistam, ab aliis nervinam cardiacam cum fructu factam accipimus. Nec tamen levis res videri poterit cogitanti, ex morbo rite cognito curatoque aegrotantium vitam pendere. An autem proderit hoc loco priscas de incerta artis ratione renovare querelas? An in aliorum judiciis acquiescere? aut periclitando

artem facere? Liceret, nisi ageretur de vita hominis, cujus servandae sacrosanctum medicis officium impositum est. Quocirca hic paullisper subsistendum videndumque, utrum istas tenebras dispellere possimus.

De sede phrenitidis cur dissentiant medici, Caelius Aurelianus explicuit. Singuli, inquit, eum locum in phreniticis pati dixerunt, in quo animae regimen esse suspicati sunt. Vulgaris opinio ferebat, hanc sedem esse cerebri meninges, aut cerebrum ipsum. Primus quod nos quidem novimus, qui phrenitidem a meningum aut cerebri inflammatione esse negavit, ex anatomes practicae cultoribus fuit Thomas Willisius, quem citant Theoph. Bonetus in *Sepulchreto* lib. I. Sect. VII. Obs. 1. et Jo. Bapt. Burserius, *Institut. Med. Pract.* Vol. III. Pars I. cap. VII. §. 187. » Is (*De Anim. Brutor.* c. X. pag. 161 sq.) quod autem spectat, inquit, ad phrenitidis et paraphrenitidis caussas conjunctas, facile erit ostendere, illam non semper a meningum, et hanc non omnino a septi inflammatione procedere. In dissectionibus anatomicis saepius vidi, meningas, immo nonnunquam et cerebri exteriorem ambitum tumore phlegmonodeo obsessas, atqui laborantes minime phrenesi, verum e contra torpore affecti, a caro aliisve morbis soporosis interibant." Quibus deinde subjungit, rationem idem dictitare, nam meninges inflammatas cerebrum compressuras esse et hinc ubi phrenitis in carum,

aut lethargum transit, vero perquam simile esse; inflammatione a sanguine stagnante tentatas esse membranas.

Itaque videmus, WILLISIUM duplici argumentatione usum esse, altera ab observatione, cadaverum scil. inspectione ducta, a ratiocinio altera. Hanc mittentes, priorem hoc loco dijudicandam censemus. In ea universe quidem rem indicatam legimus, nec accuratis tamen sectionum historiis firmatam. Quodsi cum his conferamus, quae antea de lethargo monuerat, cujus insultum a cerebri cortice affecto repetit (ibid. c. III. pag. 112 sq.) se scilicet plicarum cerebri interstitia aqua limpida repleta, quin et extimam ejus substantiam et nimio madore mollem et minus firmam: insuper in nonnullis cavitates interiores lympha turgentes et totius cerebri compagem hydrope seu potius diluvio inundatam reperisse: haec igitur si cum prius dictis conferamus, justa suboritur suspicio, in iis casibus soporosis cerebrum revera fuisse inflammatum, in quibus nulla hujus inflammationis indicia vidisse sese testatur WILLISIUS ea, qualis tunc erat, anatomes pathologicae conditione. Reliqui, qui in Sepulchreto Bonetiano citantur casus, partim manifesta ostendunt meningum inflammatarum indicia, partim hique pauciores longe numero aliorsum pertinent, de quibus nullum ferri judicium potest, quia nulla fit cerebri ejusve membranarum mentio; nulli vero satis accurate expo-

siti, quod horum erat temporum imperitiae.

Quapropter nos ad eum conferamus, qui accurata hac mortuorum corpora perscrutandi arte et majores et posteros plerosque superavit, MORGAGNUM. Is in *Epist. An. Med. VII*, ubi sermo est de phrenitide, paraphrenitide et delirio, plures refert historias phrenitidis cum a VALSALVA, tum a semet ipso visas, quas breviter percurremus.

Prima historia adolescentis est viginti annos nati, febre lenta decumbentis, cui circa octavum diem delirium accessit ingens, quod septem dies perduravit, quo cessante aeger quasi amens jacebat, nisi quod paulisper sapere videbatur. Tandem moritur. Cranio sublato gelatinosa quaedam concretio animadversa est, quae vasa sanguifera per tenuem meningem reptantia a lateribus comitabatur. Ex meninge ad basin cerebri lacerata, copia aquae exivit, colore et crassitie vaccinum serum referentis. Caeterum totum cerebrum erat sanum. Manifestas videtis serosae inflammatae notas: gelatinosam istam concretionem, copiam aquae colore et crassitie vaccinum serum referentis, negante licet MORGAGNO, qui non negasset, si his vixisset florentis anatomes pathologicae temporibus. Alter casus phrenitidis pleuroperipneumoniam secutae, paullo licet obscurior, in quo plura desideramus, obferebat tamen paululum seri ex meningibus emanantis, in sinubus concretiones polyposas et in sinistro cerebri ventriculo plexum cho-

roïdeum multum varicum instar turgentem, quae congestiones venosas indicabant.

Recens et levior forsitan inflammatio fuit et ex morbo alio secundaria, non ita facile, tunc temporis praesertim dignoscenda, incidens in corporis habitum venosum, aut, ut ego quidem conjicio, phlebitis sinuum cerebralium, de qua conferatis Cruveilhierium in *Anat. Pathol. Hominis.*

In tertio casu bajuli febre ardente laborantis atque ingenti capitis dolore, cui delirium successit, vexati, inter utramque meningem paucum serum inventum est, cujus pars inter sanguifera vasa in gelatinae modum concreverat: ideoque et hic indubia habetis inflammatae arachnoideae signa. Quartus etiam cerebri vasa valde turgentia sanguine, ventriculos seri aliquantulum habentes monstrabat. Exstat praeterea casus commemoratus a Volchero Coitero nostrate, anatomico summo, Eustachii, Falloppiaeque discipulo, quem citat Morgagnus ex Sepulchreto in testimonium phrenitidis sine meningum inflammatione praesentis. Erat febris ardentis, cui postea phrenitis supervenit. Aperui caput, inquit Coiterus: dum serra cranium removebam, effluxit aqua loturae carnium similis: uterque ventriculus tam dexter, quam sinister plenus aquae fuit inventus. En A. A! iterum serosae inflammatae notas, de quibus nullus hoc, quod vivimus, tempore anatomes pathologicae cultor dubitaverit. Verum ad reliqua pergamus. Qui sequitur

casus senis cum meningum inflammatarum, tum cerebri laesi, emolliti obferebat notas. Etenim magna aquae vis prodiens ex cerebro inque ejus infractibus subsistens, ejus similis in qua caro recens lota est, vasa per tenuem meningem nigro concretoque sanguine pleniora, cranium et cerebrum ingrate olentia, cerebri substantia multum laxa, delirii, convulsionum tremorumque a membranis cerebroque inflammatis originem aperte satis testabantur.

Phrenitidem ex pleuroperipneumonia senex obtulit figulus, potor strenuus: reperta sunt vasa sanguine repletissima et serum multum, quod gelatinam mentiebatur ejusdemque lateris lobus pulmonis inferioris hepaticae substantiae similis, et serum flavum et concretiones membranaceas in thorace eodem loco. In hoc igitur, nec non in muliere ex febre phrenitica, quam ictus capitis suscitaverat, mortua, manifesta adparuere tenuis meningis inflammatae indicia, uti etiam in altera leviori febre correpta, quam Peruviano cortice medicus pervincere se posse sperabat. Quae hac non modo non cedente, sed in acutam cum vaniloquio degenerante, confecta est.

Atque sic lustrando casus, quos memoriae consignavit summus Morgagnus, intelligimus, neque ab iis abfuisse phreniticis meningum inflammatarum signa, in quibus nulla sese detexisse vir summus credebat. Nunc superest, ut recentio-

rum adhibitis observationibus, probabilem in medium proferam rei obscurae hucusque et dubiae explicationem.

Gendrinus in ea, quam saepius laudavimus, Historia Anatomica Inflammationum sequentia adnotavit arachnitidis acutae indicia: primus gradus arachnoideae colore subalbo, subopaco, secundum convolutiones per strias disposito, discernitur: gravior, ipsius rubore, crassitie, piae matris phlogosi, exsudatione cruenta in cerebri cavo, secretione humoris gelatinosi, rubri. Arachnitidis initio, rubente pia matre, lacteus color est arachnoideae: saeviente eadem vehementer, ipsa serosa rubra, densa, sanguis effusus. Chronica arachnitis post obìtum dignoscitur arachnoideae crassitie, densitate, tenacitate, opacitate magis manifestis, rubore nullo, pseudomembranis crassis, subinde inflammatis, fluido in ventriculos effuso, limpido, flavo, superficie serosae rugosa, granulationibus tecta.

Arachnitis spinalis membrana opaca, crassa, interdum secretione purulenta facta cognoscitur. Membranae spuriae in ea non sunt visae.

Hos characteres anatomicos nonnullis, qui mos ejus est, morbi historiis illustravit, de quibus deinceps, postquam primo de symptomatibus exposuerimus, videbimus. Praeter auctores, quos laudavimus, omnino laudandus est Cl. Lallemand, Professor Monspeliensis, qui anno 1820. edidit Epistolas de morbis encephali, in quibus omnem hunc

locum de inflammationibus harum partium egregie interpretatus est. Hoc auctore symptomata prodroma inflammationum cerebri revocari possunt ad congestiones cerebrales, incitationem virium mentalium, cephalalgiam, quae tam apoplexiam, quam arachnitidem antecedunt. Symptomata inflammati cerebri vel spasmum denotabunt irritationemque, vel paralysin atque collapsum. Principio cephalalgia est maxime constans, quae sopore oborto disparet ideoque in apoplexia, cerebro gravi somno sopito, non percipitur. Saepius aegri irritabiles, morosi, iracundi, quod symptoma evanuit facta convulsione atque paralysi. Delirium factum est phreniticum, ubi arachnoideae acuta inflammatione tentatae, aut suppuratae, aut durae meningis ulceratae inventa signa sunt. Nempe delirium non a cerebro inflammato est, sed ab inflammata arachnoidea, qua fit vitae cerebri incitatio, similiter atque a pleurae inflammatione incitatur vita pulmonum; ipso contra cerebro inflammato ejus vita mentisque munera opprimuntur atque observantur paralysis, rerum oblivio, coma, stupor. Ubicunque delirium et phrenitis animadvertebantur, morbi initium ab arachnoidea inflammata ductum est. Pariter musculorum aegrotantium vel cum incremento atque irritatione, vel cum decremento, prostratione erant: ab illo subsultus tendinum, convulsiones, tetanus; ab hoc torpor, paralysis: priora in arachnoideae inflammatione, haec in apople-

xia, utraque in encephalitide visa. Convulsiones si cum sensus abolitione a cerebro, si cum sensu integro ab arachnoidea inflammata esse deprehenduntur.

Denique notandum, irregularem morbi decursum fieri ab exacerbationibus et remissionibus sese invicem succedentibus. Quo magis acuta inflammatio, eo magis conspicua symptomata irritationis: tinnitus aurium, soni, lucis intolerantia, pupula contracta, verbo signa incitati sensus, mentis motusque voluntarii. In arachnitide symptomata spastica sine paralysi; in encephalitide spasmi, quos excipit lente sensimque procedens paralysis, siquidem ad eas partes pertinet morbus, quae motui praesunt.

Quemadmodum inflammatio pleurae ut plurimum cum inflammatione pulmonum conjungitur, sic arachnoideae inflammatio saepius cum cerebri phlogosi observata est.

Est ubi arachnitis desinit in encephalitidem, est ubi encephalitis arachnitidem concitat. Prioris exemplum habetur in historia morbi scripto consignata initio Epistolae tertiae. Praecesserant post ictum capiti illatum cephalalgia, rerum oblivio, delirium, convulsiones universales paralysin, quam post diem quartum mors secuta est. Recluso cranio arachnitis utriusque lateris animadversa est, encephalitis lateris dextri. Erat scilicet arachnoidea hemisphaeria recondens opaca, alba, crassissima, strato albuminoso tecta, cerebrum parte in-

dicata ruberrimum. In capitis vulneribus, in phrenitide a caussa externa saepius delirium praecedit paralysin, affectis primo membranis, deinde cerebro.

Raro admodum arachnitis sequitur encephalitidem et tum quidem mentis organon jam graviter laesum ab arachnoidea ita affici nequit, ut delirium concitet. Tunc tantummodo illud fieri potest atque delirium simul cum hemiplegia manifestari, quum arachnitis facta sit ad superficiem hemisphaerii sani ejusque ab hemisphaerio inflammato atque tumente munera non impediuntur. Hoc evenisse videtur aegro decimo octavo, in quo delirium grave rediit die morbi decimo, aliis symptomatibus remittentibus: hisque exacerbatis siluit iterum. Itaque in ejusmodi casibus tempore remissionis observatum est delirium, quo tempore hemisphaerium sanum partim munere suo fungi libere poterat, quia unum hemisphaerium ad actionum mentalium exercitationem sufficere posse videtur.

Postea, anno nim. 1825. suam de hoc morbo monographiam ediderunt Medici Parisienses Parent. Duchateletus et Martinetus, in qua praesertim diagnosin morbi novis, anatome interprete, auxerunt inventis. Nempe delirium tunc tantummodo fieri perhibent, ubi arachnoideae ea pars inflammata sit, quae convexam cerebri faciem tegit: coma contra et convulsiones, ubi ad basin, id est ad par-

tem centralem lobi medii cerebri inflammatio pertineat. Illam inflammationis formam adultis juvenibusque, hanc tenellis infantibus magis peculiarem esse inque eam cadere hydropem ventriculorum cerebri. Illam subinde ad basin usque extendi, unde varia symptomatum syndrome, aut utrasque junctas facere arachnitidem generalem. Cephalalgiam vero utrique esse propriam. Saepe, nec semper tamen, paralysin fieri post factam effusionem seri idque in latere opposito. Saepe cum aliis complicari arachnitidem inflammationibus, mucosis, cutaneis, serosis, iisque obscurari, aut eas obscurare. Interdum intermittentem febrem mentiri: quotidianam, tertianam, quartanam, interdum latere prorsus.

Horum scriptorum sententiae de symptomatum ex varia inflammationis sede discrimine editae postea, ab Abercrombio et Andrallio aegrotantium historiae non favent, quorum uterque symptomatum gravitati non semper respondere inflammationis magnitudinem notavit. Ille animadvertit, quae creditur arachnitis, esse piae meningis phlogosin, aut utramque saltem non posse discerni, aut separari quocum facere videtur Andrallius: denique in observationes Abercrombii notavit Gendrinus, diagnosin uti saepius incerta, ita tunc maxime incertam esse, si ad sedem peculiarem arachnitidis definiendam adhibeatur, etiam aetatem aegrotantium animadverti oportere utque infantibus proprii

spasmi sunt aut convulsiones, sic deliria magis esse adultorum. Vomitum pertinere ad arachnitides ventriculorum aut baseos cerebri aut lobos medios laterales, colli rigiditatem ad partem mesocephalicam, delirium ad lobos anteriores, aut ventriculos, etiam vulgo comitari partis convexae arachnitidem. Duplici ratione invadere vel convulsionum specie, quae infantum, vel febris et cephalalgiae, quae adultorum magis esse consuevit: comata porro et convulsiones alternas agere vices, multumque ex congestione vel leviori, vel graviori esse symptomatum sive irritationis, sive oppressionis cerebralis discrepantiam repetendam: tandem ad duo genera symptomatum quaevis posse revocari, irritationis videlicet cerebri ejusdemve collapsus.

Atque haec summa est eorum, quae ab anatomes pathologicae cultoribus ad explicandam hanc doctrinae medicae partem gesta sunt. Superest ut videamus, qualem tandem habeant utilitatem ad diagnosin, prognosin, therapeuticen phrenitidis constituendas.

Inter symptomata futuram arachnitidem praesagientia ea primo loco notare oportet, quae sanguinis indicant versus caput congestiones, qualia sunt: rubor faciei, oculorum, capitis calor, dolor saepe atrox, cum tensione ad frontem, oculi scintillantes, lacrymantes, narium stillicidium, somni turbati, pervigilium, morositas quaedam, iracundia morumque mutatio, quorsum illud Asclepiadarum

Coorum: *aliquid praeter morem facere, ut verbi gratia aliquid magno studio curare, prius non consuetum, aut contrarium, malum est et delirio proximum* (Coac. 47.) et alterum illud (Coac. 51.) huic affine: *in homine moderato ferox responsum, vox acuta malum.* Porro dolores ventris, pectoris, faucium, aurium punctorii ipsaeque peritonitides, pleuritides, otitides praecedentes, animo simul ex affectu laeto, tristi commoto, inquieto, turbato. Quod ut futurum praevideamus, etiam caussas respicere oportet, aetatem florentem, in feminis puerperium, temperamentum sanguineum, cholericum, ingenium acre, mobile, cerebri plethoram, quam faciunt: ira, insolatio, nocturna aut pocula aut studia, vis externa capiti illata. Ea quae diximus, symptomata prodroma, quae tanquam morbi rudimenta pro futuris ejus signis accipimus, interdum perbrevia sunt, levissima, vix observanda, interdum diuturna et maxime manifesta. Delirium saepenumero praevidimus et praediximus ex iis signis, quae majores tradiderunt: ubi pervigilium haud interruptum accusabant aegri atque anxii esse animoque commoto videbantur, vultu rubente, oculis scintillantibus, lingua volubili. Increscit increscente morbo fitque delirium ferox, furibundum (θηριῶδες) in quo risus, clamor, cantus, vociferatio, fletus, sermones multi magnaque corporis jactatio, ut ex lecto exsilire cupiant: rursusque taciturnitas, tremores, convulsiones tandemque delirium mite, tran-

quillum, sopor, coma, paralysis, quae brevi mors sequetur. Interim pulsus crebri, duri, vibrati, saepius contracti, spiratione magna et rara (πνεῦμα μεγὰ ἀραῖον) aut etiam imbecilli, vacillantes, respiratione brevi tandemque stertorosa: haec virium renitentium cordis et vasorum rationem sequuntur, quae ubi cerebrum ipsum inflammatum sanguineque oppletum est, obscurari, aut opprimi solent.

Caeterum non alius morbus est magis varius et mutabilis: quo magis juvat, singula accuratius persequi, ne fraudem faciat medico. Inprimis ad cerebrum ejusque munera animum advertere oportet, neque quamdiu capitis vel levior aegritudo supersit, curas seponere. Interdum ubi omnia in vado esse videbantur, mors inopina aegrum sustulit. Delirium ferox saepe excipit mentis serenitas, quam deinceps iterum furor sequitur. Rem docet haec SWIETENII nostri observatio. » Hortulanus tertia phrenitidis die cum tacite deliraret et floccos legeret, derepente lecto exsiliit et celerrimo cursu adscendit in superiorem domus partem, deque fenestra praecipitem se dedisset miser, nisi uxor advolans retinuisset, dumque illa cum marito luctatur et vicinos in auxilium vocat, convellitur aeger et moritur subito." Talem mutationem excitans animi pathema, ira verbi caussa, interdum provocat, quod militi illi accidit, cujus historiam aliunde ductam refert LALLEMANDUS Epist. III. pag. 382 sq.

Febris, quam oppresserat morbi magnitudo, emicat denuo post largas sanguinis depletiones, nec raro perpetua est visa erethismi atque narcoseos visissitudo: cerebro jam irritato, jam oppresso. Nec credatis, encephalitidem esse, ubi comatosus aeger, aut ubi delirus arachnitidem solam accusandam, verum caetera perpendatis atque quae facta aut futura sint, attendatis.

Speciminis loco sit sequens casus, a Stollio relatus, *Rat. Med.* Part III. pag. 209 sqq. » Quis lapsus ab alto sensu motuque orbatus jacet. Deinde ex sopore excitatus, die a lapsu tertia, tremere artubus vehementius coepit et inter assiduos calores febrimque delirare, furere dein: et post remissionem mentisque integritatem, die nona, nova exacerbatio, die decima moritur.

Huic primo cerebrum commotum dieque tertio inflammata arachnoidea, quod indicabant tremores, deliria, febres atque inventum in capite serum, insigni copia inter meninges effusum.

Fit tetanus, trismus, jam aegrotat arachnoidea spinalis. Fit paralysis, jam cerebrum morbo laeditur, quae si subitanea incidit, pupula dilatata, immobili omnique sensu motuque abolitis, spiratione stertorosa, haemorrhagia facta est, sin vero sensim fiat, pupula contracta, rigidis paullulum flexisque artubus, neque omni prorsus sensu orbatis, abscessus et emollitio evenisse videntur. Coma et paralysis fiunt post aliquam symptomatum remissio-

nem, jam cerebro emollito, id est suppurato, mors foras pulsat. Ex sopore delirium, convulsio, agitatio, clamores: ab encephalitide succrevisse arachnitidem conjicimus. Sopores, deliria, convulsiones verbo symptomata irritationis cum symptomatibus torporis mixta sunt: utrumque et encephalon et ejus involucrum serosum male habere judicamus, qualis miscela in hydrocephalo acuto infantum in primis cernitur. Cephalalgiae sunt continuae cum sensu ponderis, motibus convulsivis, subinde epilepticis, mentis imbecillitas, infirmitas virium diu perstantes: in chronicam speciem transiisse morbum, nec immerito arbitramur.

En A. A.! quomodo singulas notas ex cognita morbi historia aliorumque nostrisque observationibus explicamus. Nec statim tamen, ubicunque deliria et febris, accusanda est arachnoideae inflammatio. Saepenumero congestio tantum suberit, atque irritatio, quae tamen nisi caveamus, in veram phlogosin mutabuntur. Delirium observavi symptomaticum in febrium intermittentium illo stadio, quod caloris dicitur sustulique si gravius et gravior in cerebrum congestio, sanguinis facta ipso hoc tempore non topica tantum, sed universali per venaesectionem depletione. Sympathicum observavi in febribus gastricis; observaverat praesertim Stollius, atque emetico non semel, et quam brevissimo quidem tempore, sustulerat.

Quae deliria febrilia quomodo a phreniticis dis-

cernamus docuit Celsus, his quidem verbis: " Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione aegros desipere et loqui aliena. Quod non quidem leve est neque incidere potest, nisi in febre vehementi, non tamen aeque pestiferum est: nam plerumque breve esse consuevit levatoque accessionis impetu protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud desiderat, quam quod in curanda febre praeceptum est. Phrenitis tum demum est, cum continua dementia esse incipit, aut cum aeger quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vagas imagines accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est. *Med.* lib. III. cap. 18.

Simplices purasque jam spectavimus arachnitides, in quibus aliquae semper cerebri sive irritati, sive inflammati erunt partes. Quae quo magis ab ipsa cerebri inflammatione erunt immunes eo magis suas notas ostendent ab encephalitidis symptomatibus distinctas. Utrasque inter se comparavit Pinellius *Nos. Phil.* II. §. 399. easque ibi tunc praesertim cum fructu legetis, si cum iis quas recte posuit Lallemandus quasque supra tradidimus conferatis. Nolite tamen credere, simplices adeo et puras aegro obvenire. Ut plurimum longe aliter rem se habere comperiemini. Nempe aliud quid est, morbos e systemate Nosologico et libris dogmaticorum cognovisse, aliud ipsos observasse. Analytica methodo opus est, ut singula rite discernamus. Deinceps ad aegrorum lectulos

revertendum est, ut multas variasque notemus syntheses naturae. Istae in hoc quoque morbi genere multiplices sunt. Cogitetis quaeso et corpora, in quae cadit, et caussas, unde proficiscitur. Illa non tantum sanguinea sunt, plethorica, verum cholerica, irritabilia, mobilia, immo phlegmatica, aut lymphatica etiam, quae cuncta nonnullis caussis objiciuntur, ex quibus arachnoideae phlogosis praesertim accenditur, quales sunt ictus, vulnera, lapsus, casus ab alto, ne alias commemorem. Quot igitur genera corporum et capitum, tot genera symptomatum, quae morbum non facient quidem, variabunt tamen mirifice inque sanguineis acutiem, in lymphaticis tarditatem ei conciliabunt, in mobilibus ataxiam denique. Reliquae caussae: insolatio, puerperium, nocturna aut pocula, aut studia vel systema hepaticum simul laedent, vel digestionis officinam universe, ut mirari desinatis, biliosas et gastricas, quae dicuntur complicationes caeteris crebriores evenire, praecipue si addatis, morbum esse aestatis et regionum praesertim calidarum. Scripto consignavit has complicationes Stollius, nec sympatheias omisit, utut non omnes, quas pro tulit, huc referrem easque nequaquam neglexit Lallemandus, cui tamen non assentiar, febres comites ab hac potissimum complicatione repetenti, Ep. II, pag. 230.

Iterum hoc fine percurramus aegrotantium historias ab anatomès practicae auctoribus relatas.

Adolescens, cujus historia primo loco a Morgagno memoratur, ex lenta eaque maligna, ut vocant, decumbebat febre, cui circa octavum diem delirium ingens accessit. Alter casus viri ad phlebitides, sive inflammationes sinuum cerebralium videtur pertinere, de qua Cruveilhierius, *Anat. Pathol. Hom.* Bajulus febre ardente laborabat. Ejus, qui sequitur, febris magna dicitur, delirat, oculi lucent, pulsus est vehemens. Hi casus Valsalvae.

Sequuntur Morgagni. Senex octogenarius post varia, sed levia valetudinis incommoda, coepit delirare ac tremere atque intra biduum stertore superveniente, simul delirandi et vivendi finem fecit. Figulus sexto demum morbi die deliravit. Huic et alteri viro cannabis carminationi incumbenti, primo facta est pleuroperipneumonia. Anus leviori febre correpta est, quam cum Peruviano Cortice medicus pervincere se posse sperabat, in acutam cum vaniloquio ea degeneravit.

Itaque harum historiarum nullam ad arachnitidem protopathicam pertinuisse videtis, quam si aliorum etiam observationes pervolvatis, perquam raram esse deprehendetis. Animo igitur complecti debemus vulgaria morborum cum arachnitide connubia. Illi tum gastrici sunt biliosi, tum serosarum aliarum phlogoses eumque concursum tunc maxime timere oportet, quum quae caput afficiunt caussae: animi commotiones, curae vigiles, studia aut pocula nocturna, imprudens narcoticorum usus

inciderint. Has complicationes sua manifestabunt symptomata, deinceps enarranda.

Quod denique difficultatem diagnoseos auget, illud est, quod non minima pars arachnitidum ex genere chronico est, uti testantur memoratae ab auctoribus aegrotantium historiae quaeque morbum praecesserunt, cephalalgiae aliaeque capitis affectiones diuturnae. Earum autem quo magis chronicus decursus est, eo minus expressa forma. Delirium ferox in acutis, levis est desipientia, mentis imbecillitas, oblivio rerum in chronicis: subinde intra capitis dolores, hemicranias, vertigines res subsistit. Spasmi ac convulsiones perobscurae sunt, subinde epilepticae, aut affecto cerebro, carebaria, artuum infirmitas, torpor, ignavia quaedam. Praeterea notare oportet, phlebitidem cerebralem sinuum praecipue durae matris, cujus mentionem fecit Cruveilhier *An. Path.* Liv. 8. cujusque cognitio anatomica longe perfectior est eodem hoc auctore animadvertente, quam cognitio practica. Etenim somnolentia, coma, convulsiones, stupor, cephalalgia, capitis quidem affectionem denotant, nec probe tamen ab aliis affinibus distinguunt. Casus, quos commemorat Cruveilhier, parvulos spectabant isque, cujus hoc loco traditur descriptio, puellae est, quatuor annos natae scrofulosae. Ejusdem generis fuisse videtur morbus viri adulti, quem a Valsalva observatum *Epist. Anat. Med.* VII. art. 4. tradidit Morgagnus. Pleu-

roperipneumoniam sequebatur delirium, quod febre magis semper augescente ad mortem usque perdurabat, i. e. ad diem undecimum. In durae meningis singulis majoribus sinubus singulae erant concretiones polyposae.

Praesagia plurimum differunt, ut differunt in singulis conditiones. Universe tamen prognosis minus fausta, licet non desint exempla morbi perfecte sanati etiam tum, quum cerebri inflammati, immo emolliti conspicua extarent signa: et sanati quidem per curationem antiphlogisticam. In acuta arachnitide primo loco notandum est delirium, quod si ex feroci fiat mite, tranquillum, si stupor accedat, coma, paralysis, si praeter voluntatem fiat alvi excretio, si urinae guttatim effluant, mors in propinquo est, quam incipientem indicabit respiratio stertorosa. Neque symptomatum subitaneae remissioni multum fidendum est, quam inopinato saepius excepit symptomatum exacerbatio et mors. Quamdiu supersit cephalalgia, utut reliqua mitescant symptomata, recidiva imminet.

Naturae molimina in hoc morbo plura animadversa sunt, quorum alia ad alios casus aliaque corpora referenda videntur. Acutae arachnitidi tollendae aptissima sunt profluvia sanguinis, sive e mucosa narium, sive e mucosa uteri, per menstruam purgationem in feminis, Hujus mentionem fecit Cous Epid. I. Const. 3. nec non Epid. III. aeg. 11 et sq. eaque tum jure expectabitur, quum

a fluxu menstruo retardato, imminuto, suppresso arachnitis originem duxerit, quales casus apud auctores de re medica prostant.

Haemorrhagia narium critica quibusdam praenotatur signis: capitis dolore, visus hebetudine, scintillis ante oculos obversantibus, praecordiorum quadam contentione, cervicis dolore, temporum gravitate, faciei rubore, oculis lacrymantibus. Haec sequitur haemorrhagia critica, die 5°., 7°. eaque larga, morbum levans, somno crisin firmante. Ipsam arte et quidem eventu fausto suscitavit ZACUTUS LUSITANUS, *Prax. Med.* lib. I. Obs. 13. Prosunt etiam varices et haemorrhoides, tum sanguinem a capite revellendo, tum revocando easdem suppressas, tum forsitan in diathesi corporis venosa. Notatur praeterea alvi profluvium criticum, quod in primis proficuum erit, quum suberit complicatio gastrica. In rheumaticam cadit denique crisis per sudores, praecipue capitis, cujus apud GALENUM fit mentio.

Phrenitis morbus est ex acutissimis (acutam volumus) ut cito mors sequatur, aut sanatio laeta. Mors a capite incipit, monstrantibus convulsionibus, apoplexia, paralysi. Aut desinit in maniam, quandoque brevem, morbi fugientis umbram, quandoque gravem, insanabilem, exsudata lympha plastica, membrana crassiore reddita. Illam animadvertit SYDENHAMUS, Opp. pag. 525 sqq.: hanc STOLLIUS *Rat. Med.* Tom. III. pag. 198; aut in lethargum, coma, facto abscessu, emollitione cerebri,

Caeterum inter signa ominosa numerantur: vomitus aeruginosus, cerebro commoto, inflammato, vulnerato, sputatio frequens et indecora in adstantes, tremores, alvi, urinarum retentio aut cruditas, convulsiones, floccorum volitantium venatus, oculi splendore orbati, pulverulenti, fixi, alter altero major, pupula dilatata, immobilis, perpetua manducatio, os spumosum, deglutitio laboriosa, sonora, tussiculosa, suffocans, dentium stridor, vox rauca, tremula, clangosa, adipsia, perpetua symptomatum pravorum permutatio, ulceris livor, pallor, subsidentia, exsiccatio.

Haec veterum praesagia recentiorum scientia forsitan poterit explanare.

Vomitus praesertim in capitis laesionibus observatur, cerebrum commotum, ut vidimus indicat, et hepar consensu affectum. Oculorum adspectus tristis, mutatus, pupula dilatata, immobilis, urinarum retentio, sunt apoplexiae et haemorrhagiae cerebri symptomata. Cujus etiam loci est perpetua manducatio, os spumosum, deglutitio laboriosa, sonora, tussiculosa, suffocans, quae nervi vagi provinciam jam occupasse atque invasisse morbum designant. Nervi trigemini portio minor ad musculos manducationis pertinens, ex latere pontis Varolii emergit, eo maxime loco, ubi cum cerebro committitur medulla oblongata: hinc perpetua manducatio hanc commissuram jam affectam testatur. Nervus vagus ab ipsa medulla oblongata enascitur: hinc

quum nervus ille ad pharyngem atque oesophagum ramos dimittit, deglutitio laboriosa, sonora, tussiculosa, suffocans, quod pessimum signum, quippe altius penetrasse et profundiorem quandam sedem occupasse morbum denotans. A medulla oritur nervus accessorius s. vocalis: hinc vox rauca, tremula, clangosa ipsaque aphonia, quod signum lethale. Quodsi nervus accessorius, ut quibusdam visum est, pars motoria vagi haberi debeat, ejus radicibus paralysi tactis cum deglutitionis, tum vocis motus perturbari necesse est hisque laesis praesagia esse perquam ominosa.

Ulceris eapropter mentio fit, quia saepe a capitis vulneribus arachnitis oritur; hoc livente, pallente, subsidente, sicco, vitam extingui tenendum. Secundariam, sive deuteropathicam phrenitidem quod attinet, si encephalitidem sequatur, aut peripneumoniam, aut variolas, aut ileum lethalis habetur, tam propter morbum gravem gravi morbo superadditum, quam propter viscerum nobiliorum valetudinem: inque altero casu, peripneumoniae scilicet, ob impeditum sanguinis circuitum, in tertio denique variolarum, propter turbatum legitimum exanthematis cursum. Nam solet tunc temporis non rite intumescere facies illudque, auctore SYDENHAMO, praesertim fieri ob regimen justo calidius.

Pessima denique deliria μετὰ σπουδῆς, aut περὶ ἀναγκαῖα medicis COIS, recte dicta sunt, quippe majorem

arguentia cerebri, mentis organi, laesionem, quod et ipse in aegrotantibus delirantibus semper expertus sum.

Ultimo tandem loco reprobatur perpetua symptomatum pravorum permutatio (*Prorrhet.* 28. *Coac.* 101.) Si aegrotantes jam ferociter delirant, clamant, vociferantur; de lecto desiliunt, jam tacite et immobiles decumbunt, jam rident, jam lacrymantur; cognoscitur inde delirii magnitudo morbique per omne cerebrum vagantis omnesque nervorum origines percutientis gravitas et extensio. Quare medici Coi in phreniticis initio moderatum esse, crebro vero permutari malis signis adnumerant. *Prorrhet.* 12. *Coac.* 92.) et alibi (*Prorrhet.* 28. *Coac.* 101.) crebras in phrenitide permutationes convulsivas esse ac pravas praecipiunt, quemadmodum contra in phreniticis somnia manifesta (quae ab aegro distincte commemorantur, in quibus ordo aliquis et concentus cernitur) ex bonis signis esse reputant *Prorrhet.* 5. *Coac.* 90.

Phrenitis vera, idiopathica strictam postulat et diaetam et medicinam antiphlogisticam. De illa praeclara sunt veterum Aretaei, Celsi, Caelii Aureliani, Alexandri Tralliani praecepta. Aegrotum cubare convenit, ita Aretaeus de *Morb. Acut. Curat.* lib. I. cap. I. in conclavi mediocris amplitudinis, aëris temperati, hyeme tepidi, aestate frigidioris. Deinde quiescere oportet et aegros et omnes domesticos, acute namque audiunt phrenitici

et strepitibus irritantur, nec non ab iis in furorem aguntur. Parietes leves sint, aequales, neque picturis ornentur. Pictura enim parietum mentem turbat; nam prae oculis falsa quaedam simulacra obversantur. Stragula, vestes glabrae sint. In molli lecto decumbant, nam durum stratum nervis ingratum est. Non minime autem inter caeteros aegrotantes nervis laborant phrenitici; facile enim convelluntur. Amicissimi eos invisant, fabulae et sermones animum ne vellicent: cum delectabilia omnia esse oporteat, illis praecipue, quorum iracunda insania est. Utrum in tenebris, an in luce habendi sint, ex morbi natura conjicere debemus, nam si lucem aut quae in luce sint extimescunt, obscuro loco eos continere praestat; sin secus se habeant, lucido. Bonum est autem ad lucem resipiscere placarique insaniam.

Hisce Celsi monita adjungam. Hic ex insanientibus, inquit, eos qui intra verba desipiunt, aut leviter etiam manu peccant, onerare asperioribus coërcitionibus supervacuum est. Eos vero, qui violentius se gerunt, vincire convenit, ne vel sibi, vel alteri noceant. Neque credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum se jam esse fingit, quamvis prudenter et miserabiliter loquatur, is enim dolus insanientis est. Adversus eorum animos gerere se pro cujusque natura necessarium est. Quorundam vani metus levandi sunt, quorundam audacia coër-

cenda, quorundam etiam intempestivus risus objurgatione et minis prohibendus est. Quorundam discutiendae tristes cogitationes. Saepius tamen assentiendum, quam repugnandum est, paulatimque et non evidenter ab his, quae dicuntur, ad meliora mens abducenda est.

Jacere oportet, ita AURELIANUS, phreniticos in loco devio, ne aliqua transeuntium voce pulsentur, fenestris altioribus luminato. Saepe enim in hac passione constituti, alienationis caussa se praecipites dederunt. Sit etiam lectus omni ex parte firme locatus, ut cum fuerint impatienter jactati, vel necessitate cogente devincti, lectus immobilis perseveret: foribus etiam atque fenestrae aversi sint aegri, ne ingressu hominum asperentur; eos vero, quos metu aut verecundia coluerunt, per intervalla intrare permittimus; parit enim frequentia contemtum. At si exsilire de lecto videmus, prae furore, melius erit plurimis uti ministris, sed qui possent lenitate tenere, vel si defuerint, ligationibus utimur, sed praetextis lana aut veste locis, quos vinculis nectimus, ne major utilitate quiescendi imprimatur vexatio; ligationibus etiam immodice constrictae necessario tumescunt partes, propterea insuper extenditur passio.

Hisce prudentissimis veterum monitis illud quoque addatis Celeberrimi Medici QUARINI: attendendum scilicet esse, ne aegri quibus instituta fuit venaesectio, fascias aut ligaturas solvant, unde haemorrhagia fieret lethalis.

Curatio antiphlogistica stricta sit, per depletiones sanguinis largas, repetitas, generales, topicas, e pluribus simul locis. De medicina antiphlogistica in hoc valetudinis genere adhibenda animadvertendum est, a multis e priscis et recentioribus medicis eo nomine peccari, quod phrenitidem symptomaticam ab idiopathica non probe discernentes, hujus curationem non satis apte proposuerunt. Est phrenitis inflammatio gravissima A. A.! validissimis oppugnanda antiphlogisticis, nec committendum, ut symptomatibus nervosis abducamur. His enim subest capitis phlogosis. Etenim encephalo affecto ipsum afficitur genus nervorum, utque epilepsia et convulsiones a plethora nasci et venaesectione tolli posse docuerunt cum alii, tum STOLLIUS medendi arte clarus, sic symptomata nervorum in phreniticis, sanguinem cerebrum sive irritantem, seu opprimentem accusarit. Nullus namque morbus est, in quo tantopere cavendum, ne falsa debilitatis specie imponamur, nullus in quo saepius subest oppressio virium, nullus, qui nervinis irritantibus remediis tam crebro exasperatur. Hinc illa lacrymae! Quidquid igitur clament adstantes, aut medici naturae tyranni, a vino, camphora, moscho, opio, tanquam a venenis in hoc morbo abstinendum erit. Vultisne exempla, pervolvite quaeso fastos medicae artis, perpendite aegrotantium historias et videbitis ab una parte mirandas phreniticorum fere conclamatorum sanationes, ab altera symptomatum exacer-

bationes et tristissima phreniticorum funera, prouti vel illa vel hac methodo pugnatum est.

Inter remedia, quibus medici utuntur, aut abutuntur in hoc morbo curando, primo loco pertinent emetica, propter linguae conditionem et colorem mutatum, affectionem gastricam subesse putantes. Inde graves saepius concitatae sunt noxae. In aegro nono Epist. II. Lallemandianae emeticum magna et vehementia provocavit vomendi conamina. Secutae sunt convulsiones, hemiplegia et mors ipsa, tertio abhinc die. Mucosa ventriculi et intestini tenuis recenti erant inflammatione tactae. In alia aegrotante ab emetico eandem ob caussam dato inanes conatus vomendi, vomitus, convulsiones, delirium grave, paralysis universalis, mors eadem nocte acciderunt. Ventriculi mucosa inflammata cernebatur. Par in aliis eventus eodem loco notatus. Ita enim congestio cerebri aucta et vomitorio, propter paralysin non evacuato, mucosam intestinalem perpetuo irritante, ejus fit phlogosis. Etenim a remedio per vomitum rejecto congestio cerebri, ab eodem retento inflammatio mucosae. Nec minor tonicorum noxa. Aegro undecimo cujus mentio fit in Epist. prima, praescripto caffeae infuso, arnica, spiritu Mindereri, syr. cort. Peruv., paresis in paralysin mutatur, accedunt convulsiones, atque valeriana, arnica, camphora datis, tetanus colli. Aeger decimus quartus Epist. I. postquam

sudorifera, purgantia, tonica erant adhibita, manifestam ostendit post obitum mucosae intestinalis inflammationem. In aegro sexto, Epist. I. post assumptum C. Peruv. extractum et camphoram symptomata continuo increverunt. Interdum alternatim antiphlogistica et stimulantia adhibita sunt, ut in aegris 7, 19. Epist. I. et 14, 16. Epist. I. post illa levamen, post haec incrementum animadversum est. In primis vero hujus curationis utilitas eminet in casibus ab auctore deinceps traditis. in quibus stricta methodus antiphlogistica perfectam quam brevissimo tempore attulit sanationem. A qua curatione tunc praesertim bene augurari licebit, quum adhuc symptomata spastica, utut levissima supersint: hisce evanidis vix ulla spes relinquitur et venaesectionibus largis repetitis (novem demum servari potuit Rex Ludovicus XIV. quum inter venandum ex insolatione in phrenitidem inciderat) adjungendus est usus glacieï, affusionum aquae gelidae atque derivantium: vesicatorii, cauterii, moxae.

Denique tenendum est, neque pallorem facieï, neque delirium mite, neque virium adparentem imbecillitatem vetare methodum antiphlogisticam et post sanationem diu ita moderandum esse regimen vitae, ut ab omnibus rebus caveant aegri, quae congestiones versus caput possent renovare.

Breviter jam perstringenda est curatio phrenitidis sympathicae, aut complicatae. In hac antiphlogis-

tica curationis pars prior sit alteramque antecedat oportet. Illa varia est, prouti varia fuerit morbi natura et origo symptomatum. In hanc speciem solam illa conveniunt remedia, quae ab auctoribus medicis male ad phrenitides veras referuntur: emetica, aut emeto-cathartica, in morbo bilioso aut bilioso-gastrico; in rheumatica phrenitide vesicantia eaque larga nuchae imposita, in ea quae febres nervosas comitatur, camphora, moschus, vinum, in spastica affectione opium, quod etiam delirio trementi opponendum judicarunt medici, qui de eo scripserunt, licet mihi saepius plus prodesse visum sit acetum á Boerhaavio vini antidotum dictum. Ad hos pariter phrenitidis casus pertinent sanationes vi musices, aut poeseos peractae, quarum exempla proferunt Stoll, *Rat. Med.* P. III. pag. 242. et Pinel, *Nosogr. Philos.* T. III. pag. 390.

Utrum Hydrocephalus acutus ad arachnitidem, an ad encephalitidem pertineat, virorum doctorum dissensio est. Nobis arachnitis maxime ventriculorum et baseos cerebri esse videtur, una cum cerebri sive congestione, sive irritatione, sive inflammatione. Caeterum symptomata non admodum differunt ab iis, quae descripsimus. Saepe initio morbum gastricum mentitur: nec desunt tamen cerebri affecti signa: morositas, incessus difficilis, cespitatio, vomitus, somnolentia, carebaria, et praeter haec urina sedimento albo, punctis cry-

stallinis, qualem saepius vidi: accedunt convulsiones, coma, paralysis (pupulae dilatatio, strabismus) mors.

Caussae habentur cerebri evolutio, capite globoso, cucurbitaceo, prominente fronte, phlegmasiarum cutanearum intempestiva sanatio (crebro genus strophuli cernitur). Curatio antiphlogistica refrigerans, revellens, per venaesectiones, hirudines, mercurium dulcem magna dosi, cui, urinis parcius fluentibus, digitalis tantillum adjicitur: fomenta frigida, inprimis vero frigidae ac repetitae capitis tonsi affusiones, quibus etiam post factam lymphae exsudationem, ex mortis periculo eripi posse aegrotantes, testatur clarus Berolinensium Medicus Jo. Ludov. Formey, in ea, quam, de gravi hoc infantum morbo opusculis suis inseruit, Commentatione.

DE ENCEPHALITIDE.

Praeclare nobiscum medicis actum est, quod etiamsi aegris medicinam facere teneamur, tamen quaecunque in aegris fiunt, explicare non tenemur. Siquidem tanta est de inflammationibus capitis virorum doctorum opinionum discrepantia, ut quomodo eas interpretaturi placeamus omnibus atque ex tot tantisque difficultatibus nos expediamus, nescire nos plane fatendum sit. Nam cum

nuper de cerebri morbis numerosa edita sunt medicorum principum scripta, alios si audiamus, cunctos hos morbos ab una inflammatione repetendos esse crederemus, alios contra sequuti, miram adeo harum inflammationum paucitatem esse existimaremus, ut ipsum encephalitidis nomen pronunciare vereamur; quaecque alii pathognomonica ipsius maximeque peculiaria symptomata celebrant, eadem ab aliis tanquam infida prorsus, fallacia, aut dubia saltem declarentur: nobisque propemodum ex observationum cumulo emergentibus cum Comico Veteri exclamandum sit: *fecistis probe, longe incertiores sumus, quam dudum.*

Sed studio animique contentione adhibitis poterimus forsitan comparando et perpendendo observationes ad aliquam pervenire hujus inflammationis notitiam. Et primo quidem eae observationes ante alias seligendae sunt, in quibus vis externa capiti illata morbum provocavit, in corpore juvenili, robusto, non valetudinario, aut senescente, tum auctorum etiam opus est accurata diagnosi, an nullo partium studio ducti nullique adhaerentes doctrinae scripserint, an testes fuerint, et rerum periti et veraces, an scripserint mente neque in dogmatismum, neque in scepticismum proclivi, quorum omnium indicia extabunt in scriptis minus, quam morbi ipsius, de quo agitur, obscura.

Ex iis auctoribus, qui hanc inflammationem nuper exposuerunt, in primis nominandi sunt ABER-

crombie Lallemand et Andral, quorum prior, qui Anglorum mos est, empirice, alter dogmatice, tertius sceptice rem tractavit. Incipiamus a Lallemando, cujus de cerebri morbis Epistolae, praestantis doctrinae acutique ingenii opus, pluribus locis Morgagnianas Epistolas in mentem revocant, et si aliis locis ab hisce recesserint, id praesertim ei qua suas edidit Morgagnus aetati tribuerimus, ut hae senectutis referant maturitatem et reconditam vitae artisque usu sapientiam. Lallemandus igitur, raro his nostris temporibus exemplo, experientiae propriae alienam adjungens ingeniumque adferens doctrina excultum, varias variorum observationes comparavit, nec numeravit, sed perpendit atque feliciter interpretatus est.

Ex morbis cerebralibus unus est creberrimus, quamvis non ita pridem descriptus et a reliquis distinctus, emollitionem vocant, de cujus natura magna inter eruditos dissensio est. Ab ea describenda initium ducit Lallemand et collatis inter se aegrotantium historiis, inflammationem esse probare conatur. Primo scilicet, congestione sanguinis, aut effusione etiam emolliri pulpam cerebri, deinde facto pure flavescere, deliquescere, aut humoribus absorbtis indurescere rursus, ulcusque aut abscessum cicatricem ducere, interdum ossis naturam adsciscere, quas ejusdem morbi phases mira sagacitate persecutus est ostenditque vir praestantissimus.

Nec minori mentis acumine ex morbi in mortuo vestigiis illius in aegro symptomata explicuit singuloque signo, tanquam praeclarus interpres naturae, suum tribuit sensum, aliorum simul observationes egregie explicans. Haec quum magna animi voluptate legissem virique inter paucos summi miratus essem ingenii magnitudinem, ecce incido in alios magni nominis viros, quos de eodem morbo tractantes audio historias contrarias narrantes, in quibus fuit emollitio, nec fuere inflammationis vel levissima signa quaeque iis caruere symptomatibus, quae tanquam emollitionis cerebralis propria citaverat Lallemandus, alias contra, quae symptomata obtulere emollitionis, nulla emollitione detecta, atque contendentes, cerebri aut inflammati, aut emolliti nulla esse constantia signa et prorsus de diagnosi encephalitidis esse desperandum. Tum ego, qui neque dogmaticus, nec scepticus esse, sed academicus cupio, verum et curans et quaerens, singulas rationes conferre et ponderare coepi et praecipue Morgagni observationes cum recentiorum observationibus comparare, quibus cum comparationibus, tum ratiociniis quae didicerim, accipite.

Distinguendum est inter eos casus, qui *plerumque* et inter eos, qui *nonnunquam* observantur, neque ab exceptionibus notandis incipiendum est, verum a regulis tradendis.

Hanc viam sequuti videbimus plerumque ea ob-

servata esse signa, quae partim a Morgagno, partim ac praecipue quidem a recentioribus interque eos a Lallemando potissimum sunt tradita: cujusmodi sunt cephalalgia, convulsiones, contrecturae artuum, paralyses in latere opposito maxime ac denique coma, quod presso pede utplurimum mors sequitur. Hisce aliquando, at minus constanter, vertigines, surditates, anaesthesiae, pupillarum contractiones, oculorum distorsio, strabismus, artuum imbecillitates, stupores, hebetudines, rerum oblivio, lapsus memoriae, tristitia, apathia, vomitus, loquelae vitia accedunt, quae sicubi accedant, certiorem facient diagnosin, praesertim cum illae praecesserunt caussae, quae laedere cerebrum solent: ictus capitis, lapsus ab alto, ebrietas, insolatio, vigiliae, studia nocturnaeque lubricationes, animi pathemata, cutis, faciei, aut meningum cerebralium valetudo, ea tenellorum aetas, qua cerebrum explicatur, suppressae narium, ani, genitalium haemorrhagiae et in feminis puerperium.

Ea symptomata multum variant, nec unquam notantur universa, verum etsi universa non contingant, contingunt tamen aliqua, ex quibus cerebrum aegrotare cognoscimus. Id ut intelligatis, legite quaeso ac relegite priores Morgagni Epistolas easque cum prioribus pariter Epistolis Lallemandi comparate. Sic habebitis encephalitidis imaginem animo infixam atque ad aliorum: Abercrombii et Andrallii praesertim historias legendas acceden-

tes, ex hisce magis etiam proficietis et pleniorem acquiretis harum aegritudinum cognitionem, quam si ab his incipientes ad priores illos transeatis.

Itaque si post eas, quas memoravimus caussas, vel capitis dolor prehendat, vel vertigo, vel hebetudo, vel artuum quaedam imbecillitas sensusque aut motus tarditas, cum spasmo, aut convulsione, aut rigiditate, aut contractione digitorum, manuum, brachiorum, crurum, quae somnolentia, sopor, coma sequi solent, magna neque levis suborietur suspicio cerebri aegrotantis. Rarius cito aggreditur aegros, apoplexiae more, hemiplegiae, paralyseos, crebrius lente subrepit, imbecillitatem virium praetexens; interdum continuo increscit malum, interdum per vices decrescere, remittere, imo intermittere videtur atque aegros, quos convalescere jam rederetis, nunc convulsione, nunc sopore confectos, nec opinantes mirantur medici: quod ne miremini, facient e longinquo provisa et praedicta morbi fraudulenti pericula. A Morgagno aliquot notatas reperietis aegrotantium historias, quae encephali phlogosin spectant, quasque breviter percurrere fert animus.

Prima observatio, eadem quam primo loco citat Lallemandus, haec est. Mulier Patavina Jacoba nomine, Angeli Zanardii uxor, cum annum ageret undesexagesimum, apoplexia correpta est. Huic gravis supervenit febris. Ob haec in Nosocomium illata, dies ibi aliquot superstes fuit. Etsi

loqui non poterat, tamen primo quidem die intelligere videbatur; nam sanum brachium medicis tentandum ultro praebuit. Id erat sinistrum. Dexteri autem artus ut sensu, ita etiam motu carebant: videbanturque insuper quasi a convulsione contracti. Sic et oculi dextri connivebant palpebrae, ut fere clausus appareret. Facies rubebat. Sorbitio difficilis non erat.

Mortua muliere, dum cranium secabatur, serum non paucum prodiit. Illius fornice sublato, cerebrum sua in sede persecantes primum quidem duram meningem crassiorem animadvertimus. Per alteram autem meningem vasa omnia sanguine, non secus ac si usus essem injectione, multum distenta. Erat is sanguis ater, nec valde fluidus. Sub eadem meninge conspiciebatur in cerebri anfractibus aqua pellucida; fuit haec in plexu sinistro, quo sublato animadverti, thalamum nervi optici non eo, quo dexter, naturali esse colore, sed fusco. Tunc assulatim cerebrum dissecando, hujus quidem reliquam omnem substantiam reperi quam optime constitutam; sed quae a latere externo thalami, quem memoravi, sinistri erat substantia medullaris, ea permollis et quasi liquata ac permista cum cruento quodam, sed obsoleti coloris, humore deprehensa est, ut nihil nisi gravis odor deësset, ut plane fracidum pronuntiares. Occupabat id vitium paulo plus loci, quam a maxima nuce juglande occupari potuisset eratque color ille cruenti-

humoris in ejus medio manifestior. Fuit autem res eo facilius animadvertenda, quod cum cerebrum alibi suo colore esset, nec cerebello tantum durius, sed mira quadam ubique et praesertim in toto dextero hemisphaerio duritie praeditum; in illo uno, quem designavi loco, subcruentum colorem et substantiam quasi diffluentem habebat.

Apostema sui generis fuisse hoc credo, agnoscente etiam AVICENNA apoplexiam a repletione apostemante, cujus vim in proposita muliere effusa aqua et distenta sanguine vasa augebant. Accidit autem apostema circa eam sedem, in qua plerumque magnas, quae in apoplecticis occurrunt, organicas noxas inveniri, alias indicavimus. Porro noxa in eo cerebri hemisphaerio inventa est, quod resoluto corporis lateri oppositum erat.

Huic suppar est, quam NICOLAO MEDIAVIA prosectore publico exponente, narravit.

Senem, qui ex cruris ulcere laborabat, repente capitis dolor prehendit. Cum cerebro aliquid instare periculi videretur, ei statim mane sanguis est missus. Nihilominus hora vigesima ingruit apoplexia cum dexterorum artuum resolutione. Huic resolutio accessit inferiorum omnium partium et intra paucos dies mors.

Calvaria exsecta, arteria illa in quam confluunt vertebrales et quae super callosum corpus recta ducuntur, sanguine erant turgidae; reliqua vasa non item. In ventriculo utroque laterali non pau-

ca aqua et plexus choroïdes pallidi. Septum lucidum anterius disruptum. Sed quod maxime in oculos incurrit, omnis medullaris substantia hemisphaerii dexteri valde fusca erat, non sinistri.

Quae laconica brevitate relata est, aegri historia aequum ex symptomatibus judicium ferre non permittit.

Plures praeter has retulit MORGAGNUS aegrotantium historias hoc loco, quae tamen omnes habebant manifestas meningum inflammatarum notas. Quapropter ad alia properamus ab aliis auctoribus petita exempla, primo ad ea, quae Epistolae LALLEMANDI obferunt numerosa, undique collecta, tum ad Abercrombiana et Andralliana progrediemur.

Multus est LALLEMANDUS in singulis hisce exemplis interpretandis et inter se conferendis, qua in re utilem profecto praestitit operam.

Altera observatio, quam post Morgagnianam citat LALLEMANDUS, senis est, in quo levis hemiplegia lateris sinistri cum manifesta musculorum rigiditate, quibus post sex dies exactos coma et respiratione stertorosa facta, mors accessit.

Mendicus, tertio loco commemoratus, paresin brachii dextri patitur, sensu hebes est, tardus motu, praecipue in latere dextro, flexoribus ejusdem lateris rigidis: jam somnolentus, jam agitatus, nunc in fletum, nunc in risum proclivis, post aliquot dies paralyticus et aphonus moritur.

In muliere observationis quartae nascentem mor-

bum praenotaverant idearum confusio, morositas, iracundia; natum manifestabant somnolentia, caecitas, surditas, motus convulsivi, stupor, brachiique convulsio ac pupillarum immobilitas. In sexta aegra a paralysi factum est initium atque insultu apoplectico inque tendinum subsultus desiit. Septima primo linguae vitium, deinde artuum dextrorum, tandem oculorum strabismum obtulit. Octava initio capite doluit, dein brachia convulsa primum, resoluta dein habuit maximeque dolentia. Aeger nonus post contusionem temporis dextri cephalalgiam expertus est, imbecillitatem et dolores artuum, mente debili, sine loquela, pupillis dilatatis, pulsu crebro in Nosocomium deductus, decem diebus exactis, comatosus et apoplecticus defecit. In aegro decimo dolores gravativos occipitis et vertigines secuta est cataphora, hebetudo, memoriae labes, loquelae difficultas, paralysis cum rigiditate flexorum, primum brachii, dein cruris dextri cum doloribus pungentibus, coma altum, aphonia, delirium mite, spiratio stertorosa, mors.

Nec disparia fuere in reliquis symptomata ab aliis etiam visa. Aegra prima Abercrombii vehementem cephalalgiam crebrasque convulsiones passa est, in coma mortiferum desinentes. Secunda epileptice convellitur, tum comatosa fit atque convulsionibus ac soporibus alternantibus, sine paralysi periit. In tertia praeter cephalalgiam et vomitus et strabismus et convulsiones et paralyses et loquelae et

visus vitium et periodida ratio, ut arsenicum a medico, febris pellendae consilio, datum sit.

In puella loquendi difficultas, cum dolore capitis et auris dextrae pulsuque parvo, crebro; sequebatur convulsio in dextro, paralysis in sinistro latere, coma, mors. In viro juvene paralysis, delirium, coma, ore oculoque contortis. Hic inter deliria et convulsiones occubuit.

Ex iis, quas notavimus, observationibus videri posset, in tanta symptomatum varietate, esse tamen quaedam huic morbo peculiaria signa. Verum Andrallius casus profert emollitionis sine signo aut symptomate eam denotante. Primus senis est octogenarii dyspeptici, intellectu paululum hebetiori, sine dolore capitis, motu sensuque integris, adynamia ut videbatur extincti, cujus hemisphaerium cerebri sinistrum emollitionem ostendit, sine phlogoseos notis. Secundus viri dyspeptici, postea hydropici, nullo, neque intellectus, nec motus vitio affecti. In cerebro, ventriculo, colo, liene emollitio, in hepate carcinoma fuit, nullaque alia in cerebro reliquo mutatio. Senex pariter carcinomatosus cerebrum obtulit pariter emollitum pluribus locis, nec tamen inflammatum. Quartus phthisicus fuit, qui periit mentis compos, nullum nec sensus, nec motus vitium monstrans.

Sequuntur observationes, in quibus motus tantum vitiatus fuit, membris nunc rigidis, contractis, nunc flexilibus. Aliquando praecesserunt congestio-

nis cerebralis signa paralysin, aut hemiplegiam; in aliis tetani signa. Tum alias protulit, in quibus cum motu etiam sensus laedebatur, nunc capite nunc artubus saepius acute dolentibus, motu alterutrius lateris tardiore ac pigro, sensu formicationis, convulsionibus, spasmis cumque neuralgiis etiam torporibus praecipue lateralibus cerebri valetudinem subindicantibus. In uno casu solum loquelae vitium fuit, in altero sequente hemiplegiae junctum. Tandem in aliis cum paralysi coma primarium symptoma fuit, cum contractione interdum aut convulsionibus, catalepsi, interdum cum cephalalgia, aut delirio, rerum oblivione iisque plerumque antecedentibus comatis insultum; aut a mentis impotentia atque imbecillitate incepit cerebri morbus, sive cito, sive pedetentim increscente.

Habetis praecipuas morbi formas easque varias, crebro tamen aliquam sensorii aegrotantis significationem praebentes, eum quidem in modum, ut symptomata irritationis cum symptomatibus collapsus essent mixta; ab una parte photophobia, contractio pupulae, dolores artuum, contractio musculorum, ab altera parte stupor, somnolentia, defectus auditus, visus, loquelae, musculorum paralysis; quorum illa arachnitidis, haec apoplexiae propria sunt signa: brevi inflammata arachnoïdea, symptomata spasmodica, sine paralysi; in haemorrhagia cerebri paralysis subitanea, sine spasmo; inflammato encephalo, symptomata spasmodica, paralysis lenta

et progressiva, decursus inaequalis intermittens, quo lento et tardo decursu haec paralysis a paralysi apoplectica discernitur.

Praesagia quanquam tristia universe, tamen aliquando nonnullam, etsi minimam, aut parvam salutis spem relinquunt. Historias numero quinque LALLEMANDUS felicis sanationis refert. Legere eas poteritis in Epistola altera. Prior bibax fuit comatosus, ore distorto, impos mentis, sensu hebetiori in dextro eodemque in latere musculis contractis, trismo affectus, pulsu plenissimo, durissimo, nec crebro: alter senex, antea tintinnabula pulsans, qui alias partes habuit paralyticas, alias convulsas; tertius juvenis robustus, quem artubus flexis, sine intellectu, sine sensu in latere dextro, ore dextrorsum tracto, palpebris clausis, pupula angustiore, pulsu lento, molli, facie parum rubente, in Nosocomium deferunt; quartus anthriticus, ex lapsu mentem turbatam habuit, memoriae labem, somnolentus, balbutiens, brachio dextro jam paralytico, jam convulsionibus agitato, deficientias animi crebras passus, sudore frigido, viscido, pulsu deleto, ut paene moribundum credidisses. Atque hi omnes tum largis, repetitis depletionibus, tum glacie capiti imposita, tum sinapismis, purgantibus antiphlogisticis: verbo curatione stricte antiphlogistica e tam gravi periculo evaserunt: ultimum, anthriticum illum moribundum, aqua fervida cruribus infusa et glacies capiti admota servarunt.

Quae evacuantia, revellentia, debilitantia remedia ut juvarunt, sic nocuerunt stimulantia, nervina, tonica, vomitoria, antiparalytica: arnicae flores, camphora, tartarus stibiatus, nux vomica aliaque hujus census, ut in morbo hoc phlogistico morbum nervorum mentiente, gravique symptomatum nervosi generis satellitio stipatum sola antiphlogistica methodus et spasmos solverit et paralyses sustulerit et sopores ac comata discusserit et memoriam firmaverit et mentem restituerit.

DE MYELITIDE.

Spinalis medullae inflammatio ab arachnoideae spinalis inflammatione distinguenda est, quemadmodum arachnitidem distinguimus ab encephalitide.

Arachnitidis spinalis symptomata esse dicuntur levior aut gravior opisthotonus, dolor dorsi saevus, in regione spinae, cui cum arachnitis cerebralis crebro jungitur, hujus quoque symptomatibus partim complicari, partim obscurari symptomata ipsius solent. In aliis aegrotantibus contractiones fuere tetanicae, magis partiales. Inflammata emollitaque medulla cum dolore dorsi paralysis est, mente integra, sive artuum abdominalium, sive artuum thoracicorum, prouti inferiorem, aut superiorem tetigerit spinae regionem: nec desunt observationes

deleti motus aut sensus atque spinalis medullae sive anteriore, seu posteriore parte inflammata. Eadem fere symptomata medullae spinalis suppuratae.

Caussarum numero adscribendae sunt laesiones mechanicae spinae, ictu, lapsu, contusione, nervorum vulnera, insolatio, refrigerium, rheumatismus, aliarum serosarum, arachnoideae cerebralis praecipue inflammatio.

Curatio, quae inflammati cerebri, stricte antiphlogistica sit oportet.

Myelitidis notabilem casum cum Ollivierio, qui de ea monographiam edidit, communicavit Andrallius, in quo morbus incepit a torpore digiti indicis manus sinistrae, inde ad manum et brachium perrexit, tum alteram manum alterumque brachium occupavit, atque anno post artus etiam inferiores, cunctis hisce artubus paralyticis simul et contractis, verum sensu intacto. Crura in femora, femora in abdomen erant flexa, brachia in thoracem, phalanges digitorum appressae palmis manuum. Octo annis post morbi initium periit aeger. In media parte medullae spinalis mucus erat mollis, griseus eam replens, cujus caveae morbosae parietes erant ex parte medullari alba, integra.

In casu consimili, quem observavit Ollivierius, paralysi pariter sensim subnascente, sed solos inferiores artus tenente, crura corpori erant admota, sublata movendi facultate, superstite tamen sensu:

in hoc igitur casu emollitio erat partium medullae anteriorum, sed mirabile dictu, major illa in superiori parte, quam in regione inferiori lumborum.

Quemadmodum haec partim clara sunt, partim obscura si cum symptomatibus conferatis, sic alia feruntur exempla mirifice firmantia novam de nervis sensus et motus theoriam. Alterum est a Rullierio prolatum viri levem habentis curvaturam spinae in parte superiore, qua parte doluit: qui dolor postquam remiserat prius, postea extemplo exacerbatus in paralysin transiit utriusque brachii, quae rigida et contracta, sine ulla sensus laesione nulloque crurum vitio. Medulla in parte superiore emollita diffluebat eoque loco destructis radicibus anterioribus nervorum spinalium, radices posteriores pulpam nerveam habebant intactam: alterum exemplum exstat, in quo mali sedes in anteriori fuit medullae parte et secuta est paralysis, sensu surperstite; alterum, in quo paralysis perfecta crurum et paralysis imperfecta brachiorum, aucto in hisce sensu. Medulla spinalis erat atrophica. Superior pars ejusdem rubebat et tanquam maceratione diffluebat, radicibus nervorum adeo destructis, ut vix distingui possent, dum radices posteriores in majorem molem, quam quae naturalis est, increverant.

Denique observatione ab Ollivierio relata emollitionis spinalis ex phlogosi origo ostenditur. Est viri, qui lapsu spinae passus est contusionem, ex

qua decimo mense sensus formicationis in crure sinistro, quam post mensem secuta est paralysis. Pari modo affectum est crus dextrum, quo primum tempore animadversae sunt vertebrae loco aegrotante protuberare. Convulsionibus artuum factis, mense a paralysi orta exeunte, aeger diem supremum obiit. In mortui corpore visa est membranae species et materies purulenta inter os et membranas spinae in loco mali haerentis, quo medulla cremoris instar liquescebat. Supra et infra hunc locum medulla cohaesionis modum naturalem servaverat, verum rubebat a sanguine isque rubor erat maxime manifestus infra partem emollitam. Itaque procul dubio haec emollitio ex phlogosi erat. Esse tamen hoc vitium sine ulla inflammationis nota tam in ea, quam hic volumus medulla nervea, quam in membranis mucosis et viscerum aliorum parenchymate exemplorum copia ostenderunt Gendrinus, Andrallius, aliique anatomes pathologicae cultores fide digni.

Atque sic absolvimus inflammationum praecipuarum historiam. Superest, ut priusquam ad febrium doctrinam transeamus, illud naturale genus morborum, uno sub conspectu positum, contemplemur, quo pleniorem nobis efficiamus hujus medicinae practicae partis cognitionem.

INFLAMMATIONUM HISTORIA GENERALIS.

Post traditam inflammationum singularum historiam, de inflammatione in genere disserere majori cum fructu licet ejusque generalem historiam proponere: hanc enim ab illa repetentes et eorum, quae prius didicimus habebimus summam et memoria simul recolemus antea percepta et mente recondita.

Communia inflammationis signa sunt, ut vidimus, rubor, dolor, calor, tumor: communes caussae stimuli sunt, partibus admoti: communes sive gravioris, sive diuturnioris inflammationis eventus sunt lymphae plasticae, aut puris secretio, membranarum generatio, mutata partium compositio: communia denique auxilia ea recte habentur, quae tum sanguinis copiam minuunt, tum sanguinis indolem mutant ejusque refraenant impetum. Sive igitur signa reputemus, sive caussas, sive eventus, seu remedia inflammationum, cuncta *irritationem* loquuntur et quidem irritationem in genere vasorum.

Hanc autem irritationem minus cor et vasa majora, quam vasa minima, quae capillaria dicuntur, tangere, ostendunt numerosa inflammationum exempla, quae aut leviores, aut chronicae cum fue-

rint, cordis et arteriarum pulsum non mutarunt, quorum exemplorum frequens in sermonis cursu facta est mentio, manifestas licet corporum defunctorum anatome praebuerit morbi inflammatorii notas.

Verum singula historiae inflammationis loca breviter perstringamus. Et primo symptomata quod attinet, rubor inflammatorius nunc arteriosus, nunc venosus magis est, nunc gravis, nunc levis; nunc laetus, nunc flavedini, albedini, livori mixtus cernitur: quod in ophthalmiis, phlegmasiis cutaneis, mucosis, faucium v. c. aut genitalium notandum, ut variam inflammationis sedem, gradum, complicationem, exitum cognoscatis. Rubor phlegmones quam distat a rubore erysipelatis, rubor scarlatinosus a rubore oedematoso, rubor incipientis gangraenae a rubore inflammationis vigentis, rubor conjunctivitidis a rubore sclerotitidis, aut iritidis, quas omnes colorum varietates medicus morborum pictor et menti impressas habere et reddere oportet. Tumor etiam plurimum differt, sive a sanguine sit, in parte facile distendenda, ut in phlegmones primo stadio, sive a sero exhalato, ut in ejus stadio altero, sive a lympha coagulabili concreta, ut in induratione, praesertim ex chronica phlegmasia, post inflammationes glandularum, aut tuberculosas cutis phlegmasias superstite. Pariter calor, licet minus quam vulgo creditur increscens, multis tamen modis variat, sive ardens in

erysipelate, scarlatina, seu mitis in coryza, seu siccus inflammationum initio, seu halituosus inflammatione declinante, seu in frigus, facta gangraena, mutatus. Dolor denique aut pulsans est in phlegmone, aut gravativus, inflammato viscerum parenchymate, aut punctorius in phlegmasiis serosis, aut pruriens in mucosarum pluribus et cutis inflammationibus, aut corrodens in enteritide, aut lancinans in nervorum phlogosi, nec tamen idem aut omnibus aegris, aut omni inflammationis tempore, aut gradu ex nervorum narcosi, erethismo, animo doloris impatiente, forti, temperamento nervoso, lymphatico, inflammatione incipiente, vigente, desinente, gravi, levi: quae exacte computare oportet, ut suum huic signo pretium statuatur.

Caussas tam praedisponentes, quam occasionales uti discernunt, sic utrasque in aliis inflammationibus alias fore habetote. Aetati juniori encephalitis, laryngitis, cutis, glandularum inflammationes magis familiares: juventuti pleuritides, peripneumoniae, arachnitides: aetati virili hepatitides, enteritides, rheumatismi, sexui femineo peritonitides: temperamento sanguineo inflammationes pectoris, phlegmatico aut melancholico abdominis, nervoso capitis inflammationes magis cognatae; et respectu caussarum occasionalium prouti differunt stimuli physici, chemici, dynamici, psychici, pro ea ratione differunt quoque iisdem concitandae phlogoses. Ex laesionibus mechanicis crebra mem-

branarum fibrosarum inflammatio, ex chemicis ventriculi et intestinorum, cujus a cibis, a potionibus, a venenis ingestis origo; ab aëre frigido pleuritides, peripneumoniae, catarrhi, rheumata, quae regionum borealium phlogoses: ab aëre calido hepatitides, phrenitides, phlegmasiae cutaneae, quae phlogoses sunt regionum tropicarum, ita ut, quamvis inflammationum familia per omnem tellurem habitabilem sit dispersa, tamen suas singulae mundi partes incolant prae reliquis peculiares earum species, suamque singula climata monstrent physiognomoniam pathologicam. Ex stimulis dynamicis contagia memoranda sunt, quae exanthemata creant: variolosum, scarlatinosum, morbillosum, quorum in oriente natalia fuerunt. Stimuli psychici, quorsum animi commotiones referimus, tum cor ejusve involucrum, tum cerebrum cerebrique serosam inflammare vulgo observantur, aut si aliis inflammationibus superveniant hae commotiones, utriusque partis phlogosin hisce sese addidisse crebro, et symptomata in aegris et in mortuis morbi vestigia ostenderunt.

Diversimode terminari inflammationes vidimus, quarum terminationum sola vera ea est, quae adpellatur lysis: reliquas vero rectius varias periodos conditionis phlogisticae vocaveritis. Harum prima est evacuatio seri, quae pleuritidis, pericarditidis, peritonitidis, arachnitidis, inprimis vero pleuritidis est, ut sine hac nunquam eam sanari con-

tendat LAENNECCIUS. Humoris effusi aquea parte resorbta, superest lympha coagulabilis, unde fiunt membranae, eventu salutari, pernicioso, partes praeter naturam alligantes. Qui naturae processus quando turbatur, effusione ista seri pergente, oedema fit, hydrops calidus, ascites, hydrothorax, hydropericardia, hydrocephalus. Ea terminatio tamen non tantum serosarum membranarum, verum cellulosae etiam, cutis et mucosarum est, quemadmodum morbi cutanei, lymphae plasticae secretione terminati, phlegmone oedematodes et pseudomembranarum in angina laryngea inque intestinis formationes monstrant, quarum antea saepius meminimus.

Suppuratio, alter inflammationis eventus, praecipue phlegmones est, nec tamen solius cellulosae inflammatae, verum aliarum etiam membranarum, tum mucosarum, tum serosarum, tum fibrosarum, tum cutis: in his autem, mucosis maxime et serosis, morbum gravem indicans, saepe etiam acutum, chronico supperadditum.

Gangraena aliis inflammationibus ante alias magis propria, interdum accidit propter morbi gravitatem, saepius propter morbi indolem aegrive constitutionem, cujus rei perspicuum est in variolis exemplum, quae si in corpus scorbuticum inciderint, variolae erumpunt gangraenosae, quales in nautis Plymuthi vidisse HUXHAMUM, supra animadvertimus.

Qui scirrhus vocatur, proprie scirrhus non est, sed induratio telae praesertim cellulosae, in quam effusa est et quacum concrevit lympha plastica. Nam scirrhus inflammationis eventus perperam habetur eumque probe ab induratione, quacum confunditur, discernere oportet: id quod bene viderunt recentiores, quicunque ingenium habent ab amore systematis liberum.

Inflammationum aliae acutae sunt, aliae chronicae, quarum hae longe crebriores illis. Mors tamen minus ex chronica, quam ex acuta accidit. Siquidem plerumque phlegmasiae chronicae eique repetitae tandem acuta eaque lethalis supervenire solet. Distinguunt etiam simplicem a composita et complicata, hasce a specifica. Simplex rarior longe est, quam vulgo creditur. Crebro enim vel plures in eodem corpore inflammationes existunt, morbo ab una parte ad alteram vel vicinam, vel structura, munere, sympatheia sociam migrante, vel alia praeter phlogisticam in corpore subest conditio: gastrica, arthritica, scrofulosa, syphilitica. unde inflammationes specificae, de quibus deinceps.

Passivam, quae contradictionem in terminis includit, non admittimus, quaeque hoc nomine intelliguntur, vel chronicae sunt, vel congestiones tantummodo.

In variis contextibus differre inflammationes, ex singularum historia procul dubio intellexistis. Quae

organa composita et viscera occupat, aut a serosa extus, aut intus a mucosa proficiscitur, ad cellulosam et partium parenchyma procedens; saepius etiam ab internis reconditisque sedibus exorsa in serosam, aut mucosam desinit. Exemplo sint pleuritidis, peritonitidis, arachnitidis in pneumoniam, enteritidem, hepatitidem, encephalitidem transitus, aut harum in illas exitus, qui tum perquam vulgaris est, quum ulcus factum ac pus in capitis, pectoris, abdominis caveam effusum fuerit. Inflammatio musculorum ex rarissimis est et rarior adhuc ex ea facta suppuratio. Crebro non musculos ipsos, sed interpositam cellulosam tenet, saltem ab hac incipit, quod etiam in glandularum inflammationibus fieri, a viris doctis adnotatum est. Inflammatio nervorum neurilematis inflammatio magis, quam illorum ipsorum esse animadverterunt. Etiam arterias inflammari et venas recentiores potissimum cognoverunt ab iisque nonnulla febrium genera repetiverunt.

Phlebitides (hoc inflammationum in venis nomen est) quae prae arteritidibus longe frequentiores sunt, potissimum cognitas fecit Hunterus, docuitque quae in phlebotomia a nervis, aut tendinibus vulneratis repetuntur vulgo symptomata, venis inflammatis utplurimum deberi. Lymphaticorum denique inflammationes ex materia venenata, contagiosa absorbta, aut ex diathesi scrofulosa nascuntur, deque iis verba fient, quando de morbo scro-

fuloso dicendi et tempus et locus opportunus erit. Imflammationum in glandulis exempla praebent pancreatitis, parotitis, orchitis: quarum parotitis sive inflammatio glandulae parotis in nonnullis febribus jam symptomatica, jam critica visa in orchitidem, inflammationem testiculi, transiens, inflammationem metastaticam ex sympatheia etiam in glandulis posse evenire docet, quas ad ejusmodi affectiones sympathicas minus idoneas, propter vitae rationem obscuram, neque sensus adeo aut consensus participem, crederetis.

Therapeutice inflammationum, siquidem antea jam multis verbis a nobis exposita est, hoc loco summa tantummodo ejus capita retractabimus.

Generales sanguinis depletiones indicant totius generis vasorum irritatio et aucti cordis arteriarumque motus: quibus scilicet depletionibus generalibus motus illi febriles minuuntur et demitur nimia sanguinis copia. Istae igitur depletiones eo usque repetendae sunt, donec symptomata notabiliter mitescant et instituendae, manu carpo admota aegroque aut decumbente, aut in lectulo saltem sedente. Ipse locus affectus deplendus est, depletionibus topicis per hirudines, aut cucurbitas scarificatas. Sanguinis vita reprimenda per remedia nitrosa, salina, mercurialia inque eo emisso non tantum corium phlogisticum, verum etiam placentae ad serum proportio animadvertenda est. Praeterea dilutione opus est, per potus largos, hordea-

tos, tenues, demulcentes: saepe quoque ventris purgatione leni, per emetica, eccoprotica, praesertim in angina pharyngea, erysipelate, peritonitide puerperali et complicatione gastrica.

Emetica in pleuritide, peripneumonia, bronchitide nonnulli praedicaverunt, quae ubicunque profuerunt, vel in morbo complicato, gastrico, vel mutando irritationis sedem, revulsione aut derivatione factis, profuisse existimaverim.

Lotiones, balnea, semicupia emollientia, tepida, in phlegmasiis cutaneis praecipue adhibentur. Manuluvia in pectoris inflammationibus levandis pediluviis longe antecellunt inque iisdem cataplasmata, omni pectori imposita, saluberrima saepenumero expertus sum.

Topica, frigida ad repellendas cutis phlegmasias ex ustione nascentes, necdum natas fructuose admoventur: in phrenitide etiam et encephalitide infantum summoque gradu scarlatinae, post celebratas abundantes phlebotomias: iisdem in ophthalmiis crebro abutuntur chirurgi. Aquae frigidae potio in gastritide atque enteritide mucosa et erysipelacea, quae dicitur, salubris mihi habetur.

Fonticuli, setacea, quae inflammationem faciunt ulcerosam, chronicis phlegmasiis utiliter opponuntur.

Vesicantia perpetua, aut subinde, inflammatione leviori, semivesicantia in pharyngitide, laryngitide chronicis vobis de meliori nota cupio commendata.

Adumbravi generalem inflammationis historiam, quam si plenius cognoscere cupiatis, legite duumvirorum Anglorum celeberrimorum nuper edita plurimumque et merito laudata de inflammatione scripta: alterum Jo. Hunteri; alterum Jo. Thomsoni, quorum titulos hic apponam:

A Treatise on the Blood, Inflammation and Gun-shot Wounds by the late John. Hunter, *illustrated with plates in two volumes*, London 1812.

Traité medico-chirurgical sur l'inflammation par J. Thomson, *Traduit de l'Anglais, par* Jourdan et Boisseau. Citavi versionem libri Francicam, quia liber ipse, Anglico idiomate conscriptus, distractus est.

DE HAEMORRHAGIIS.

Cum inflammationibus earumque curatione arcte nectuntur haemorrhagiae, quibus natura artifex ad corpus universum, aut partem singulam exonerandam utitur. Scilicet haemorrhagiae, quas alii morborum, alii caussarum, quae morbos creant, numero habent, vulgo neque morbi, neque morborum caussae, sed morborum remedia sunt, quod eapropter quaeso in animum imprimatis, quia nunquam aut crebrius, aut gravius a medicis peccatur, quam ubi haemorrhagiis curandis manum ad-

movent; quae medicorum peccata vel vita, vel sanitate amissa plectuntur aegroti. Itaque quemadmodum a congestionibus dicendi exordium duximus, ita hunc de inflammationibus locum haemorrhagiis explicandis absolvemus. Nam illae inflammationum principia, hae inflammationum remedia sunt.

Recte id vidit, quo erat summo ingenio, medicus vere physiologus GEORG. ERN. STAHLIUS. Nam quo tempore ad mechanismi leges invitam contorquebant naturam organicam, hic solus ex organismi legibus corporis organici phaenomena explicuit atque instinctum adgnovit et vitam et salutem corporis tuentem.

» Plethorae commotionem, inquit (lubet enim viri verba referre) plethorae commotionem quam maxime post se trahere arbitror primos ortus haemorrhagiarum atque etiam revocationes earundem, quae quidem fiunt statis temporibus ex morali utilitate, quippe subtrahentes occasionem graviorum sive periculorum, sive damnorum. Itaque praesente ejusmodi constitutione (plethorica) secundum omnem sanam aestumationem finium corporis organici et oeconomiae vitalis debent fieri haemorrhagiae. Caussae instrumentales ad producendum ipsum actum haemorrhagiae sunt motus tonici auctiores, quibus sanguinis tum ad illam regionem aliquando latius, tum magis privatim ad immediatum locum exitus ita constringitur, ut ibi

distensione vasorum et denique orificiorum extremorum, per modum talem expressionis, exitus ita obtineatur. Quales non solum e longinquo compulsiones, sed etiam insuper statae prorsus et exquisitis temporum periodis alligatae, quam alienae sint a quibuslibet simpliciter mechanicis potentiis sine organica fini destinato vere quadrante directione, non potest ullum fallere."

Ex hac theoria Stahliana, ipsis viri verbis enunciata, adparet, ipsi haemorrhagias illas internas plethorae commotae effectus naturaeque molimina corpus nimio sanguinis onere liberandi fuisse habitas. Quarum igitur haemorrhagiarum caussa finalis est, tuendi scilicet valetudinem secundam, per caussas instrumentales, motus nimirum tonicos vasorum, in certa loca directos statisque periodis redeuntes. His Stahlii placitis consentiunt et recentiorum de haemorrhagiis doctrina et haemorrhagiarum ortus, symptomata, eventus. Dynamicam, aut si mavelitis vitalem haemorrhagiarum rationem et defendit et probavit Reilius, sanguinis profluvia a morbis vasorum dynamicis repetens inque corporibus mortuorum ex illis nulla saepenumero reperta esse laesionis vasorum organicae vestigia docens, tum Bichatus, vir immortalis, ex membranis mucosis haec profluvia spontanea fieri animadvertens, per sanguinis ex capillarium genere exhalationem: atque tum origine, tum medicatione differre ab iis, quae ex vulnere, aut mechanica laesione fiunt et

mechanica pressione sistuntur. Deinde eveniunt potissimum ex vitae ab aetate mutationibus, iis ex partibus, quae mutationem subeunt, aut vicinis cumque ipsis consentientibus: praenotantur communibus congestionum signis; comitantur eas symptomata febrilia; sequitur molestiarum et incommodorum levamen. Nimirum praecedunt tensionis et plenitudinis sensus, calor, ardor, titillatio, pruritus, punctio in parte affecta, cum somnolentia interdum, aut languore, pulsu pleno, subduro, interdum dicroto, aut intermittente artubusque frigidis. Haec plerumque sequuntur frigus, calor, sub quo profunditur sanguis, ac pulsu, qui antea subdurus, frequens erat, jam pleniore facto cuteque madente, sponte sistitur omniumque symptomatum notatur cum levamine remissio. In sanguine autem ejecto phlogoseos adparent indicia: nempe vel corium phlogisticum, vel magnus ad concrescendum nisus. Symptomata igitur motum indicant febrilem, qui graviores quascunque, activas haemorrhagias antecedit et comitatur cujusque crisis in ipso sanguinis profluvio recte ponitur. Hinc primo frigus, inde calor, id est, renisus vitalis et hoc reactionis tempore haemorrhagia, tanquam symptoma activum, criticum, quam crisin sequitur cutis mador, symptomatum remissio notabilis et saepe somnus benignus, salutaris, crisin ex Hippocratis observatione firmans.

Itaque universe spectari debet profluvium san-

guinis activum, tanquam crisis plethorae topicae, aut universalis et spontanea congestionis activae curatio, quae si non facta fuisset, in veram transiisset phlogosin. Quodsi verum est, ut verum mihi saltem videtur, hoc symptoma activum, criticum prudenter regendum, nec temere oppugnandum esse, quis est qui non ultro fateatur.

Sunt medici, qui non ultra sensus sapientes et res cum rerum signis commutantes, symptomata morborum loco et habent et curant: sunt alii, his parum prudentiores, solum intellectum magni facientes omniaque in aegris symptomata ex morbo repetentes, qui omnem rem criticam negant: utrique quam primum sanguinem fluere conspexerunt, mox stypticis armis pugnant, atque ubi stetit haemorrhagia, triumphant. Verum brevem triumphum prompta clades sequitur. Quot inde eheu! vidi funera aegrotantium, qui si res naturae fuisset commissa, salvi fuissent! Vomitum cruentum, stypticis suppressum, secutum est sanguinis sputum et phthisis, peripneumonia cum pneumorrhagia, hac oppressa, brevi facta est lethalis, haematuriam in adolescentulo, vi cohibitam, excepit vesicae inflammatio, suppuratio, phthisis vesicalis. En, quos fructus ars lethifera professoribus promittit!

Quapropter ejusmodi haemorrhagias non tonica, sed antiphlogistica lenique medicina, demulcentibus praecipue, revellentibus, derivantibus auxiliis,

verbo iisdem, quibus inflammationes, bene curabitis. Sub ipso profluvio perfectissima imperanda est corporis animique quies. Aër sit purus, frigidus isque positus corporis, quem pars affecta postulat: sessio, ubi a partibus superioribus; decubitus, ubi ab inferioribus fluxerit sanguis. Omnis vitetur partis aegrae contentio: sanguinem spuentibus loqui interdicatur, ut scilicet quiescant pulmones. Vestes arctae deponantur, quibus haemorrhagia posset concitari, quemadmodum de epistaxi, sive narium haemorrhagia, a collari arcto provocata, relatum legimus.

Ipsam therapeiam quod attinet: duplex est, praecipiente Reilio, in omni haemorrhagia medendi consilium: alterum jubet morbum sanare; alterum ipsius effectum, profluvium nempe, tollere. Atqui morbus, de quo jam agimus, ad phlogisticum genus pertinet poscitque igitur antiphlogistica auxilia, quorum princeps est venaesectio. Hanc autem natura jam facit, quare nisi nimis parca fuerit, aut e loco incongruo fiat, minime turbari, sed sibi permitti debet. An igitur nunquam sistenda est, ne tum quidem, quum vita propter sanguinis jacturam periclitatur? Illud in ea, quam volumus, haemorrhagia activa vix accidit et ne tum quidem temere interveniendum est. Nam quum facie pallente, frigente, collapsa, animo linquitur aeger, in hoc ipso animi deliquio summum positum est haemorrhagiarum graviorum auxilium natura-

le, rem animadvertente FRANKIO. » Est vero ubi » in ipsa syncope, mortis alias praenuntia, prin- » ceps servandae vitae lateat remedium: atque » hinc magna in aegro suscitando, stimulando, » sunt posita pericula." Epit. T. V. P. II. pag. 97. Etenim cordis motu suspenso, fluxus inhibetur, vasorum lumina arctantur, eorum vulnera, si quae fuerint, clauduntur. Cavete tamen, credatis haec symptomata: pallorem, frigus, caet. semper ab inanitione esse. Saepe contra a genere nervoso, a metu, terrore, ob sanguinis fluentis adspectum oriri, scitote. » Pallescunt, ita ille, quem mox laudabam, FRAN- » KIUS, sanguine nondum orbatae genae, sudor » frontem humectat, extrema frigescunt, anxietas » praecordia tremorque membra invadunt, cordis » adest palpitatio ac pulsus, qui forsitan hucusque » pleni fortesque, aut vix a statu sano diversi fue- » rant, contracti, exiles, celeresque redduntur."

Intelligimus, sic nonnullos vestrum dicentes audio, sed quomodo medicus haec symptomata nervorum ab inanitionis symptomatibus discernet? Responsio prompta est: Attendat ad ea, quae morbum praegressa sunt, ad sanguinis ejecti copiam indolemque, ad aegri temperiem denique. Nam aegro juniori, plethorico, profluvio incipiente, sanguine non multo, coagulabili evacuato, inanitionem nondum metuendam esse tenete, quaeque hac rerum conditione adparent ejus fallacia signa, nervis adscribite.

Longe alia earum haemorrhagiarum ratio est, quae ut sunt, ita adpellantur passivae quaeque nisi prompte ars intercedat, corpus inanire vitamque cum sanguine perdere solent. Hae autem nulla habent symptomata praevia, non ex uno, sed ex pluribus simul locis fiunt, in cute etiam maculas faciunt, ecchymoses, vibices, petechias, quasi a verberibus, aut contusione, dum pulsus tangitur debilis et corporis habitus est cachecticus, nec desunt sanguinis dyscrasiae signa.

Utrisque tum passivis hisce, tum illis activis intermedium genus est, spasticas vocant, quia cum statu nervoso copulari et ab animi commotionibus omnibusque irritamentis, quae genus nervorum praecipue laedunt, moveri deprehenduntur et facile habituales fieri statisque temporibus reverti. Dignoscuntur nervorum intemperie et symptomatibus: congestionibus in aliis partibus, in aliis stricturis, frigore caloreque fugacibus, pulsu mutabili, urina limpida, humorum orgasmo, erethismo nervorum et inaequali vitae partitione, ut alibi phlogistica subesse videatur, alibi adynamica partium conditio. Incidunt in hominum genus irritabile, gracile, colore laeto, rubente, vasis tenerrimis, animo mobili, verbo ejus constitutionis, quam ob id ipsum, haemoptoicam vocant, quae crebro haereditaria est.

Postulant idcirco medicinam subantiphlogisticam, revellentem, sedantem: id est parcas, sed repetitas venaesectiones, aut etiam depletiones topi-

cas per hirudines, aut cucurbitas, deinde pediluvia, manuluvia tepida, rubefacientia, sinapismos, enemata, purgantia eccoprotica, parcas rad. ipecacuanh., extr. hyosc. nigr., syr. diacod. doses, quodque caeteris palmam praeripit digit purpur. dosi gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ 3, 4. d. d.; mucilaginea porro demulcentia, oleosa, ad singulorum aegrotantium conditionem adcommodanda. Interdum ad phlogisticam speciem magis accedunt, ubi pulveribus temperantibus Stahlii: pulv. e nitro, aut pulv. salin. compos. feliciter usus sum. Interdum magis ad atonicum genus adpropinquant, in hominibus quorum vasa ampla, facillime distendenda: hisce maxime respondebant julapia cum pauxillo spir. vitrioli, aut pulv. e rad. ipecacuanh. Interdum ex nervoso genere fere erant, quibus aptissima maxime diacodiata, papaverina, opiata demulcentibus juncta, quibusque ipsa psychica, miraculosa auxilia, amuleta caet., affectus animi moderando, tulisse opem feruntur. Haec in praxi accurate distinguere qui noverit, optimus ille erit haemorrhagiarum medicus.

Secundum corporis regiones aliae ex capite, aliae ex pectore, aliae ex abdomine proveniunt atque aetates sequuntur, ut illas priores pueriles, alteras juveniles, tertias viriles, aut seniles haemorrhagias quodammodo appellare liceret.

Nemo nostro quidem judicio hanc profluviorum rationem, successionem cognationemque melius perspexit, quam is, quem mox laudabamus, Georg. Ern.

Stahlius, clarus quondam Medicinae Professor Halensis, aequalis et collega Frederici Hoffmanni. Is enim, postquam his depletionibus plethoram tolli scripserat; eas pueris fieri per nares, quam narium haemorrhagiam epistaxin vocant; eosque qui crebras pueri narium haemorrhagias passi fuerant, deinceps juvenes saepenumero fieri haemoptoïcos, notavit. Distinguendum tamen est inter activas et passivas. Illas ab activa natas capitis congestione, cavete, ne frigidis admotis, uti a matribus nimium sedulis fieri solet, intempestive turbetis, verum curate tanquam morbum phlogisticum: has, quae pueros pallidos, corporis habitu pravo, scorbutico, scrofuloso tentare consueverunt, revellentibus, adstringentibus, acidis mineralibus potissimum vitaeque regimine prudenti cohibete, quod quomodo in singulis fieri debeat, deinceps in capite de scorbuto et morbo maculoso haemorrhagico, plenius exponere constituimus.

Si nimia aut repetita epistaxis corporis vires exhauriat, juvabunt fomenta frigida capitis et pediluvia calida. Ab opiatis, capitis congestiones facientibus, religiose abstinete. Est epistaxis haereditaria, saepius recurrens, corpus exhauriens, quae ejusmodi adstringentibus topicis, universalibus, praesertim acidis mineralibus optime moderatur.

Pectoris haemorrhagiam, etiam pneumorrhagia, haemoptoe, haemoptysis dicitur, praenotant sapor oris salsus, dulcis, dolor levis, calor modicus, an-

gusta pectoris oppressio. Exit sub pruritu, titillatione, calida ebullitione, in trachea perceptis, cum tussi, strepitu pulmonis, pulsu molli, parvo, undoso, sanguis plerumque floridus, coccineus, spumans. Eam ut cognoscatis, accurata opus est diagnosi. Potest enim sanguis ex naribus profluens decumbenti dormientique in asperam arteriam delabi, potest ex faucibus, ore, ventriculo provenire, quare nares, fauces, os inspicienda et tussis aliaque pectoris affecti signa num praecesserint, inquirendum. Ventriculi haemorrhagiam vomitus comitatur et in hac sanguis ater esse, venosus solet, non laete rubere, spumescere. Praeterea necesse est, ad caussas attendisse aegrique temperiem. De morbi diagnosi legite Burserium, *Inst. Med. Pract.* Vol. IV. Pars I. pag. 21. et Swietenium *Commentar.* Tom. IV. pag. 28 sqq.

Praeter activam hanc inflammatoriam, alia est passiva, atonica, scorbutica, fere nullis indicata symptomatibus praecursoriis, in qua sanguis regurgitat quasi nulloque molimine elabitur tenuis, dissolutus: quam, Stollio auctore, pulmonum affectionem scorbuticam vocare liceret, ut priorem illam peripneumoniam cum sputo cruento. Istum pulmonis scorbutum denotant corporis habitus laxus, atonicus, functionum animalium languor, pulsus debilis, virium ingens imbecillitas.

Ab utraque differt haemoptysis spastica, quae dicitur, omnium creberrima, diathesi haemoptoica et

symptomatibus nerveis notabilis. Cognoscitur haec diathesis ex egregia BOERHAAVII descriptione (Aph. 1198.) collo longo, thorace plano, angusto, scapulis depressis, colore valde candido, amoene roseo, cute pellucida, hilaritate et subtilitate praecoci ingenii. Praeterea adsunt calores genarum fugaces, artuum frigus, dolor dorsi, sensus stricturae ventriculi, pectoris, faucium, pulsus mobilis, mutabilis, crebra animi commotio, magnaque irritabilitas.

Hujus profluvii numerosas caussas lustrare et discernere oportet, ad prognosin et curationem rite faciendam. Alia est in feminis innuptis, gravidis, haemoptysis menstrua, ex catameniis suppressis non multum habens discriminis, alia in viris, ex haemorrhoidum suppresso profluvio, quae mensium, haemorrhoidum fluxu restituto, aut hirudinibus vulvae, ano admotis, quam optime curabuntur: de quo curandi modo consulatis Virum Cl. SURINGAR *Isagoge in Doctrinam Morborum Chronicorum* P. I. §. 132. pag. 35. exemplum citantem LUDOVICI DURETI celeb. *Praenotionum Coacarum* interpretis: » ac mihi (sic ille *Comment.* in *Coac. Praenot.* pag. 272.) quoque homini quinquagenario cum olim familiaris fuisset narium haemorrhagia, commodo valetudinis ad illud usque tempus aetatis meae, tum ea suppressa, nec tamen anadrome statis temporibus quiescente, qua data porta, prorupit per anastomosin venarum pulmonis, atque id quidem

saepe multum, quae tamen sedata per Dei misericordiam, nullam offensionem partis reliquit, qua cursum inflexit, praeter summam corporis infirmitatem. Sed eum qui sequutus est annus exegi in medendo, scribendo et legendo HIPPOCRATEM clara voce et firmis lateribus. Deo sit honor et gloria, qui me sanavit ac mihi medicinae faciundae rationem aperuit per haemorrhoïdas, admota hirudine."

Eodem medicinae genere ac flore sulphuris me juvenem haemoptoicum curasse, sat brevi temporis spatio, gratus recordor.

Est alia haemoptoë, huic suppar, ex alvi obstructione, curanda eccoproticis, aut amaricantibus, quales casus referunt BALLONIUS et QUARINUS. Alia a bile sympathica, quam emetico sustulit STOLLIUS, quo tamen semper prudenter admodum utendum erit. Alia a catarrho, calidis exacerbato remediis. Alia a vi pulmonibus illata: cantu, vociferatione, magno corporis motu, nixu valido, ex qua haemoptoicus periit optimus ille Imperator JOSEPHUS II, cui, rem narrante QUARINO, in venatione cervus celerrime fugiens pectus impegit: atque egregius comicus MOLIERIUS, cujus hoc loco meminit, SWIETENIUS: » dum quarta vice, inquit, personam aegri imaginarii agebat summo cum applausu, licet inveterato pectoris morbo magis solito oppressum se sentiret, vix redux a scena undatim exspuens sanguinem periit. Alia est a diathesi scrofulosa, scorbutica:

alia a morbis cutaneis, rheumaticis, anthriticis nata haemorrhagia pulmonum. Quarum omnium levissima est plethorica, gravissima, quae ex propria corporis diathesi provenit. Nam discrimen non ex ipso profluvio, sed ex corporis diathesi maxime imminere, recte praecepit Reilius. Ab hac enim gravius metuere oportet, quam a jactura sanguinis periculum. Rem docet phthisis pulmonalis, cujus in multis e primis indiciis est sanguinis sputum non ita magnum. Nam eadem haemoptoica est, quae phthisica diathesis.

Quae singulis conveniat curatio, ex descripta antea haemorrhagiarum curatione intelligere poteritis. Summa in primis venaesectionum etiam repetitarum in activo genere necessitas est, neque in spastico genere eae tuto omittuntur. Quas tanti faciebat Burserius, ut in iis totam fere phthiseos prophylaxin poneret. In hac parca sit, imminente haemoptoës periculo, facta. Praestat nempe, inquit Reilius, aegrum unciarum quatuor per venaesectionem, quam librae per haemorrhagiam jacturam facere. Praeterea in haemoptoicis illis phlogistica subesse pulmonum conditio iique prospere valere solent, si tenui utantur victu. Simul tamen viribus prospiciendum sanguinique, quantum illud bonis aegrotantium rebus fieri possit, parcendum. Quocirca nisi aliter jubeant symptomata graviora, parvam sanguinis copiam mittite. Boerhaavius auctor est, ut bis quovis anno, praecipue vere et

autumno, in haemoptoicis sanguis mittatur idque post paroxysmum sedatum. Mihi si liceat a tanto viro dissentire, rectius id fieri videtur non ad anni tempora, sed ad pulmonis congestionem remedium dirigendo, neque post paroxysmum sedatum, sed ante paroxysmum invadentem. Sub paroxysmo quiete opus erit tum reliqui corporis, tum pulmonum; porro situ erecto, refrigerantibus, demulcentibus, decoctis pectoralibus, nitrosis, nisi tussim augeant.

Post paroxysmum diaeta tenuis, levis, farinosa, lactea, cunctis acribus, motu corporis graviori et pulmonum magna contentione vitatis. Mirum quantum in phthisica quoque et haemoptoica diathesi, in haemoptysi illa chronica valeat prudens, exactumque vitae regimen, a motu, contentione, irritatione abstinentia et diaeta levis nutriens, ex lacte et farinaceis, qua plures novi phthisicos a phthisi immunes vixisse. Nam quidquid irritet, calefaciat, haemoptoicis obest nihilque magis iis prodest, quam alimentum leve, blandum, quies et abstinentia.

Diaetam et victum tum aegrotantium, tum convalescentium optime descripsit Swietenius l. l. pag. 43 sqq. Laxo corporis vasorumque habitu, in haemoptoë passiva, acida mineralia, adstringentia, aqua gelida idonea remedia sunt. Caeterum haemoptoës in femina opio sanatae, reliquis incassum adhibitis, historiam retulit medicus inter Anglos clarus Percival. Balsamica a prudentioribus hodie recte reprobantur.

Hucusque eas interpretati sumus haemorrhagias, quae vulgo arteriosae haberi solent. Sequuntur venosae: quorsum haematemesin, melaenam veterum, haemorrhoides referunt. Haematemesis, sive vomitus cruenti duas fecere species: alteram acutam, derepente a sanguinis ad ventriculum subitanea congestione natam; chronicam alteram, quae post multa symptomata lente oboritur: haec melaena, id est morbus niger veterum.

Prior in puellis fluxum menstruum non patientibus, periodica quovis mense revertitur atque universe minus periculosa est: posterior, senioribus, melancholicis, post menstruam evacuationem, aut fluxum haemorrhoidum turbatum evenit. Antecedunt, aliquando perquam diu, dyspepsiae incommoda, molesta abdominis tensio, cardialgia, praecipue post pastum. Est aetas scilicet, inter quadragesimum et quinquagesimum annum et quoddam hominum genus macilentum, morosum, iracundum, facie pallida, flavescente, subviridi, oculis capillisque nigris utplurimum (melancholicos eos vocant) praecipue in morbum nigrum inclinans. Videlicet hac aetate systema viscerum abdominalium et crebrius et gravius aegrotat. Nascitur plethora abdominalis in sedentariis potissimum litteratis feminisque annis climactericis, quibus catamenia fluere desierunt, aut turbari inceperunt, unde multiplex in abdomine vitium: obstructiones, infarctus, scirrhi, quos crebro nec sem-

per tamen levat haemorrhoidum fluxus. Diu ante ex abdomine aegrotant. Tumet venter, alvus dura est, lumborum dolores, flavus in facie, oculis color, ventriculi post pastum dolor, anxietas in hypochondriis, quae ventriculo, debili aut nervis perperam tribuuntur. Tandem, absque caussa manifesta, subitanea fit ventriculi adstrictio, ardor, tensio epigastrii, dolor hypochondrii, potissimum sinistri, et cum instantis leipothymiae sensu, facie pallida, pulsu parvo, imbecillo, intermittente, sub magnis conaminibus, nausea, vomituritione sequitur vomitus sanguinis utplurimum atri, grumosi et nigrae quoque, piceae materiae per alvum secessio, repentinam inferens virium imbecillitatem.

Exempli loco subjiciam morbi historiam, quam medicus praeclarus Tissotus cum medico praeclaro eodemque amico Zimmermanno per Epistolam ad hunc datam communicavit.

» Vir sexagenarius, a quadraginta annis asthmaticus, sacris litteris et sedentariae nimis vitae deditus, debilis compagis, mutato coelo missisque studiis, bona per aliquot menses fruebatur sanitate, nisi quod subinde colicis premeretur doloribus, de quibus parum sollicitus medicinam aspernabatur. Sub finem anni increscebant dolores ad scrobiculum, umbilicum, dorsum, pasto vel ex selectis alimentis molestissimi, cum magna debilitate, ut deficere timeret aeger. Flatus incusans, illos potu caffeae, aut spiritu cerasorum, quae vires simul

erigerent, fugare tentavit, tepidis potionibus non sapientiori consilio intermixtis. Extra dolores debilis, sponte defessus, defetiscens, alvi dejectiones crudae, crudum ètiam lotium. Nona Martii festinanter mandatus invenio debilem, pallidum et coram aspicio atrum rubrumque sanguinem, vomitu ad libram fere, post saevos dolores, saevam anxietatem, mox a prandio ejectum. Remissi dolores et anxietas. Facilis idea morbi: ex diu infarctis, jam ruptis vasis, haemorrhagia interna. Facilis indicatio. Utinam laetus eventus! Lethum indixerat HIPPOCRATES. Spem tamen erigebant superstites in aegro vires, pulsus aequabilis, mollis, minime febrilis et similes casus, quorum faustus exitus. — Effusum diluere sanguinem, ne putresceret arcere, evacuare, novi effusionem praepedire, cavere, ne deficerent vires, imperabat attenta morbi contemplatio et animum addebant, quos observaveram, successus in eodem morbo. Jussi quietem in lecto, levibus tegumentis, cibum ex cremore hordei, copiosum potum amygdalinum, parca sed frequente dosi, bis de die molle enema. Dum parantur, tepidam ano injici curavi, quae vix excrementa, copiam vero atri et picei sanguinis; partim liquidioris, partim in grumos concreti, qui fictili vasi adeo adhaerebant, ut vix excuti possent. Vera haec imago atrae bilis. Vespere aliud injiciendum enema similia eduxit. Sensim redibant vires. Sexto die decoctum Tamarind. prae-

scriptum septies alvum movit; in ultima sede dilutior nigredo, flavi nescio quid, jam bona mixta malis. Septimo post enema excrementa naturalia. Inde pleniori paulo diaeta, e vegetabili praesertim regno, adsuescit. Valet quantum datur corpori senescenti, multis fracto et gravibus morbis, diuturnis doloribus, curis, larga haemorrhagia, tenui diaeta."

Ex hac morbi historia non tantum morbi facies, verum simul optima ejusdem curatio eaque simplicissima cognoscitur. Quae reliqua laudantur adstringentia, ea si cogitetis ventriculo sanguinem fundenti admoveri, nocitura mecum censebitis. Si tanta haemorrhagia, ut mors ab inanitione instet, fomenta gelida, potus glaciati tentari poterunt, siquidem melius est remedium anceps, quam nullum. Haec tamen cuncta parcissima ingerenda copia, ne vomitum augeant. Potus sit frigidus et summa imperetur quies. Extra paroxysmum victus tenuis sit, blandus, eupeptus, liquidus fere et alvo duriori, extracta graminis, taraxaci, fumariae, cum aqua Laurocerasi similiaque clysmata quotidie injecta, secundum Kaempfii methodum, profuisse feruntur. Praecipue vero abdominis plethoram tollent aut haemorrhoidum fluxus, aut crebrius ano admotae hirudines.

Exstant de hoc morbo, melaena scilicet, observationes Antonii Portal, Medici Celeberrimi. Cff. ipsius *Mémoires sur la Nature et le Traitement de*

plusieurs Maladies; Paris An IX. Part II. pag. 129 sqq. Harum observationum quinque sunt cadaverum sectionibus illustratae.

In prima lien emollitus, jecur durum, vasa brevia, venae coronariae, pyloricae sanguine nigro distentae cernebantur, ventriculi et intestinorum membranis pallentibus, ut in hydrope. In secunda portarum venae rami praecipui, imprimis venae ventriculi et vasa brevia sanguinis nigri et crassi plena. Hepar emollitum; lien et minor et durior, quam secundum naturam: duodeni parietes nigri, tumentes, emolliti, pressi humorem nigrum cruentum demittebant, ei quem vomuerat aeger, similem. In tertia (ex animi aegritudine natus erat morbus) scirrhus pylori et pancreatis. In quarta, arthritidis anomalae, ventriculus ingens una cum tenui intestino phlogosi tentatus, in utroque rene calculus. In quinta, haemorrhoidarii, venae gastricae superiores et splenicae vasorum brevium sanguine turgebant, nigrescente, crasso, consimilique venae meseraicae. Lien et hepar, tum magnitudine aucta, tum justo duriora. Ventriculus et intestina aliquot inflammationis notas habebant: erat hic etiam arthriticus aeger ac saepius doloribus colicis vexatus (*).

(*) Similia cadd sectiones docuere a Fred. Hoffmanno relatae Opp. Tom. II. Pars 2. Sect. I. Cap. III. nec non quam Morgagnus exposuit Epist. XXXVI. art. 11, 12, 13.

His infelicis exitus casibus alias addit PORTALLIUS exitus felicis, in quorum alio profuit aqua calcis cum chamom, infuso; alii ipsa sanguinis sursum deorsumque evacuatio utilis, portarum venam liberare videbatur. Erat autem sexagenaria mulier, cui non alia opus fuit medicina, praeter lenem humectantem et hirudines. In alio, arthritico scilicet, leniter aperientia primo, deinde thermae martiales hirudinesque, praesertim ano saepius admotae et melaenam et arthritidem sustulerunt. Alii, post similem longam biennii curationem, morbi et medicinae aperientis noxas abstersit cort. Peruviani pulvis. Profuerunt alii, post leniora aperientia atque purgantia, pilulae gummosae saponaceae. Aegram denique corpore extenuato maximeque infirmo, sanavit cort. Peruv. tempestive datus: quae curatio per tonica praesertim scorbuticis apta, quorum haematemesis est ex genere passivo, atonico, paralytico: quapropter et hic facem recte curaturo praeferat therapeutice universalis.

Quod superest, mulierum menstrua haematemesis diu admodum illibata sanitate fertur, aut revocato ad uterum sanguine, sanatur. Si ingens haemorrhagia, inanitio, si chronica magis, febris lenta, aut hydrops metuendus.

Frictiones, a quibusdam laudatas, ad fluxum re-

Alia est ab ulcere ventriculi, de qua vid. sup. cap. de gastritide pag. 109. Cf. CRUVEILHIER l. l. Livr. X.

vocandum, quam reprimendum aptiores censeo. Cavendum a stimulantibus: cumque tonicis caute admodum mercandum, siquidem praestat, lenem medicinam facere, quam irritando nocere (*).

Sequitur huic haemorrhagiae affinis haemorroïdum fluxus, de quo graves inter medicos motae sunt lites: aliis ipsum naturae remedium auro carius habentibus, aliis adversam, flebilem dicentibus valetudinem, omni artis auxilio oppugnandam. Priorum e numero sunt STAHLIUS et STAHLIANI, posteriorum CULLENUS et plerique recentiorum. Ab utraque parte peccatum est. Haemorrhoides semper valetudinis minus prosperae testes sunt: aliquando tamen a gravioribus malis corpus liberant atque ab eadem nascuntur plethora abdominali; quam viris senescentibus peculiarem esse diximus. Iis opportunitatem praebent vita sedentaria eruditorum, alvi durities, obstructio, graviditas. Hinc perspicitur simul curandi ratio. Raro, nisi a vitio topico, supprimi tuto possunt. Fluxus prudenter moderandus, nimius cohibendus, suppressus, malis aegrotantium rebus, revocandus: phlogistica ubi subsit conditio, venaesectiones, hirudines adhibendae; alvus ubi stricta, eccoproticis cum flor. sulphur. solvenda. Infarctus venarum visceralibus, at caute tractandi. Haemorrhoïdes tumentes,

(*) De haematuria deinceps, ubi de renum calculo; interim Cf. HOFFMANNUS l. l. Cap. VI. et Tom. IV. pag. 267 sqq.

dolentes fomentis unguentisque leniendae, hirudinibus in vicinia loci deplendae. Colica haemorrhoidalis tanquam congestio activa et dolor ventris inflammatorius curandus; fluxus nimius, atonicus, cum virium collapsu, fomentis frigidis, adstringentibus internis, externis sistendus: aloëticis passim ad hunc fluxum vel ciendum, vel augendum celebratis, raro nec nisi prudenter inque corporibus laxis, phlegmaticis utendum; in quibus cum martialibus copulata saepe usus eximii fuerunt.

Atque haec de haemorrhagiis, quae minus recte morborum nomine adpellantur, universe dicta sufficiant. De multis postea saepius dicendum erit, de aliis prius jam dictum est, eaque propter hoc loco de iis breviter tantum locuti sumus: nec semper decies repetita placerent.

Nunc ordine sequuntur febres, quarum magna est cum inflammationibus cognatio. De his igitur in altera hujus libri primi parte, quae continuo in lucem prodibit, a nobis verba fient.

Itaque quo animi vestri respirent ac reficiantur, laborem intermittite ac requiescite paulisper.

Cras ingens iterabimus aequor.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag. XVIII. lin. 19. capiet *lege:* capiat

— 4. — 23. passivum —— spasticum

— 20. — 28. effusus —— effusa

— 60. — 24. Tuebero —— Trebero

— 90. — 28. alimenti —— alimento

— 109. — 13. eroiss —— erosis

— 125. — 28. quorum hic —— quorum ille

— 128. — 13. in ultimo colo —— in ultimo coli,

— 135. — 15. inprimis obvestit *lege:* inprimis faciem internam obvestit,

— — — 16. sub his *lege:* subtus

— 148, 151, 157, 159 in summa pagina DE GASTRITIDE. *lege:* DE ENTERITIDE.

— 204. *lin.* 18. topicae *lege:* topicas

— 219. — 15. caussus —— caussas

— 249. — 14. morbus —— morbum

— 294. — 2. magnum —— magnam

— 351. — 23. pustulas —— pustulae

— 374. — 11. turgens et lympha crystallina *lege:* et lympha crystallina turgens

— 392. — 21. febris aucta *lege:* febris acuta,

— 447. in nota *lin.* 3. pag. 277. *lege:* pag. 377.

— 460. *lin.* 3. Sardonicum *lege:* Sardonium.

loco eodem c. 11. —— c. II.

— 473. *lin.* 16. doluit. facies erat colorota *lege:* doluit, facies erat colorata,

— 514. — 18 sq. qui neque dogmaticus, nec scepticus esse, sed academicus cupio, verum et curans et quaerens *lege:* qui neque dogmaticus, neque empericus, nec scepticus esse, sed academicus cupio, de vero indagando inprimis sollicitus,

— 521. — 1. periodida *lege:* periodica

— 537. — 12. addatur locus et tempus ed. Franc. libri Thomsoni: Paris 1827.

DE

ARTE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE

ARTE MEDICA,

LIBRI DUO AD TIRONES.

LIBER PRIMUS,
PARS ALTERA.
DE FEBRIBUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.

1838.

Medicina Temporis filia.

PRAEFATIO.

Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro.

En alteram libri prioris de arte medica partem, mole parvam, gravem materie, nec sine labore natam. Scilicet hac parte pyretologiam interpretandam suscepimus, cujus ea est ratio, ut ante alias critices opera indigeat.

Ad nomen critices menti oculisque obversatur NICOLAUS PARADISIUS, *quondam noster, pyretologiae eximius interpres ac medicus siquis alius criticus, cujus viri summi memoria recolenda, animos nostros ad talem tantumque laborem quam optime praeparabimus.*

Quanta facierum humanarum, tanta ingeniorum est hominum discrepantia: quorum ut alia sunt ad observandum, alia ad fingendum, alia ad judicandum nata, sive memoria, sive ingenio,

sive judicio excellentes, atque harum alterutram facultatem prae reliquis excultam habent, ita qui judicium maxime acuerunt, ii ad criticam artem apti ante alios atque idonei censendi sunt. Horum criticorum in vitam communem inspicientibus tantus esse numerus videbitur, quantus hominum ipsorum. Quotusquisque enim est, qui non quotidie audiat vulgi de hominum aliorum moribus, vita, studiis judicia, a quorum criticorum vulgarium ne principes in Republica viri, ne ipse quidem Deus O. M. tutus est. Nos vero si rei speciem minus quam rem ipsam quaeramus, magnam reperiemus in tanto criticorum vulgarium numero bonorum criticorum paucitatem.

Et sane tot ac tales in critico consentiant oportet ingenii animique dotes, tantaeque doctrinarum haud vulgarium copiae, ut ea cogitantes, rem mirari desinatis. Quae quales ac quantae sint, PARADISII *exemplo discite.*

Erat PARADISIUS *acuti vir ingenii, ad verum cernendum inprimis nati, cujus in rerum notandis discriminibus maxime versabatur sollertia, ut* ARISTOTELEM *videretur, aut* GALENUM *imitatus. Hanc ingenii sollertiam diligenti excoluerat do-*

ctrinarum quarumvis studio atque tum adcurata linguarum veterum disciplina, tum dialectices, sive logices potissimum cultu exacuerat. Illa autem quantopere excelleret, vel inde cognoscitur, quod intra quatuor annos, omni scholarum latinarum Amstelaedami stadio absoluto, quindecim annorum puer ad Academicas lectiones optimis auspiciis promoveretur. Qua tamen aetate NICOLAUS *suus statura parva et corpore imbecillo quominus in Academiam mitteretur, prudens cavit pater. Itaque Academica studia in tempus differenda atque interea temporis juvenile ingenium historiae, matheseos et theologiae studiis ab humanioribus litteris ad severiores disciplinas traducendum censuit. A quibus ille eos sibi reportavit fructus, ut ingenium non tantum aleret atque ornaret, verum magis etiam acueret et ad dogmaticam rationem componeret.*

Intra biennium hac salubri cunctatione et corpore et animo satis firmatus PARADISIUS *Leidam proficiscitur, cujus scholam medicam tunc inprimis ornabant* ALBINUS *et* GAUBIUS, *alter anatomicorum sui temporis facile princeps, alter pathologiae dogmaticae parens: uterque ingenii acumine in*

sua quisque scientia eminens. Jam tum, dimenso studiorum curriculo, adparuit, critica dote, inter medicos rara, quantopere excelleret PARADISIUS. *Nam edito specimine inaugurali (A. 1763.) in naturam inflammationis ita inquisivit, ut illius caussas non ad obstructionem, quemadmodum vulgaris medicorum opinio ferebat, verum unice ad irritationem revocandam esse magna argumentandi dexteritate sermonisque perspicuitate ac venustate probaverit eique theses adjunxerit miscellaneas, id est ex omni doctrinae medicae parte ductas, non tritas illas, aut pueriles, quales vulgo proferuntur, verum eas, unde germanum agnoscas peritumque medicinae studiosum. In hoc quidem specimine juvenis* PARADISIUS *ostendit, quid a viro esset exspectandum. Est enim specimen pathologicum, quo declaravit animi in medicinam dogmaticam inclinationem. Est censura theoriae* BOERHAAVIANAE, *nuper in hac Academia generaliter acceptae et probatae: quo ingenium ejus criticum cernitur. Est liber denique perbrevis simulque perelegans, sermone bene latino, argumentorum et testimoniorum delectu, interpretationis analogicae praestantia, prompta eruditionis non*

tenuis supellectile, haud vulgari medicorum principum, veterum etiam classicorum notitia insignis. Ecquid mirum, hoc specimen ejusque publicam propugnationem intelligentibus mirifice placuisse? Ecquid mirum, ingeniorum spectatorem elegantissimum GAUBIUM *jam tunc praesagiisse: ex illis hunc profecto unum fore, qui professorum in docendo locum ornarent?*

Hanc autem laudem sibi comparaverat PARADISIUS, *non, qui ingeniorum praecocium mos est, festinando, sed tam ingenuas artes scientiasque discendo fideliter, quam medicinae studiis non paucos aliquot annos, sed integrum sexennium impendendo.*

» *Scilicet, ut ex* TOLLIO *accipimus, amici vitam narrante: practicam prae caeteris medicinae partibus unice amabat, sed ita amabat, ut qui optime perspiceret, quam adcurata hominis et totius adeo naturae scientia instructus munitusque sit oportet, qui recte medicinam et ex artis dignitate facere velit; ad hanc vero plurima et infinita fere discendi curam gravior etiam accedebat et cum pietate proxime conjuncta officiorum consideratio, quae medicinam publice profitendo in se esset recepturus, neque enim* sui, *sed humanitatis caussa artem*

exercendam, non sua, *sed consulentium commoda unice spectanda et nihil in Deum hominesque magis impium fore censebat, quam si per artis aliquando ignorantiam, aut per negligentiam etiam leviorem perderet, quos servare potuisset."*

His scientiis et honoribus auctus Paradisius *Leida mox Parisios se contulit atque ex itinere Amstelaedamum in urbem patriam redux, in ea tantam per viginti annos meritis sibi quaesivit celebritatem, ut ab illustrissimis Academiae curatoribus A. 1784. dignus censeretur, qui defuncto* Doevereno *successor daretur, medicinae practicae et materiae medicae professor ordinarius, quam provinciam oratione habita:* de diligenti Therapeutices universalis studio maximo recte medendi instrumento *suscepit et ita quidem, ut quanti faceret rationis in arte medica inque remediorum inprimis administratione auctoritatem ejusque cum experientia conjunctionem simulque quanti faceret, qui utramque feliciter conjungere docuerat* Hippocratem, *palam profiteretur.*

Quemadmodum hac oratione justam egerat empiricorum censuram ac medicinae rationalis celebraverat laudes, sic altera, quam ad commendan-

dam cognitionem Historiae Medicinae publice habuit, recentiorum castigavit methodicorum impudentiam.

Ipse autem quam bene perspectum haberet utriusque cum empiricae, tum theoreticae medicinae ambitum, declaravit egregiis lectionibus publicis: de vera medicinae theoreticae ratione ejusque finibus, *altero muneris professorii anno habitis.*

Quibus quidem lectionibus et suae ipsius scientiae praestantem speciem adumbravit et ejus simul addiscendae studiorumque rite ordinandorum methodum.

Non plebejam cogitabat PARADISIUS *institutionem ad medicinam, id est empiricam, sed honestam, liberalem, Academicam. Eapropter et litterarum linguarumque cum veterum, tum recentiorum notitiam et veterum lectionem auctorum et dialectices et physices severiora studia et historiae cognitionem medicis commendavit: cumque practicam institutionem ei mandatam quanti faceret, Nosocomium testetur Academicum,* PARADISIO *et* OOSTERDYKIO *suasoribus ordini medicorum concessum, eam tamen nec solam laudibus extollere, nec theoriam eruditionemque medicam verbis ele-*

vare, aut contemnere solebat. Talis enim illiberalitas in alios, ab angustis doctrinae compendiis profectos minusque liberaliter institutos, cadere poterat, in PARADISIUM *non poterat, qui patris, medici ex schola Boerhaaviana ductu atque auspiciis ad quaevis praeclara eruditus, optime sciret, quo societatis vinculo omnes disciplinae medicae inter se devinciantur.*

Hac mente laudavit et vindicavit sancitam a majoribus ad medicinam institutionem. Hac mente philosophiae logicae studium illamque praecipue illius partem, nimis fere neglectam, de meliore nota cupiit commendatam, quae moralem evidentiam tractat. Hac mente humaniorum quoque studium litterarum apud futuros medicos plurimum valere debere existimavit: quarum imperitia, ipso judice, factum est, ut negligerentur HIPPOCRATIS *monumenta, quum homines imparati fere a necessariis ad aurea viri summi scripta intelligenda praesidiis, acerbas damnent, quas attingere non possunt uvas et quae ipsi facere non possunt, verbis elevent. Hac mente physicam experimentalem futuris medicis severa lege excolendam judicavit. Hac mente in fideli artis historia secta-*

rum studio remedium esse positum maximum, arbitratus est.

In practica autem institutione tam peritum se praestitit artis salutaris professorem, ut ejus eximia eruditio et singulare in morbis dignoscendis curandisque acumen intelligentibus omnibus probarentur; quod quidem acumen non tantum in morborum simplicium, verum compositorum maxime et complicatorum subtili dignotione eminebat; neque formis duntaxat morborum inhaerebat, sed ipsorum etiam symptomatumque rimabatur caussas.

» In ipso therapeutices usu, in exercitio practico, prae aliis cautus erat, ita quidem ut si modum excedere posset prudentia, hac in parte subinde amicam castigationem meruisse videri potuerit, nos vero id ipsum in laudem vertendum duximus: nempe artis salutaris indolem vitamque humanam justo pretio aestimans, timidus esse, quam audax maluit et ab effreni illo venenorum, omni fere formulae hodie intrusorum, usu, ac si indomito furore morbos debellare deberemus, maxime erat alienus."

Hisce a collega OOSTERDYKIO *sive timiditatis, sive prudentiae caussis prolatis aliam addere opor-*

tet, a critico viri ingenio, qui ea in parte, quae maxime empirica est hactenus, omnium minime cupiit a recto tramite aberrare.

Quod ad naturae interpretationem fortunato eventu transtulerat mirum ingenii acumen, idem ad auctorum etiam intelligentiam suppari fortuna adhibuit, quo factum est, ut ejus lectiones practicae essent non tantum doctrinae elegantis plenissimae, verum perpetua insuper eaque praeclara Boerhaavii, Swietenii, Stollii, Sydenhami, Huxhami, *verbo medicorum principum interpretatio totiusque medicinae classicae descripta forma.*

Hac criticae artis praestantia cur tanti fecerit et immortalem Verulamium, *oculatum illum ac perspicacem cognitionum humanarum censorem et* Morgagnum, *classicum anatomes practicae cultorem eundemque elegantissimum medicum criticum, unusquisque rei gnarus satis facile intelliget.*

Itaque praeclara Paradisii *disciplina juvenum ingenia quasi manu ducebat ad naturae scriptorumque medicorum hermeneuticen: ad interpretationem scilicet non vocabularem duntaxat, jejunam, frigidam, sed abundantem rerum scientia, exemplorumque copia; grammaticam, historicam,*

antiquariam, inprimis vero criticam. Nam symptomatum varias significationes morborumque etiam similium discrimina acute distinguendo atque auctores medicos subtiliter commentando, suo quaevis loco disponebat, obscura illustrabat, hactenus nondum intellecta explicabat, restituebat emendabatque corrupta atque ita tractabat quaevis, ut quidquid tangeret, aurum fieret. Scilicet auctorum classicorum lectione innatum pulcri venustique sensum aluerat et firmaverat, ut quodcunque proferret, et ipsum pulcritudine esset et venustate conspicuum.

Nec tamen omnibus placuit haec critica disciplinae Paradisianae ratio, neque omnes ejus vim praestantiamque capiebant. Alii nimis subtilem acutumque fugiebant praeceptorem: qui nempe crassa Minerva medicinam tractare malebant; quasi vero non ipsa subtilis natura sit naturaeque scientia. Metuebant alii viri lepores atque aculeos. Alios aut amor systematis, aut veterum odium litterarum, aut invidia denique ab eo alienarunt; qui vero sequebantur eum atque amabant, ii mirifice profecerunt, ut e schola Paradisiana non multi quidem, sed optimi prodirent iique vere Hippocra-

tici medici, id est ab empiricorum temeritate pariter atque adrogantia systematicorum abhorrentes iique docti, rationales, liberales, honesti. Quae discipulorum in praeceptorem caritas ac pietas exacto vitae Academicae tempore illoque remoto non languescere, immo exardescere magis solebant; postquam maturior actas, aera a lupinis discernens, judicium animumque maturaverat.

Eruditorum vulgus seculi solet servire servitutem; a qua Paradisium *servavit diligens historiae studium, quo nulli addictus sectae, sed suae spontis animumque gerens totum veritati patentem, non suae argumenta opinioni, sed sola naturae quaesivit judicia. Quam animi moderationem, sapiente dignam, nulla alia re adeo ali ac confirmari arbitratus est, quam hoc ipso bene culto historiae medicinae studio: ideoque justum illum ac tenacem propositi virum non* Culleni *dictatura, non tyrannis* Brownii*, non vulgi denique vana experientiae tenuis et manipularis jactatio mente quatere solida potuit.*

Ostentationem et inanem pompam oderat cum in reliqua vita, tum in docendo: cumque in omnibus rebus auream diligeret mediocritatem, in scriptis ejus

(quae nec numerosa edidit, nec magna eaque sola Academica) in scriptis igitur ejus dictisque ut sal Atticum, sic Attica pariter sobrietas inerat, quae et salubritatem adfert et aufert satietatem. Animum vero si velitis contemplari; et quae esse potest sine animi magnitudine eruditi scientia, critici aequitas, excellentia hominis? eximiam illius meditemini de Εὐθανασία *Orationem, omnis humanitatis, caritatis, pietatis sensus plenissimam.*

Laudemus igitur nostrae fortunas Academiae, quae cum nacta sit Boerhaavium, *medicinae institutionisque medicae reformatae auctorem, ex* Boerhaavii *schola prodeuntem vidit* Paradisium, *qui criticam operi artem admoveret illudque perficeret ac perpoliret.*

Dies diem docet. Reformatori medico successit medicus criticus. Altera est instauratio operis; altera perfectio. Novum doctrinae medicae institutionumque medicarum corpus creaverat Boerhaavius *eamque commentario perpetuo illustraverat* Swietenius. *Verum plures in opere supererant hiatus et lacunae, quae suppleri, errores, qui corrigi, theoriae, quae emendari deberent, neque eam, quam oportuit, principii vitalis, cujus*

nondum satis innotuerant leges, rationem Boerhaavius *habuit vimque ejus omnem non satis perspexit. Accessit, quae doctoris est, propria placita explicantis; quae horum potissimum temporum hujusque erat conditionis medicinae, synthetica magis atque dogmatica docendi methodus, ad proponendam ac fundandam novam doctrinam aptissima, ad eam vero aut explorandam, aut expurgandam inepta prorsus.*

Secuti sunt multi Boerhaaviani, sed illi ex servo imitatorum pecore, eruditione magis, quam judicio pollentes. Tandem exstitit Paradisius *et ipse Boerhaavianus, at sui simul arbitrii, qui litterarum aeque ac medicinae peritus, litteratorum ad exemplar medicinam critice emendaret; qua et cultioris ipse aetatis genium expressit et vero disciplinae medicae explevit desiderium.*

Talium virorum laboribus frui nobis licet, quibus O utinam! sic fruamur, ut non otiosos imitemur ac pigros parentum divitum liberos, verum dignos nos praestemus tantarum virtutum haeredes.

Scrib. d. 13 Augusti 1838.

INDEX CAPITUM.

PYRETOLOGIA.

Est hoc de febribus caput omnium in medicina practica celeberrimum multisque et gravibus nuper controversiis agitatum. Nam cum antiquitus, a Galeni praesertim aetate, febres morborum principes habuerant medici, ab iisque vel interpretationis, vel classificationis morborum exordium duxerant; hoc, quod vivimus tempore, credideris omnem febrium cohortem ex his terris exulasse atque eo usque res devenit, ut vix febris nomen pronuntiare audeas, ne videare aliis prorsus insanire. Nobis igitur, o Amici! hic caute procedendum est, ne in varias hominum reprehensiones ipsumque stultitiae crimen incurramus, neque ab altera parte, quod paullo magis curae cordique habemus, deflectamus a veritate. Quamobrem videamus, utrum et veteres et recentiores audientibus remque ipsam animo a partium studio libero perquirentibus, quid verum sit, deprehendere liceat.

Morborum cognitio, ut medicina omnis, ab ob-

servatione originem traxit: quam ab observatione originem testantur morborum nomina, tum ejus generis, quod primo explicuimus, a priscis jam auctoribus Graecis φλόγωσις, φλεγμονὴ, φλεγμασία dictum, quod Latini vocabulo *inflammationis* reddiderunt: tum alterius generis, de quo nunc sermonem instituimus, Graecis πυρετός, Latinis *febris* nomine dicti: quo utroque vocabulo utriusque generis morborum et communes characteres et arctam cognationem, tanquam spontaneo animi motu, veteres tam praesensisse, quam praenotasse videntur. Nec latuit haec cognatio Boerhaavium, qui ipsam inflammationis individuam comitem dixit (*Aphor.* 558.) ejusque sedem in corde et genere vasorum posuit (*Aphor.* 581). Ab hac quidem observatorum veterum sententia multi recesserunt, praesertim dogmatici, tum veteres humorum pathologiae addicti, tum recentiores nervorum secuti pathologiam, quorum illi, auctore maxime Claudio Galeno, placitum de temperamentis ad febrium doctrinam condendam adhibuerunt, hi, Gulielmo Culleno duce, febrem intermittentem tanquam morborum febrilium typum atque exemplar quoddam posuerunt. Exinde magis magisque a veterum observatorum simplicitate et veritate deflexum est: quamquam nullo tempore defuerunt, qui hanc inflammationum febriumque cognationem adgnoverunt.

De febribus autem disputantibus nobis primo ipsa definienda est. Quodsi realem definitionem

cupiatis, ipsa febris natura indaganda est, de qua tot fere exstant hypotheses, quot medicorum philosophantium capita, quae quidem hypothesium multitudo semper, ut cum mathematicis loquar, est in ratione inversa scientiae. Si nominalem velitis definitionem, tantam reperietis symptomatum febrilium copiam, tantam valetudinum, quae communi febrium nomine describuntur, diversitatem, tantamque eorum, qui de re medica scripserunt, in febribus describendis discrepantiam, ut quo plures pervolvatis scriptores, eo obscurior res fiat tandemque cum Burserio fateri cogamini, nullam adsignari posse febri caussam proximam, aut cum Sellio: febrium classem non esse morborum classem naturalem. Hae tales tantaeque rei difficultates etiam Boerhaavium torserunt, hunc locum explicaturum, ex quibus ut semet expediret, laborem suscepit, tanto ingenio tantaque doctrina dignum. Numerosos videlicet pervolvit medicorum libros, cuncta, quae in febribus ab ipsis observata sunt symptomata notavit, excerpsit, in chartas conjecit et in communem redegit catalogum. Delevit inde, quae singulis febribus propria: quae cunctis communia, retinuit et ex communibus his quae supererant, communem indagare et efficere tentavit febrium naturam. Quo quidem labore peracto, miratus est Boerhaavius rei compositae adeo et complicatae, ut antea videbatur, simplicitatem. Haec AA.! haec est divina illa ingenii vis, qua

1*

quae rudis videbantur indigestaque moles, ad priscum reducuntur naturae ordinem. Nec tantum aliorum libros perlegit, sed etiam suas consulens observationes librum perlegit naturae, ad quem librum quotiescunque magna est scriptorum dissensio, medicis semper est revertendum et tum inprimis revertendum est, si de morborum adfinitatibus naturalibus et de reperiundo morborum systemate naturali quaeratur.

Non infitior AA.! mihique confitenti facile fidem habebitis, me diu multumque mente volvisse et cogitasse, quanam quam optime via, qua methodo vobis traderem difficillimam illam, at utilissimam simul maximeque fructuosam de febribus doctrinam. Placuit Boerhaaviana methodus, propter Boerhaavianam simplicitatem, accessit tanti viri auctoritas, ipsa Stollii auctoritate firmata. Invitus tamen ab eo recedere coactus aliam ingressus sum viam, recentiorum praesertim de febribus observationes numerosas cogitans. Siquidem in ea jam versor opinione, symptomata ejusmodi febrium peculiaria, pathognomonica, quae et inflammatoriis et putridis et nervosis febribus et continuis et remittentibus et intermittentibus communia sint, nullatenus posse indicari. Quamobrem necesse est, alia uti methodo, ut tandem, quoad fieri possit, obscura illa et vexata adeo pyretologia et plenius intelligatur et addiscatur facilius. Illud ut fiat, natura duce, simplicissima quaedam quaerenda est

et indaganda febris species, ex qua tanquam pyretologiae prima linea et caetera composita febrium genera intelligi possint et cum quo, tanquam exemplari aut typo quodam, possint conferri. Ea igitur reperiunda erat et indaganda febris, quo tanquam fundamento quodam omnis haec disciplina posset superstrui, febris nempe pura maxime et simplex, nihil habens aut compositionis, aut complicationis, brevi talis, quae ad simplicissimam redacta rationem naturamque nil nisi febris esset. Talis autem febris pura maxime et simplex ea est, cui *Ephemerae*, sive *Diariae benignae* nomen est. Haec enim homines sanos maxime integrosque inopinato adoritur atque intra unius diei noctisque spatium circumscripta et sponte solvitur et nulla sui in corpore vestigia relinquit. Ab hac igitur, tanquam morborum febrilium exemplari et typo quodam, omnis ordienda est pyretologia. Etenim hac probe intellecta compositae et facilius intelligi et aptius explicari poterunt. Ab hac, siquidem ulla haberi possit, ab hac febris naturae et caussae speranda et expectanda indagatio est. In hoc namque exemplari simplicissimo natura febris maxime cernitur omnique alieno ornatu abjecto, quo toties imponit, nuda spectatur, sincera et sine fuco: ab ea denique universalis ducenda est doctrina febrium, de qua qui generalia praemittunt, rem nobis inutilem et infructuosam facere videntur. Quid enim universe de febribus inflammatoriis, putridis, ner-

vosis, dici utiliter potest? Quaenam hisce universalia adsignari aut symptomata, aut caussae, aut curationes? Quapropter synthesin naturae sequamur atque a vera, pura, simplici febris specie nostram ordiamur pyretologiam.

Ephemera, sive diaria spatio viginti quatuor horarum initia, incrementa, statum, declinationem absolvens sine frigore, aut rigore incipit, pulsu magno, valido, celeri, aequali, diastoles, quam systoles respectu velociori, calore miti, suavi, urina fere naturali, aut mox cocta. Nulla habet graviora symptomata, aut insignis cujusdam actionum naturalium laesionis indicia. Declinatio cum madore facilis. Lysi magis, quam crisi terminatur ac transit in apyrexiam perfectam, pulsu mox a febris exitu plane restituto.

Haec est AA.! simplicissima, quae in rerum natura existit, febris imago, qualem ad rei veritatem expresserunt TRALLIANUS, AVICENNA, LOMMIUS, qui omnium optime de hac febre egerunt. Habet autem illud peculiare, quod uti celeriter generatur, ita etiam celeriter solvitur et sine ullis praeviis symptomatibus, sine ullis praeludiis derepente tota accidit, nulloque graviori incommodo, ubi jam esse coepit, molesta est. Cff. JODOCI LOMMII Medici Bruxellensis egregii et auctoris elegantissimi *Observationes Medicinales*, *Libr. I. initio:* quod recte opusculum aureum dicitur prodiitque emendatum Amstelodami 1761.

Porro in ipso morbi principio jam tangitur pulsus validus, magnus, celer, aequalis, frequens. Differt igitur pulsus ille a parvo, contracto, inaequali, qualis esse in aliarum febrium, praesertim intermittentium principio solet. Est etiam pulsus in ephemera quoad diastolen magis, quam systolen velox, id est arteria prompte et subito quasi ictu expanditur, tardius contrahitur: atque haec illa est pulsuum ratio, quae vocatur celeritas. Pulsus celer est, in quo pernici ictu expanditur, in quo arteria velocissimo motu digitum ferit. (Pulsus frequens ad numerum pulsationum sub certo tempore factarum pertinet; celer ad rhythmum, ad diastoles promptitudinem). Hunc pulsum celerem inter ephemerae signa diagnostica recensuit ALEXANDER TRALLIANUS, *de Arte Medica* lib. 12. cap. 1. et AVICENNA sive EBN SINA medicus Arabs celeberrimus: quem locum: est enim liber inter rariores, reperietis apud QUAESNAEUM in *Tract. de febribus continuis*, *Opp.* Tom. II. pag. 353. Talem pulsum, quem schola Stahliana febribus proprium, essentialem earumque signum pathognomonicum dixit quique in diastole i. e. sub arteriae expansione potissimum celer est, cordis efficit velocior contractio. Hunc pulsum comitatur calor mitis, suavis, vaporosus, indicio liberam esse ac plenam cordis sanguinem ad cutim corporisque superficiem deferentis actionem. Calor iste igitur non ardens est, ut in Causo, non urens et mordax, ut in

putrida, non siccus, ut in hectica febre, sed suavis, mitis, humidus. De urina notavit LOMMIUS, nihil aut parum ipsam demutari et AVICENNA, eam esse naturalem. TRALLIANUS vero urinas per initia morbi manifestas coctionis notas repraesentare (*): quae discrepantia inde forsitan oritur, quod etiamsi vulgo lysi terminetur ephemera, interdum tamen vera observata sit crisis et loco lenissimi cutis madoris, qui in perfectissima Ephemerae specie notatur, verus quandoque sub morbi finem erumpat sudor. Idcirco de perfectissima tantum illa specie accipiendum est, quod scripsit AVICENNA, si copiosus fuerit sudor, non esse ephemeram. Pulsus mox a febris exitu plane restituitur et perfectissima sequitur apyrexia. Febris in perfectam mox desinit integritatem, illico pacantur pulsus, quaevis evanescunt symptomata et perfectissima febrilem impetum excipit sanitas. Haec sunt indicia naturae victricis, quibus ab intermittentibus discernuntur febres diariae. Nam in intermittentibus semper post paroxysmum, post accessionem febrilem et debilior esse et frequentior solet pulsus, aut imbecillitas quaedam, aut aliae remanere morbi reliquiae. Diagnosin certiorem faciunt nullae hoc

(*) Equidem suspicor, urinam coctam per initia in omni ephemera dummodo attendas, observari: notatam autem a solo TRALLIANO, quoniam Veteres ad signa coctionis et criseos erant peratteuti.

tempore spectatae intermittentes et praegressae solitae ephemerarum caussae. Adoritur homines sanos, juvenes, sanguineos, corpore puro, integro: gignitur caussis evidentibus, errore in victu vitaeque regimine: vigilia, sollicitudine, moerore, ira, aestu solis, lassitudine, temulentia, inedia, nimio corporis motu et similibus.

Itaque ephemera pura et simplex ut fiat, ab una parte corpus sanum sit oportet et integrum nullamque habeat aut humorum labem, aut vitium solidorum, ab altera parte caussae sint evidentes, non miasma, aut contagium, unde ephemera existitit maligna, epidemica, non latens quaedam in corpore acrimonia, quae ephemeram putridam induxisse fertur, gangraenosam, qualis reperitur in Epid. III. Hippocratis et apud Burserium l. l. Vol. I. *Parte alt.* §. 220 sqq. Germana igitur ephemera ut pura maxime spectetur illiusque natura cognoscatur, omnis mixtionis et complicationis expers, in corpore spectanda est juvenili, robusto, integro. In tali corpore inducitur saepenumero a caussa leviori: ab errore in victu, nimio corporis exercitio, motu, cursu, graviori quadam animi perturbatione, ira, gaudio, a cibo acriori, aromatico, vino, a suppressa perspiratione, refrigerio, nimio aëris calore, plethora, molimine menstruo, in feminis virginibusque, aut incipiente in puerperis lactatione similibusque. Pro harum diversitate caussarum Sauvagesius in *Nosol. Method. Cl. II.*

Ord. I. Gen. I. notavit plures ephemerae species: Ephemeram plethoricam, crapularem, a frigore, a calore, lacteam, vulnerariam, menstruam: quarum tamen specierum plethorica, menstrua, lactea, vulneraria, strictissimo forsitan sensu a perfecto, quem hoc loco volumus ephemerae typo aliquantisper recedunt, quia plethoricam ponunt, aut phlogisticam in corpore diathesin. A caussis istis evidentibus irritatur cor et genus vasorum. Quippe agunt tanquam stimuli et irritamenta et tanquam irritamenta et stimuli spectandi sunt, quorum actione et perceptione omne corpus in consensum trahitur quaeque in primis majorem provocant cordis actionem, qua celerior fit sanguinis motus. Quoniam vero potissimum cor ipsum afficitur, pulsus tangitur in carpo velocior et praesertim velocior in arteriae diastole. Est enim vis diastoles, sive expansionis arteriae mensura, ad quam in corporibus sanis computatur ipsa cordis systole, ipsa vis, qua cor in arterias impellit sanguinem. Pulsus diastole metimur vim et magnitudinem contractionum cordis. Systole vero sive pulsus contractione ipsam arteriarum sese contrahentium vim et actionem. Est igitur caussa proxima ephemerae in ipso corde ejusque actione vitali quaerenda ideoque germana ephemera nihil aliud, nisi aucta, accelerata ab irritato corde circulatio. Quam ephemerae naturam testantur tum ipsius symptomata: pulsus ille validus, magnus, velox, celer, aequalis, mox a paroxysmo

plane sedatus, calorque auctus quidem, sed mitis, suavis, in lenem transiens cutis madorem; tum caussae sive praedisponentes, siquidem incidit illa febris in corpora, sana, juvenilia, irritabilia, in quibus viget maxime systema circulationis quaeque insignia sunt temperie sanguinea, huic maxime aetati propria; sive occasionales, scilicet irritamenta, quorum praecipua est circulationis incitandae potestas: quid quod solus nimius corporis motus, quo acceleratur magnopere circulatio, inter frequentiores numeratur febris diariae caussas. Id ipse crebro expertus sum artem faciens, concitato, post nimium motum diurnum, motu febrili vespertino. Itaque praeter febrilem sanguinis motum nihil in corpore alienatum, aut mutatum deprehenditur et hoc motu pacato, cuncta absunt morbi pristini vestigia: quae cum ita sint, dynamica esse videtur diariae ratio ipsaque symptomatibus activis adnumeranda. Hanc quidem conjecturam omnis ephemerae decursus probat. Nam motus ille, accessio, paroxysmus ephemerinus, qui unius diei noctisque spatio finitur, ecquid aliud est, quam vitae renisus a mirabili illa corporis nostri dote oriundus, qua irritamenta non tantum percipit; verum etiam iisdem commovetur, ac si in stimulum insurgeret vita suasque vires magis usque explicaret irritata.

Prognosis fausta. Diariam omnem, ita Lommius, curasse, quam novisse facilius est. In qua saluta-

ri diariae purae natura praedicanda omnes consentiunt auctores. Periculo vacat, siquidem nullus metus est, ne aegri vires nimium labefactentur, tam brevi temporis spatio. Quare sponte, absque medici auxilio saepius terminari solet: unde curatio facilis, abstinentia, quiete, dilutione. Nam, quoniam febris illa sponte solvitur, arti nihil faciendum superest, nisi ut naturae illud opus non turbet, sed promoveat. Quod quam optime fiet abstinentia, a cibo scilicet. Cibus enim in acutis morbis non nisi post morbum judicatum concedendus est: in diuturnioribus tum dandus est, ubi metus est, ne aegri vires tam longo morbo ferendo impares sint. At vero hic morbi finem intra tempus brevissimum exspectamus, quam propter brevitatem nulla urget indicatio vitalis. Simul potus imperandus est multus, tepidus, diluens, aqueus, ex levi infuso theae, aut aqua hordei, cum succo citri, saccharo edulcorata. Quae sufficerent, nisi mos ferret praescribere medicamen, cui medicus junior ita obtemperet, ut innocuum quoddam praescribat, ex graminis aut hordei, aut bardan. decocto cum roob samb. aut ribes. Utendum est igitur curatione passiva. Quiescat aeger in lecto, ut cordis motus sedetur et cutis sustentetur perspiratio, a quibus maxime caussis pleraeque gignuntur ephemerae. Nec corporis tantum, verum mentis quoque imperetur quies, omnesque amoveantur ingrati stimuli: quo facto omnis brevi ab-

erit turba febrilis ac redibit continuo pristina sanitas.

Ephemerae plures casus adnotavit e nostratibus medicis FORESTUS: priorem, quae omnium observationum prima est, exempli loco citabimus (*). » Adrianus Alouvinus Delphius Zythepsa (alii cerevisarium vocant) circa solstitium hyemale ex levi peregrinatione cum in exiguam lassitudinem incidisset, atque alvum utcunque lubricam haberet, ephemera febre correptus est. Ad quem cum vocatus essem atque animadvertissem, quod eodem tempore ter alvum per se deposuisset, eundem in lecto quiescere mandavi, sudore levi non admodum diu postea emanante. Cumque lotium inspexissem, quod reservatum erat, boni esse coloris ac suavem calorem in toto corpore persentirem, hominem de salute sperare jussi, quodque paucis horis a febre in totum liberaretur, praedixi. Neque haec praedictio me fefellit. Nam post viginti quatuor horas a febre liberatus, recte dein valuit."

Ephemera si protrahatur per plures dies, vocatur synochus, sive febris continua inflammatoria.

Scire licet, inquit LOMMIUS, eandem unico finiri die consuesse, quem diem si transit tertiumque

---

(*) PETRI FORESTI, *Alcmariani Medicinae doctoris experientissimi, inclytae Reipubl. Delphensis medico-physici ordinarii Observationum et Curationum Medicinalium ac Chirurgicarum Opera omnia quatuor Tomis digesta* Tom. I. Rothomagi 1653.

superat, jam tum diariam esse desinere. Tum caput vel dolet, vel grave est, corpusque omne ac praecipue facies vehementer rubet caletque. Ad haec altior occupat somnus, multum arteriae in temporibus moventur, ipsa spiratio molesta est, pulsusque magnus et plenus et frequens et velox, totum denique corpus segnescit et quadam veluti lassitudine occupatur. Cf. LOMMIUS lib. laud.

Caussae, symptomata, medela eadem: maxime sanguinis missione et refrigerantibus eget. Nimirum ephemera protracta, quemadmodum ipsa natura sua tendit in febrim continuam inflammatoriam, sic acceleratus ille sanguinis motus circulatorius venaesectione compescendus est. Rem docet juvenis cujusdam historia a GALENO memoriae prodita *Method Med.* lib. IX. c. 4. » Juveni, sic ipse historiam refert, qui triginta dies consueta exercitia intermiserat et deinde se validius exercuerat, febris aderat admodum calida; pulsus tamen erant aequales, maximi, celeres, vehementes, calor non erat mordax, urina a naturali statu non multum aliena, interim tamen rubicundus et plenus homo adparebat. Venaesectio, partim ut constaret prius de febris natura, partim etiam ob dissentientes medicos in consilium vocatos, delata fuit in tertium diem usque. Aestus jam erat aegro intolerabilis, corporis totius tensio, capitis pulsatio et molesta vigilia; unde GALENUS ad animi deliquium usque sanguinem mittendum curavit, atque sic febrim

exstinxit illico; sic, ut quidam adstantium ridens Galeno dixerit: o homo! jugulasti febrim. Paulo post enim levi nutrimento prius exhibito, in profundum somnum delapsus est aeger et blandum sudorem, atque perfecte convaluit.

Post sanguinis detractionem utilia sunt refrigerantia, diluentia, nitrosa, acidula, potus multus, tepidus ex aqua hordei cum succo citri et medicamina ex decoctis aperientibus, graminis, bardanae cum nitro, aut decoctum gramin. tamarindinatum cum oxymelle similibusque remediis.

DE SYNOCHO, SIVE FEBRE INFLAMMATORIA.

Cum ephemera protracta naturae societate nectitur febris inflammatoria, quae veteribus *Synochus*, recentioribus *Synocha*, minus graece adpellatur. Hujus quidem et illius tanta est similitudo atque adfinitas ut ex ephemera protracta graviori ipsa fiat febris inflammatoria eaque propter ephemeram in systemate morborum sequatur oporteat synochus. Haec iis fere caussis movetur, quae vel sanguinis copiam augent, vel cor et genus vasorum stimulant: cujusmodi sunt aetas juvenilis, temperies sanguinea, plethorica; tempestas sicca, frigida, hyems, ver primum, suppressae, quibus corpus adsueverat, sanguinis evacuationes, diaeta lau-

ta, vinosa, exercitia aut nimia, aut intermissa, ira, amor, vulnera, contagia, congestiones, inflammationes, graviditas. Itaque febres inflammatorias exspectabitis ea aetate, ea corporis conditione, eo tempore, quo cor et genus vasorum maxime vigent ex iisque opportunitatibus, quibus vigor ille sanguinisque impetus incitantur: in juvenibus ergo puberibusque puellis gravidisque mulieribus iisque, quibus pectus amplum, lati humeri et rubicundus in facie color: quae organa vitalia in corpore praecellere testantur. His seminiis si accedant prophases ab aëre frigido, sicco, hyberno, aut vernali, ab exercitiis laboribusque et pervigiliis, a victu lauto, opiparo, a potus alcoholici abusu, ab animi perturbatione, a vulnere, contagio similibusque id generis, gravis metus est, ne seminium in morbum erumpat. Ejusdem generis inflammatorii febris vulneraria est, sive traumatica, quae die, ab inflicto vulnere, tertio moveri solet: interdum prius, aut altero, aut primo, quamque jure huc retulit Pinellius l. l. Tom. I. pag. 34 sq. Ed. VI. nec non, quam contagia: variolosum, morbillosum, scarlatinosum concitant, siquidem in corpora inciderint sana, vigentia, aut in morborum constitutionem inflammatoriam, qua regnante, vel pestis contagium, Sydenhamo teste, Londini febres accendit inflammatorias et miasma paludosum nostris in terris accendit febres intermittentes, in phlogisticam conditionem procliviores. Ex animi

perturbationibus, quae cor maxime movent, ira et amor, harum etiam febrium prophases fuisse feruntur. Eas in corpore caussas si existentes cognoveritis, natam febrem cognoscite his notis.

Orditur fere ab horrore, quem brevi sequitur aestus non urens, aut mordax: pulsus pleni, validi, frequentes, celeres, duri, interdum vero molles, ad speciem parvi, contracti, spiratio frequens, calida, quandoque laboriosa, facies rubra, vultuosa, oculis splendentibus, carotidum, temporalium, aliarum etiam in toto corpore arteriarum pulsatio, venarum turgor, cephalalgia, aurium tinnitus, somnolentia, aut pervigilium, olfactus, gustus hebetudo, lingua albida, aut praerubra, humida tamen, nisi in morbo gravissimo, in quo oris, labiorum, cutis siccitas; sitis, dolor artuum, lumborum, lassitudo, qualis plethoricorum, corporis jactatio, agitatio, aurae frigidae desiderium, insomnia, deliria, alvus adstricta, urinae parcae, flammeae. Typus febrilis continuus. Intra quatuordecim dies utplurimum terminatur. Cavendum esse, monet Pinellius, ne, quod a Stollio factum est et Frankio, complicationum signa in morbi historiam suscipiantur; quo nomine magis etiam culpandi sunt recentiores Franciae medici, qui febrem inflammatoriam simplicem ab ea, quae cum inflammationibus singularum partium componitur, non accurate segregarunt, quod eo, quo tenebantur, sacro febrium essentialium horrore, accidisse iis

credo. Nimirum, ex quo Broussaissius gastro-enteritidem morborum quendam quasi principem ac regem constituerat, eandem etiam symptomatum febrilium fecit auctorem atque febres, quae vocantur essentiales, esse mentis aegrae somnia dixit. Quae Broussaissii opinio exinde magnam nacta est celebritatem, tum quod ab hoc viro profecta fuerit, tum quod crebris cadaverum sectionibus visa sit firmari: ac licet postea gastro-enteritis, numero exceptionum in dies increscente, de statu suo conciderit ac morborum tyrannus esse desierit, pervulgata tamen inter medicos Parisienses et inconcussa fere stetit opinio, febres essentiales nullas esse. Qui si febrem essentialem eam intelligant, quae nulli parti addicta totius morbus sit oeconomiae, me habeant iiscum facientem: sin vero negent, esse febrem sine inflammatione topica, veritatis me cogit testimonium auctoritasque, ab iis dissentire. Scilicet ex hac febre vix pereunt homines, nisi ad partis non unius, sed complurium etiam phlogosin res pervenerit, ut ideo non miremur crebra ab ipsis in mortuorum corporibus inventa esse inflammationum vestigia. Neque inde tamen jure quis effecerit, easdem, quae mortis, etiam morbi fuisse caussas, quaeque in corpore reperiuntur partium mutationes, exstitisse ab initio. Verum de his postea. Jam, quod instituimus, iter persequamur, primoque videamus de signis synochi, saepe multumque variantibus. Nempe, quod

saepius dixi, est autem saepius dicendum, morborum alia prorsus, quam reliquarum rerum naturalium ratio est. Has seorsum spectare licet, ab aliis rebus remotas, morbos non licet; quandoquidem in corpore oriuntur organico, vita praedito eoque renitente ac repugnante vitae alienae. Hoc cum corpore contubernio, hoc renisu, hac repugnantia suscitantur in corpore turbae, natae quidem occasione morbi, nec tamen natae ex morbo ipso, sed ex mutua partium sympatheia maxime. Atque haec quidem caussa est, cur in alio homine synochus caput laedat, in alio pulmones, in alio ventriculum, aut viscera abdominis reliqua: unde alii mente aberrabunt, aliis laedetur spirandi officina, alii ex abdomine inprimis aegrotabunt, pro singulorum corporum natura.

Procul dubio etiam potentiae nocentes discrimen faciunt, quarum unaquaeque alias prae aliis partibus sollicitat: frigidum siccum cutim et pulmones, corporis labor musculos, mentis labor, aut pervigilium nervos, caet. Istae autem an tanti putandae sint, ut ex plethora topica demum, quam provocant, synochus generari dicatur, cui generandae plethora universalis non sufficit, quemadmodum placuit Viro Doctissimo Boisseau, Pyretologiae physiologicae nuper editae (*) auctori, adfirmare non-

(*) *Pyretologie physiologique, ou traité des fièvres considérées dans l'esprit de la nouvelle doctrine médicale;* par N. G.

dum ausim. Nam rationis testimonia quaerens, non video, cur non possit plethora eo usque increscere, ut etiam sine ejusmodi ex congestione prophasi, haec febris nascatur; experientiae vero testimonia audiens, in multis arduum erit definire, quae caussa morbum fecerit, cum plures praecesserint. Accedit, quod in plethoricis non tantum copiam sanguinis auctam, verum etiam ipsius indolem ac crasin mutatam esse, locuples nobis testis sit Gendrinus, ut in hoc saltem casu plethoram universalem morbo creando parem fuisse existimaverim. Qua de re, cum in utramque partem disputari probabiliter possit, hactenus adsensionem cohibere, quam temere adsentiri malo. Caeterum monendum est, veterum de plethora commota placitum ab hoc Boissaviano non magnopere distare.

Alia igitur symptomata propria sunt febri synocho purae et simplici, alia ex partium sympatheia originem repetunt: verbo alia sunt symptomata *morbi*, alia sunt symptomata *hominis aegri*. Cff. *Initia discipl. pathol.* §. 548, 549. Est autem in hac quoque febre non ad unum alterumve symptoma, verum ad symptomatum syndromen attendendum, quorum symptomatum in hac ipsa major est, quam in aliis quibusvis concentus atque harmonia, ita ut pulsuum, caloris, respirationis nor-

---

Boisseau. *Quatrième édition*, Paris 1831. (prima Editio prodiit a. 1823.)

ma et ratio secum invicem conveniant sibique respondeant. Ejus typus continuus dicitur, non quasi uno semper tenore pergeret, sine ulla remissione: nam recte praecipientibus Haenio, Burserio, aliis, nulla est febris continua, in qua non subinde quaedam per accidens fiat symptomatum remissio; verum quia haec continuarum continentium febrium remissio, quae fortuito evenit, ab ea febrium remittentium, quae constans est certisque periodis adstricta, plurimum differt.

Varius hujus morbi exitus est in lysin, crisin, mortem, aut morbum secundarium.

Lysis tantum observatur morbo leviori, corpore integro estque vulgaris, ut vidimus, ephemerae eventus. Crisis, Richtero auctore, triplex fere est: per haemorrhagias, sudores, urinas. Per haemorrhagias narium, catamenia, haemorrhoides, quae quarto fere morbi die fiunt, et si coctionis signa adsint in urinis morbumque levent, criticae haberi debent. Per narium haemorrhagiam, quarto die eruptam, febrem hanc sublatam vidit Ellerus l. l. pag. 93. Sudores plerumque crises et criticas evacuationes tum antecedunt, tum subsequuntur. Palmaria febrium crisis fit per urinas, enaeorema primum, deinde vero hypostasin, id est sedimentum criticum habentes. Praeterea abscessum criticum notavit Swietenius *Comment.* Tom. II. pag. 81. » In febribus, inquit, aliquando observatur, verum pus et magna quidem copia deponi satis subito in

quasdam corporis partes, atque inde eductum fuisse, licet nulla inflammatio in his partibus praegressa fuisset et nulla symptomata docuissent, pus illud collectum latuisse prius; quod dein venis resorbtum ad alia loca deponi potuisset. Vidi hoc aliquoties et miratus fui; in primis in muliere febre continua laborante, quae jam vigesimam diem superaverat et evasura videbatur, cum declinaret morbus et nulla terrifica symptomata adessent: subito enim de dolore obtuso brachii utriusque conqueri coepit, cum tamen pridie nihil mali in his partibus percepisset: atque lustratus sedulo has partes, sensi sub integumentis, quorum color non mutatus erat, fluctuare magnam humoris copiam: apertura facta, exiit pus et brevi depuratus fuit et consolidatus ille abscessus. Interim tamen in toto morbi decursu nullam topicae inflammationis, vel suppurationis notam in quadam corporis parte mihi observare licuit."

Ea quidem Swietenii observatione firmatur oraculum Coum, febres longas abscessu terminari. Nam synochus in hac muliere, quoniam vigesimum jam diem superaverat, tardiorem habuerat, quam solent hae febres, decursum, quarum crises in quartum, in septimum, aut decimum quartum diem vulgo incidunt.

In mortem transit, vel obortis convulsionibus, propter humorum orgasmum et plethoram commotam, quam vocant, vel soluta sanguinis crasi, pro-

pter febris summam ferocitatem. Vix autem sola mortem infert, crebrius morbi ex ea nati, postquam in eos transierat, sive febris fuerit adynamica, nervosa, seu topicae fuerint viscerum inflammationes. In febrim adynamicam nervosam transitus, nisi ex corpore inanito sit malaque et nimis sanguinaria medicina, vere transitus est in cerebri aut congestionem, aut inflammationem, a quo irritato, oppresso, maleque affecto symptomata nervorum proficiscuntur: quodsi magis vitae viriumque deficientium, quam aegrotantium nervorum significatio sit, cordis aut deficientis, aut inflammati, aut ex quorundam opinione natae phlebitidis signum esse potest. Potissimum vero topicas viscerum inflammationes timete, ad easque semper mentem advertite. Nam ex his gravissima febricitantium pericula imminent. Caeteroquin satis fausta prognosis propter actionum vitalium energeiam: quam animadvertentes hanc febrem per se et sponte sua in salutem tendere, et alii et Reilius quoque recte scripserunt. Praesertim vero attendendum est ad praecordia et respirationem. Mala signa sunt crises aut nullae, aut imperfectae, cum diuturna magnaque corporis siccitate, partium internarum aestus cum externarum partium frigore, aut internarum frigus cum calore externarum. Pessima urina limpida, alvi fluxus aquosus, sudores topici, absque ratione: quae inaequalem indicant sanguinis circulantis distributionem ac defi-

cientes et quasi titubantes cordis vasorumque vires: subinde etiam subrepentem alicubi in corpore ex occulta phlogosi gangraenam.

Quamoptime curatur synochus adparatu antiphlogistico, de quo quum saepius jam egimus, illud tantum hoc loco monebimus, de ipsa venaesectione in febribus inflammatoriis facienda, vel omittenda, aliquam esse inter medicos magni nominis dissensionem, FRANKIO et PINELLIO ei minus faventibus, reliquis fere cunctis tanquam princeps ipsam laudantibus remedium. Et PINELLIUS quidem hoc loco redarguit culpatque BOERHAAVIUM, ejusque systema mechanicum et scholam Lugduno-Batavam, cujus principiis placitisque tantopere adcommodata esse videtur isthaec plethorae topicae doctrina. A qua culpa, ut liberem scholae nostrae conditorem, monendum est, jatro-chemicam DE LE BOE SYLVII medicinam et remediorum calidorum abusum (hisce enim abuti solent jatro-chemici) hanc praxin Boerhaavianam induxisse, quam majores nostri, propter corporis vigorem, et bene ferebant et requirebant; similiter ac BROWNII methodus, cui PINELLIUS addictior videtur, Scholam BROUSSAISSII fundavit. Est enim in arte medica idem, quod de poëtis HORATIUS scripsit, observandum.

Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti.

Ut igitur apta fiat febribus inflammatoriis medi-

cina, simpliciores levioresque passiva tantum curentur methodo, praesertim quiete, abstinentia, irritamentis, quantum fieri possit, amovendis et corpus multo potu tenui, tepido, balneis pedum, manuum, enematibus lenissimis, ex sola hydrogala cum melle humectando, quandoquidem corporis magna esse solet siccitas. Idcirco purgantia per se, in morbo simplici, partes tenuiores auferendo, corpus magis usque exsiccando, recte praecipiente Reilio, summopere nocent. Corpus ergo humectandum est et potu multo, acidulo, regimine frigidiusculo refrigerandum, ipsaeque crises naturaeque molimina promovenda. Quodsi vero febris gravior, plethorae signa, congestiones in caput aliasque partes nobiliores et inflammationum topicarum primordia, mox sanguis larga copia ex amplo vulnere mittendus, nec tantum morbi principio, verum etiam quovis morbi die. Est haec, de qua hucusque disputavimus, febris perpetua inflammationum graviorum acutarum socia, quas sequitur ut umbra corpus, ita ut primo nascatur inflammatio topica, quae, tanquam effectum suum, inducit febrim inflammatoriam. Verum interdum etiam, nec raro, ipsa febris inflammatoria praecedit, quam sequitur postea demum inflammatio topica in parte quacunque concitata. Tunc autem febris est morbus primarius, ipsa vero inflammatio topica morbus secundarius, quae diversitas, si febris vere inflammatoria ipsaque germana fuerit puraque in-

flammatio, in praxi nulla est: sin vero febris character non purus fuerit, inflammatorius, sed alius, magnam habet in therapeutice faciunda utilitatem. Nam tunc non inflammatio illa, sed febris, cujus symptoma inflammatio est, cujusque naturam ipsa sequitur, cognoscatur et curetur oportet. De qua quidem complicatione deinceps aptior erit dicendi locus et tempus. Quandoquidem vero tanta est, ut vidimus inflammationis verae et synochi naturae societas, haud infructuosum erit, Vobis artem facturis mecum perquisivisse, quaenam tandem sit utriusque cum inflammationis, tum febris inflammatoriae sive diversitas, seu similitudo. Quod ut rite fiat, res paullo altius repetenda videtur.

Medicinae, ut aliarum artium ac doctrinarum, procreatricem celebramus Graeciam, in qua schola Coa fuit et sacra gens Asclepiadarum et hujus gentis decus HIPPOCRATES, quem artis medicae parentem periti quique venerantur. Ab hoc fonte omnis febrium doctrina manavit. Erat initio simplex, pura, ab observatione ducta omnis. Studebant AESCULAPII COI sacerdotes morborum praescire et praesagire eventum: hinc mala bonaque signa notabant sedulo, cum in aliis morbis, tum in febribus etiam, ita ut prima febrium cognitio fuerit prognostica, id est, ea, quae quid boni malique a febribus expectandum sit, doceret. Quid nomine πυρετοῦ intellexerint, difficile dictu est. Nomen ducitur a praecipuo febrium symptomate *ca-*

lore, quoniam febricitantes, quasi ab igne interno, videbantur incalescere: nec tamen hoc symptoma et febrim nihil differre opinabantur, quemadmodum contenderunt Viri doctissimi LAENNEC et BOISSEAU. Nam primo proprium peculiare habetur morbi genus, quod plures comprehendit species. Discernuntur febres acutae a febribus longis, febres continuae a febribus intermittentibus. Secundo huic generi alia multa praeter calorem tribuebant veteres illi symptomata. Tertio ipsae rursus febres revocabantur ad unum cum inflammationibus morborum acutorum genus. Hanc nimirum morborum acutorum et chronicorum distinctionem plurimi faciebant veteres et recte, quoniam ars divinandi, quam profitebantur sacerdotes medici, requirebat, ut quamdiu morbus aegrum esset prehensurus, ex vero praedicerent: quam artem prognosticam tanto studio coluerunt, ut hoc respectu nostros medicos nequaquam cum iis comparandos censeam, nec dubitem veteres hac praescientia (*πρόνοιαν* vocabant) recentioribus longe anteponere. Scilicet observabant alios morbos, in quibus brevi res confecta erat, alios, in quibus in longum trahebatur. Illos acutos, hos chronicos dicebant. Illos febrem habere, hos sine febre esse solere, in illis, quia celeriter et cum periculo decurrunt, prompto consilio opus esse in iisque inprimis magnum cerni medicum, ut peritum in tempestate nautam, judicabant. Jam vero propter ipsam hanc celerem

morborum febrilium decursum summa cura morbos acutos, febriles a reliquis segregabant magnique faciebant, scire, utrum febricitaret aeger, nec ne. Illud autem efficiebant ex decursu morbique accessionibus, corporis temperie, respiratione, urinis signisque judicatoriis, sive criticis.

Nonnullis locis videtur HIPPOCRATES distinguere inter morbos et febrim ipsam. Sunt, inquit, Epidem. I. Sect. III. morbi acutissimi, maximi et gravissimi iique maxime lethales in continua febre: acsi vir summus, quo erat observandi studio, febrim animadvertisset morbis in corpore accedentem, propriam his imprimere formam ac characterem peculiarem, aut potius quorumdam esse quasi, quam induerent, personam. Atque illud potissimum est, quod ubi prognosin febrium cogitamus, mentem nostram advertit, esse scilicet febrim vitae renisum, aut reactionem, ex qua virium corporis aegri computationem inire possimus, quae virium computatio summum habet in divinatione medica momentum. Haec febrium ratio dynamica, id est cum vitae viribus conjuncta, etiam summorum medicorum mentem perculit. Hoc sensu febrem naturae conamen habuit SYDENHAMUS, hoc sensu ipsam BOERHAAVIUS affectionem vitae dixit, hoc sensu FRANKIUS eandem certorum potius morborum umbram, quam ipsum morbum esse affirmavit affectionemque irritatae per inconsuetum stimulum reagentisque naturae, hoc sensu REILIUS

febrem virium vitalium a sanitate aberrationem statuit. Videlicet febris et inflammationis naturae cognationem his verbis significabant, qua fit ut nulla inflammatio vera, pura, gravior sit absque febre, nec raro haec ipsa in phlogosin desinat tandem. Nempe hoc nomine differt febris inflammatoria ab inflammatione topica, quod in hac actio generis capillarium in parte inflammata potissimum aucta sit et incitata, in illa omne genus vasorum et cor et sanguis aequaliter illud vitae augmentum participent. Est igitur febris inflammatoria simplex puraque conditio phlogistica universalis, absque topica inflammatione hujusque ratio prorsus dynamica, quam, natura dictante ejusque voce monitus, *vitae affectionem* vocavit BOERHAAVIUS quaeque omnis fere vitae renisu definitur, id quod ipsius symptomata, caussae, effectus, sanatio manifestant. Nam symptomata: pulsus velox, celer, validus, plenus, respiratio cita, calida, caloris augmentum, cutis, faciei rubor, madores, sudores, urinae coloratae, rubrae: cuncta testantur actionum corporis vitalium promptitudinem et vim vitae valide renitentem. Caussae illae sunt, quae vel ad promptiorem et validiorem disponunt vitae actionem, vel ipsam concitant: quamobrem haec irritamenta, seu stimulos recte adpellaveritis. Effectus tales sunt, quales nimiam vitae actionem sequi solent, inprimis vero virium imbecillitas atque par contentioni febrili corporis post febrem relaxatio et de-

bilitas, quae quidem eo magis notari meretur, quoniam praeter auctum sanguinis motum, praeter acceleratas cordis contractiones, praeter majorem illum vitae renisum, nihil est sive in partibus, sive in functionibus laesum, unde debilitas illa possit intelligi. In febre inquam pura, simplici, corpore integro, sub ipsa accessione febrili, nihil in corpore culpari potest, praeter nimiam circulationem, a qua quidem, ut a nimio cursu nimioque labore, aut post coenam largiorem vinique abusum virium percipitur languor. Animadvertite quaeso, hic verba fieri de febre pura, simplici, in corpore sano et integro. Nam in febribus impuris, compositis, complicatis, corporibusque infirmis, valetudinariis, dispar est ejusmodi debilitatis et ratio et caussa: uti posthac videbitis.

Nec raro etiam praesidio est. Etenim febris summum est, quo natura utitur morborum gravissimorum remedium. Hoc apoplexias, epilepsias, manias, icteros, hydropes, glandularum indurationes sanatas accepimus et observavimus ipsi. Hoc monomaniam vidi et hydrothoracem miraculi adinstar sublatum. Harum sanationum pleni medicorum veterum, pleni recentiorum medicorum observatorum libri; has testantur omnis aevi observationes medicae et antiquissima Aesculapii Coi et Hippocratis et Galeni et principum quorumvis medicorum scripta. Harum ipsa testis est ephemera, quae omnis nihil aliud fere, nisi molimen naturae suam sa-

lutem propugnantis. Terminatur haec lysi, quae fit ubi symptomata sensim ac sponte remittant, motus febriles compescantur et pristinum redeat functionum aequilibrium. Lysis igitur sequitur ea vitae lege, qua virium ex irritatione renisus, hac sublata, tollitur, actionumque vitalium incrementum earum decremento excipitur. Hac ratione terminatur simplicissima ephemera; quae si pura fuerit benignaque, intra suos fines circumscripta, nec ultra quam par est extensa, observantibus Tralliano, Avicenna, Lommio, spontaneo motu solvitur. In quam quidem terminationem per lysin animadvertendum est, ipsam tum demum jure exspectari posse, ubi febris levior, vires aegroti validae, corpus integrum.

Quae graviori febri ac synocho magis propria est terminatio per crisin, hic paullo plenius erit exponenda.

Doctrinam de crisibus, quam tanti fecerunt veteres, recentiores fere aut neglexerunt, aut male interpretati sunt. Quodsi quaeratis, quid caussae sit, cur neglexerint, huic aliquid ignaviae subesse videtur. Quippe magnum requiritur in his crisibus notandis, observandi studium. Quapropter has negligendo otium sibi fecerunt recentiores. Alii contra male interpretati sunt, ex hypothesi scilicet, aut praeconcepta opinione. Inter quos recensendus est Cullenus, qui diem quartum ex dierum criticorum numero temere rejicit et Reilius, qui omnem cri-

sium doctrinam cum humorum pathologia aut stare, aut cadere arbitratus est; a qua tamen tantopere distat, quantum observatio distat ab opinione.

Lubet hujus doctrinae primas lineas ducere. Vos ampliorem ejus expositionem, nisi a veterum, HIPPOCRATIS praesertim scriptis: *nam graeca non leguntur,* petatis velim ex egregio specimine medico ANTHONII KIST in hac Academia edito, anno 1809 (*).

Crisis sive judicium dicitur subita morbi in melius aut pejus mutatio, post factam quandam evacuationem, in ipso morbi vigore. Quae mutatio si in pejus fiat, vocatur crisis mala, si in melius, bona; si omnem morbum tollat, perfecta, si partem morbi tantum, imperfecta dicitur.

Ut ejusmodi mutatio subitanea fiat, morbus sit oportet acutus magnusque. In morbis illis acutis magnisque varia notari possunt tempora: initium, incrementum, vigor, decrementum, finis. Tempus illud, quod est inter initium et vigorem intermedium Veteribus dicebatur morbi *cruditas*, nos *incrementum* vocabimus. Hoc tempore augentur perpetuo symptomata, graviora fiunt, numero plura, increscit usque morbus, quae quidem eo major erit

(*) *Specimen medicum inaugurale exhibens expositionem doctrinae Hippocraticae de crisibus, quod eruditorum examini submittit Anthonius Kist, ex pago Leeuwen-Batavus*, Lugd. Bat. 1809.

cruditas, quo major a sanitate recessus, quo graviores actionum vitalium turbae, quo magis depravatae secretiones, excretiones, quo sano dissimilior corporis habitus. Hoc tempus aliud sequitur, quo symptomata non amplius increscunt. Vocatur illud tempus *coctionis*, quam praesertim indicat urina, in qua subsidet album, leve, aequale, aut alba nubecula conspicitur. Itaque signa coctionis universalia potissimum petuntur a functionum corporis restitutione, a motu circulationis sedatiori, a secretionibus excretionibusque, inprimis vero ab urina, primo cum nubecula, deinde cum sedimento bono, laudabili. Hac autem coctione sola qui sanantur morbi, sanari dicuntur per lysin, dicuntur solvi. Sin vero morbus gravior fuerit, talem coctionem excipere solet *crisis* et critica evacuatio, quae ut bona jure sperari possit, semper praecedere debent signa coctionis. Ea quo citius adpareant, eo celeriorem crisin exspectabitis, quo tardius, eo tardiorem. Crisin in febre proxime antecedere solent symptomatum et febris exacerbatio: vigiliae, somni graves, rigor validus, urinae suppressio, anhelitus, deliria, anxietas, jactatio, inquietudo similiaque. Haec perturbatio critica adpellatur, quam sequitur critica excretio, haemorrhagia praecipue, urina cum hypostasi, sudores universales, calidi, morbum levantes, interdum etiam abscessus. Quarum excretionum maxime universales sunt: urina et sudores critici. Constans autem perfectae criseos eventus est plenaria

morbi abolitio, ita ut crisin perfectam, nulla intermedia declinatione, mox excipiat convalescentia.

Solent illae crises (etiamsi omni morbi die fieri possint) solent tamen statis quibusdam temporibus, certis quibusdam diebus et frequentiores fieri et meliores. Hi vero dies adpellantur *dies critici*, *dies judicatorii*. Differunt ipsi pro febrium typo, ut alii sint febrium remittentium, qui rationem sequuntur exacerbationum febrilium, alii continuarum continentium. In his, continentibus scilicet, quarum nunc mentio fit, dies critici celebrantur dies 4us in morbis peracutis, in reliquis 7us, 11us, 14us, 17us et 20us. Quibus igitur diebus potissimum crises in febribus inflammatoriis, aut subinflammatoriis exspectandae sunt. Verum ut observari possint, requiritur regimen et methodus morbi cursum regularem non turbantes; nulli debent committi in victu errores, dari non debent medicamenta evacuantia, aut magnopere calida, crisin pervertentia. Denique ipsa anni tempora, ipsae anni tempestates constantes sint oportet suoque nomini respondentes, hyems v. c. frigida, ver temperatum, verbo ea aëris temperies, quae cuivis anni tempori congruat. Hisce enim conditionibus absentibus, tum etiam corporibus nostris debilioribus morbisque hodie et impuris fere et minus acutis debetur, quod raro crisium illa observatur in nostris hominibus constantia. Nec tamen eapropter tuto negligitur illa crisium doctrina. Nam

quemadmodum morbus anomalus cognosci nequit, nisi cognita perfecta morbi specie, sic crisium anomaliae cognosci a nobis nequeunt, nisi perspectas habeamus crises perfectas et regulares, ut scilicet determinari possit, quantus sit ab iis recessus atque inde et legitima prognosis et salutaris possit haberi medendi ratio.

Quod poëtis praecipiebat Horatius:

Vos exemplaria Graeca nocturna versate manu,
Versate diurna.

Id medicis etiam praecipiendum arbitramur, vobis praesertim, qui medici esse cupitis non plebeji, empirici, sed docti, liberales, honesti. Spirant enim pulcri verique amorem, naturae speciem referunt, hujusque, non hominum res gestas nobis spectandas praebent. Id vobis Hippocraticae chartae ostendere poterunt, in quibus vere egregieque expressum est, quod ab auctore Hippocratico praeclare dictum:

φυσιες νούσων ἰητροι.

Verum agite mecum paullisper inspicite aegrotantium historias in Epidemiorum libris ab Hippocrate exaratas, ut praecipua doctrinae de crisibus loca iis illustremus.

Synochi sive potius ephemerae protractae exemplum exstat in aegro sexto Sectionis II. Epidem. III. in quo morbus post praegressa signa coctionis perfecte judicatus est. Est historia Periclis Abderitae. Hunc prehenderat febris continua acuta. Altero jam die

urinae manifestas habebant notas coctionis: erant crassae quidem illae, sed magis subsidebant. Tertio die post exacerbationem gravem altero die praegressam, febris mitior et copia urinarum prodiit coctarum multam hypostasin habentium. Quarto die sudoribus multis, calidis, toto corpore dimanantibus, perfecta crisi morbus judicatus est. Antecesserant ergo signa coctionis in urinis altero et tertio die crisin quarto peractam. Nec miremini, signa coctionis in urinis tanti fecisse HIPPOCRATEM. Febris enim morbus est ad sanguinis officinam proxime attinens, cujus conditionem ostendunt urinae, proxime ex sanguine secretae, ex arteriis renalibus, recta via magnoque lumine ab aorta prodeuntibus. Idcirco in morbis febrilibus semper urinas inspicite, ut ex iis conjectura probabili et sanguinis conditionem et morbi stadia: cruditatis, coctionis, id est principii, vigoris cognoscatis. Coctionem sequitur judicium, sive crisis, qua de morbi eventu decernitur: hanc aliqua praecedit, uti vidimus, in corpore aegrotantis perturbatio, quam criticam vocant: pervigilium, jactatio corporis, aut somni graves, quandoque rigor, urinae suppressio et alia ad singulas corporis regiones, aut partes pertinentia, unde evacuatio critica preditura est: caligo vanique ante oculos splendores, oculi rubentes, vertigines tenebricosae, involuntariae lacrymae, surditas, temporum gravedo, hypochondriorum contentio, cervicis capitisque dolores, narium

haemorrhagiam praenuntiant: oris ventriculi morsus, capitis dolor, labii inferioris tremor et contractio, tenebricosa oculorum caligo, partium inferiorum refrigeratio vomitum criticum praecedunt; alia alvum, sudores cact. Alia his graviora: anhelitus, dyspnoeae, anxietates, deliria, clamores, quo vehementiora, eo in bona crisi rariora contingere solent. Hujus perturbationis criticae exemplum exstat in aegrotante 11. Epid. III. Mulierem in Thaso primo die febricula levis prehendit: altero mane multi spasmi cum deliriis alternantes: altero die eadem perseverarunt, nihil dormivit, febris gravior facta est; tertio spasmi quidem soluti, verum coma incidit et cataphora rursusque e sopore excitatio: exiliit, neque sése continere poterat, multum delirabat, febris erat acuta. Eadem nocte sudor copiosus, calidus, toto corpore; a febre immunis fuit; omnino ad se rediit; judicatione est absoluta.

» Unde (ex ejusmodi turbis scilicet) non parvus, inquit Galenus, invadit timor inspicientes et quispiam homo vulgaris, cum istis adesset, necessarium fuit, ut conturbaretur, exclamaret, et rem ipsam judicium nominaret; decet autem medicum generosum neque turbari, neque futurum eventum ignorare." Est autem futurus ille eventus *crisis*, de qua diximus, quae si perfecta fuerit, omnem morbum plane tollit; nulla est declinatio, sed stadium reconvalescentiae proxime tangit morbi vigorem. Sin fuerit imperfecta, morbi recursus, reci-

diva instat, quarum crisium imperfectarum complura exempla reliquit HIPPOCRATES: immo longe plurimi aegrotantes ab ipso commemorati ejusmodi crises imperfectas experti sunt. Id evenit Herophonti (aeg. 3. Epid. I.) qui, postquam emiserat urinas melius coloratas, parvam hypostasin habentes, die sequenti sudavit et febris intermisit, verum quinque diebus post reversa est et demum perfecte judicatus est morbus die decimo septimo: idemque experta est Epicatris uxor et Cleonactides (aeg. 5 et 6.) et Clazomenius (aeg. 10.) et vir, qui corpore aestuante coenaverat et biberat liberius, et mulier, quae decumbebat in littore (aeg. 12 et 13.) et virgo in Abderis (aeg. 7. Epid. III.) et Heropythus et Nicedemus (aeg. 9 et 10.) et alii, quorum in Epidemiarum constitutionibus universe describendis ab HIPPOCRATE facta est mentio. Uti contingunt hae crises et evacuationes criticae certis quibusdam diebus, quos dies criticos, judicatorios, quasi dixeris, decernentes adpellaverunt, ita eos futuros indicant dies indices, id est dies critici, in quibus signa coctionis notantur.

Febrium continentium dies critici sunt, ut vidimus, quartus, septimus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus, porro vigesimus quartus, vigesimus septimus, trigesimus primus, trigesimus quartus, quadragesimus, sexagesimus, quos extendere licet ad octogesimum, centesimum, centesimum et vigesimum, Epidem. I.

aeg. 5 et 6. Epid. III. Sect. II. aeg. 1, 2, 9. Filius Parionis in Thaso ex febriculis continuis hecticis, in quas post plures recidivas febris acuta abierat, die centesimo et vigesimo mortuus est. Heropythum Abderitam febris demum reliquit prorsus eodem hoc tempore. Is enim die centesimo vigesimo tandem perfecto judicio a morbo liberatus est. Primarii dies critici sunt septimus et decimus quartus, hunc proxime sequitur vigesimus, dein quartus, undecimus, decimus septimus. In tertio quoque, quinto et nono nonnunquam febrium continentium judicia satis fida incidere, probant observationes Hippocraticae, unde illis coincidentium nomen datum est. Reliquos vacuos dixerunt, cum in illis pauca, vel imperfecta judicia observantur. Tertio die judicium experta est mulier in Thaso. Noctu hujus diei sudorem calidum universalem sequitur apyrexia, somnus, delirii cessatio. Sub crisin muliebria copiose profluxerunt. Sextus dies atro carbone notandus, ex illo Hippocratis Aphorismo (Sect. IV, 29.) quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficulter judicantur; perfectam tamen crisin attulit in virgine Larissaea. Quapropter, rem referens Hippocrates disertis verbis notavit, huic morbum non rediisse, verum perfecte fuisse judicatum. Contra Philiscus die sexto circa meridiem mala crisi periit. Meton (aeg. 7. Epid. I.) imperfectiorem paullo crisin ideo expertus videtur, quod post ipsam pervigil ac delirus fuit, nec de-

siit prorsus sanguis e naribus fluere. Quamobrem hoc etiam loco expresse monuit HIPPOCRATES, huic morbum non revertisse, quod caeteroquin exspectasses: verum, ad rei explicationem haec addidisse videtur, etiam post crisin crebro sanguis e naribus erupit. Qui sequitur aeger octavus, Eratinus ne crisin quidem subiit, sed ipsa morbi cruditate, sive principio, die quinto, graviter delirans, ut continere se nequiret, extremitatibus corporis frigidis, liventibus, urinis crudis, sub solis occasum defecit.

Hoc modo singulas percurrentes febricitantium historias ab HIPPOCRATE relatas exinde ad febrium prognosin reique criticae notitiam plurimum proficietis ac brevi intelligetis, quam fructuosa sit lectio viri immortalis et arte et facundia insignis, cujus observationes, utut simplici atque incompto sermone conscriptae, observationes sunt a viro magno factae. Aliae enim sunt observationes vulgi hominum, aliae virorum magnorum, plurimumque profecto interest, Davusne loquatur, an Heros. Naturam observare qui cupiat, naturae magnitudinem capiat oportet, quod non omnium profecto hominum est, qui se observatores *αὐτοδιδάκτους* jactant. Quocirca non multum a recto tramite aberrare eos crediderim, qui observandi artem a principe quodam viro discere haud spernant.

In Epidemiorum libris describitur constitutio anni febribus inflammatoriis favens earumque fera-

cissima, regnante frigido sicco. Maxime tunc vulgares erant febres ardentes, sive καῦσοι, id est synochi graves, magno corporis aestu, cutis, oris, linguae, faucium siccitate, inexplebili siti insignes. Ea autem erat harum febrium ratio, ut qui pulchre et largiter sanguinem e naribus profudissent, ii vel ob id ipsum servarentur: neque ullum novi, inquit HIPPOCRATES, hac constitutione mortuum, si pulchre, id est suo tempore ac modo, sanguis profluxisset. Philiscus siquidem et Epamenon ac Silenus, quod his quarto et quinto die de naribus parum stillaverit, mortem obierunt (nihil enim paucum criticum est). Pluribus sanguis erupit, praecipue tamen adolescentibus et aetate florentibus et eorum bona pars periit, qui sanguinem e naribus non profuderunt. Mulieres praeterea multae aegrotarunt, minus tamen, quam viri: nec ita multae obierunt; plurimae autem difficulter partum ediderunt atque a partu insuper laborarunt atque hae potissimum obierunt, non secus ac Telebuli filia, quae sexto a partu die interiit. In febribus itaque plurimis menses adparuerunt, nonnullis etiam sanguis ex naribus profluxit, multisque virginibus id tum primum contigit. Est ubi sanguis et e naribus et menstruae purgationes adparebant, quale quid Diatharsis filiae virgini tum primum adparuit atque sanguis e naribus largiter fluxit ac nullam scio mortuam, ex iis, quibus horum aliquid rite evenerit."

Ex iis modis, quibus haec febris judicatur, ea per haemorrhagiam maxime hujus naturae congruit. Judicium per sudores magis evacuatio critica succedanea est, quae sola hunc morbum non terminat, sed aliis crisibus juncta plurimum valet. Urinae denique et coctionis praebent et criseos certissimas notas, quoniam sanguinis hujusque officinae indices sunt ac testes fideles maximeque veraces. Ea, quam hactenus interpretatus sum Hippocratis de crisibus doctrina, nullius esse usus hac nostra aetate nostrisque in regionibus quibusdam habetur: aliis etiam saniori theoriae medicae repugnare creditur. Alterum ab iis dictum est, quibus novae res adeo placent, ut vetustis nullatenus credant: hi novitatem cum veritate confundunt. Alterum contendunt systematici, qui quidquid suae doctrinae adversetur, rejiciunt: isti naturae magnitudinem suorum ingeniorum parvitate metiuntur. Nos, qui nec omnes veteres garrulos, nec recentiores solos sapientes ac catos habemus, nullam denique doctrinam defendere tenemur, vobis rei criticae observationem de meliori nota commendatam cupimus, non dubitantes, quin eam veram sitis experturi atque Plinio adsensuri, magis sapientem fuisse antiquitus observationem, quam nunc rationem, adfirmanti. Equidem scio, nostros homines non prorsus esse Graecis veteribus aequiparandos, quorum corpora a labe syphilitica et scrofulosa erant immunia, quibus hominum genus hodie cor-

ruptum fere et inquinatum est, neque veterum illud robur et partium symmetriam, corporum paedagogo gymnastice comparatam, nostrorum esse hominum: sed vel sic tamen non desiderabitis crisium et evacuationum criticarum vestigia, innatam naturae vim ac potestatem declarantia.

Quantum prosit hac in re veterum lectio medicorum illustri docuit SWIETENIUS exemplo, *Comment.* Tom. II. pag. 55 sq. » Homini sano et vegeto, pleuritide laboranti, postquam bis vena secta fuerat, remiserat morbi impetus; dein post molestissimam noctem toleratam, sexta die morbi incredibilis copia urinae profluxerat, quae statim turbata, dum emittebatur, postea sedimentum deponebat copiosum valde. Dicebat aeger se non tantum cum facilitate, sed cum oblectamenti sensu urinam demittere. Nox sequens satis pacata fuerat; et critico hoc urinae fluxu morbum ablatum iri praesagiveram. Septima die ingens narium haemorrhagia aderat, febris multum minuebatur, atque nunc saltem morbum profligatum esse, credebam certissime. Verum in lumbis imbecillitatis quasi sensum se habere dixit sequenti die, neque omnino a febre liber erat. Et decima morbi die aliquid obtusi doloris sensit et surgens de lecto dextro crure claudicabat. Undecima die in inguine dextro dolor aderat; et quamvis in lecto crus absque ullo dolore movere posset, claudicabat tamen, dum surgeret. Caeterum omnis febris aberat et omnes functiones cor-

poris redintegrabantur. Abscessum hinc praedicebam circa coxae articulum, sed vigesima morbi die urinam reddidit, quae statim, ac emissa erat, turbabatur et maximam copiam albi, aequabilis sedimenti deponebat; atque statim minuebatur affectae partis dolor; post biduum urinam limpidam tenuem habuit, sed illico dolor rediit, alba, crassa urina fluente iterum sublatus. Postquam vero collegeram mihi illa, quae apud veteres medicos legeram et tali disposueram ordine, ut in singulis occurrentibus morbis illico reperire possem; tunc incepi historias morborum antea notatas cum his conferre: vidique tunc, quod singula, quae in hoc casu observaveram, monuissent. Sexta enim die morbi nunquam, vel rarissime tales crises contingere, quibus confidere possimus, pluribus locis apud Hippocratem et Galenum habetur. Praeterea monuerat Hippocrates, Aphor. 12. Sect. II: quae in morbis post crisin residua immorantur, recidivas facere solent. Sed post copiosam illam urinam et haemorrhagiam, manebant febris reliquiae et ille sensus imbecillitatis in lumbis aderat: quae merito mihi suspicionem facere debuerant, nondum integre superatum esse morbum. Dixerat Hippocrates Aph. 32. Sect. IV: si ex morbis convalescentibus aliquid doluerit, illic abscessus fiunt. Unde non absque ratione metuebam abseessum circa coxae articulum; sed alibi monuerat Hippocrates, Aph. 74. Sect. IV: quibus spes est ad articulos absces-

sum fore, eos abscessu liberat urina copiosa et crassa et alba reddita etc. Unde vidi, me in his praesagiendis errasse, quia veterum medicorum axiomata practica non bene observaveram: debueram enim sexta die morbi levamen quidem, non vero integram morbi ablationem praedixisse; atque postea monuisse, abscessum quidem metuendum esse, tamen adhuc spem superesse, ne fieret."

Itaque crises et evacuationes criticae methodum complectuntur, qua febribus magnis acutisque medetur natura artifex. Quae crises et evacuationes criticae quoniam recte ad symptomata referuntur activa, quorum caussa est ipsum vitae principium, jure merito nostram thesin de dynamica febrium natura firmare creduntur.

Eandem thesin probat artificialis ipsarum curandarum methodus, quae omnis, ex principum medicorum consensu, justo febris moderamine definitur. Nimiam vitae actionem in febribus compescere, parvam nimis excitare, ecce universalem febrium medicinam! Nam in febre pura ac simplici prima indicatio vires spectat et virium actionem. Felicissime saepe curatur febris per febrim ipsam. Id quod in simplicissimo febris genere, ubi nulla est morbi complicatio aut compositio, in ephemera, potissimum cernitur. Quapropter in febribus puris ac simplicibus utiliter sola diluentia, humectantia adhibentur et quemadmodum saepenumero observavi, decocto. hordei, aut graminis multoque potu,

non magnis, sed crebris haustibus sumpto et tuto et cito et jucunde sanantur febres. Hinc vitae viribus consulere, reactionem moderare, jubent artis magistri. Quae reactio quoniam in corpore sano, integro, febre pura, sponte in phlogisticam, sive inflammatoriam tendit conditionem, moderanda est regimine antiphlogistico sique exuberet, ipsa antitiphlogistica curatione. Quare sic judicate, dynamicam esse febris rationem eamque si pura et simplex, ipsa natura sua in actionum vitalium augmento esse ponendam ac jure vocandam esse auctam cordis totiusque generis vasculosi reactionem, aut, si protrahatur, sponte sua in phlogisticam diathesin inclinare recteque proinde Boerhaavium nostrum febrim vocasse *vitae affectionem*, minus recte: *mortem avertere conantis*, quia conamen illud per accidens salutare est minimeque salubritas ea ad ipsam febris naturam et essentiam pertinet. Nam vel in corpore sano et febre pura conamen illud nimium esse potest et nisi cohibeatur, mortem, quam avertere deberet, inferre. Ergo magis placet, symptomata febrilia in symptomatum activorum recensere numero ipsamque febrim morbis activis, a vitae videlicet renisu oriundis, adnumerare.

Verum priusquam febrim hanc, quam synochum simplicem vocant, dimittamus ad aliaque explicanda febrium genera transeamus, aliquot aegrotantium historiis et cadaverum sectionibus rem illustrare lubet. En primo loco Hippocratis observa-

tionem. Est aeger 12. Epid. III. Sect. II.

Larissae virginem febris ardens, acuta prehendit. Pervigil erat, siticulosa, lingua fuliginosa, arida, urinas probe coloratas reddidit, tenues autem. Postridie moleste se habuit, non dormivit. Tertio die alvus copiosa et aquosa multa dejecit proximisque diebus talia commode prodierunt. Quarto urinam tenuem, paucam reddidit, nubeculam suspensam habentem, nec subsidentem. Sub noctem deliravit. Sexto ex naribus sanguis abunde fluxit: atque ubi inhorruisset, sudore copioso, calido, per totum corpus diffluente, febre immunis, judicatione liberata est. In febribus jamque peracta crisi muliebria primum descenderunt (*). Erat enim illibata virgo. Prorsus vero stomachi fastidio laborabat, horrebat, faciei rubor aderat, oculorum dolor et capitis gravitas. Huic morbus non reversus est, sed judicatione est absolutus. Dolores diebus paribus invadebant.

En alteram observationem, Foresti! Mercator frumentarius, annorum 26, qui ad viam Delphiam antiquam dictam habitabat, cui sanguis aliquando e naribus fluere solebat, qui nunc ad duos tresve annos non fluxerat cumque per duos annos a venae sectione abstinuisset, quo antea mense Majo uti

(*) Narium haemorrhagia, depleto corporis habitu, sponte prodierunt primum catamenia, similiter ac sub venaesectione, sanguine fluente, ea primum erumpentia viderunt medici.

solebat juvenis, temperaturae sanguineae vinoque rubro et crasso saepius utens: hic cum pedestri itinere fatigatus esset, lassitudine afflictus, in febrem sanguineam, sive synochum cum putredine incidit: huic caput valde grave erat ac dolebat, res rubras videre somniabat, tempora pulsabant, venis sanguine repletis et manifeste apparentibus, oculi rubicundiores erant, dulcedinem in ore percipiebat. Haec cum animadvertissem atque 19 die Maii Anno 1576 ad illum accitus essem, cum eodem die per se alvum reddidisset, ejus internam brachii venam secari jussi sanguinisque libram unam extrahere. Sectione venae peracta et ptisana ex decocto hord. glyzyrrh. et prunor. adsumpta, coepit egregie sudare, cum quadam alleviatione. Quarto die post excretionem alvi (datum erat elect. diaprun.) urina, quae prius rubra et tenuis erat, hypostasin albam habuit; etiam subsidebat et crassior facta est et coctionis signa in quarto adparuere. Quare aegrotum bene sperare jussi. Nam hic quartus dies diligenter in hac febre observandus est: nam si materia manifesta coctionis futurae et crisis indicia praebeat, sperandum est, ut die septimo morbus judicetur, septimo enim die, cum hic bene sudasset, a febre liberatus est et post septimum statim sanus factus est.

A Foresto adpellatur haec febris *synochus cum putredine* et quidem nomine improprio, ut animadvertit Pinellius. Circa quam denominationem

notandum est, veteres putredinem omnibus adsignasse febribus, quae et calorem habent acrem et sanguinem corio phlogistico tectum, quale corium esse a sanguinis corruptela opinabantur, eadem illa, quae pus generat. Omnem scilicet sanguinis mutationem a putredine esse credebant, sive perfecta, seu imperfecta ad hancque suppurationem referre solebant.

Synochi species est etiam καῦσος veterum, sive febris ardens, in qua ingens cutis ardor et ejusdem, nec non labiorum, oris interni, faucium siccitas. Hujus praecipua symptomata Foresto dicuntur sitis incompescibilis et exurens caliditas. » In vehementissimis illis inflammatoriae naturae febribus, inquit Frankius, sub enormi cordis anteriarumque agitatione, non modo has ipsas, sed venarum totam compagem interna superficie undique profunde rubentes ac inflammatas nos primum conspeximus, similesque arteriae inprimis magnae phlogoses partiales sub iisdem circumstantiis jam pluries ostendimus: quae certe arteriosi venosique systematis a certis stimulis ab intus quidem admotis irritabilitatem abunde confirmant. Quaecunque igitur vel nata in sanguine, vel illuc advecta materia stimulans ex suppressa inprimis, septentrionalis venti post sudores afflatu, potu gelido, balneis frigidioribus, vestimento leviori, transpiratione oriunda, vel rheumaticum, arthriticum, contagiosum, purulentum, venenosum acre ac spiri-

tuosi potus frequentem inflammatoriae febris originem constituunt. Nec minus huc spectant, quae nervorum praecipue actionem intendunt pathemata incitantia, contentio animi, vehementior ac diuturnus dolor, vigiliae protractae, laesiones variae; tum naturalis, vel assuetae excretionis per nares, intestina, vel uterum retentio, calidissima balnea, ictus solis et alia, quae sicut localem in parte inflammationem excitare, sic et febrim, de qua sermo est validissimam incendere queunt."

Quod primus FRANKIUS, id post FRANKIUM etiam vidisse sese testatur BOUILLAUDIUS, celeberrimus inter Parisienses medicus clinicus. Is in opere clinico ante decennium edito (*Traité clinique et expérimental des fièvres dites essentielles*, Paris 1826.) tres protulit observationes, quibus hanc suam sententiam conatur probare: de quibus igitur observationibus hoc loco videamus. Prima historia senis est fere octogenarii, qui manifesta exhibuit totius arachnoideae inflammatae vestigia et inflammati pariter ad superiorem faciem, cerebri. Verum, quod hic ante omnia notetis velim, erat membrana cordis, praesertim prope valvulas rubrofusca ejusdemque coloris aortae thoracicae et abdominalis interna tunica, sed disseminatis *fragmentis osseis*. Ne de aliis tum in capite, tum in thorace, tum in abdomine repertis dicam, quaero a vobis, utrum ea fragmenta ossea in aortae tunica visa conjecturam reddant probabilem, febri syn-

chronam fuisse hanc inflammationem, an contra probabilior videatur altera, ipsam potius fuisse chronicam et febre antiquiorem in sene, ea aetate, qua arteriarum cordisque vitia haec perquam communia deprehenduntur.

Altera historia mulierem spectat sexagenariam; cujus cadaver praeter pleuropneumoniae, bronchitidis, pericarditidis notas, ruborem ostendit ad cordis valvulas, tricuspidalem fungosam et per vincula tendinea parietibus ventriculi cordis adhaerentem. Rubebat pariter aorta, parte ea, qua oritur, ejusque valvulae erant ulcerationibus parvis, nec profundis et fragmentis fibroso-cartilagineis tecta. Haec igitur credamus anui evenisse septimanae spatio: nec enim diutius aegrotaverat; nulloque loco habeamus pectoris inflammationes, quarum symptomata manifesta, dum aegrotabat, obtulit?

Tertia historia militis est, ex febre rheumatica decumbentis, cui pulsus durissimi, accelerati, vibrati, facies vultuosa, cutis calidissima et sanguis tertia vice detractus tanto impetu, tam laete rubens exsiliit, ut sanguinem aemularetur arteriosum, corio crassissimo tectus: unde medicus praeter rheumatismum acutum inflammationem vasorum adgnovit. Frustra adhibita curatione stricte antiphlogistica, accedente ictero primum et quidem sexto morbi recidivi die (quod ex prognosi Hippocratica sinistri augurii est) et spasmo maxil-

lae inferioris clonico et anxietate et reliquorum symptomatum exacerbatione, nox post diem nonum, crisi ut videtur mala, mortem attulit.

Cadaveris sectio cordis ostendit internam membranam rubentem et rubentem pariter, minus tamen, aortae tunicam internam, coagula fibrosa, albuminosa in cordis caveis, gravem ruborem venae portae, ab ejus trunco in hepate ad ultimas usque propagines. Rubebat etiam arteria cruralis et vena saphena interna. Nec deerant tum serosae synovialis articuli genu, tum ventriculi et tenuis intestini inflammatorum prius vestigia.

Ecce igitur tres aegrotantium historias, quarum duae priores ad rem probandam minus sunt idoneae, tertia majus habet pondus: nec tamen *inductionem* hanc vocamus, aut *probationem*, qua ducitur conclusio ex unico individuo, sed *exemplum.* Agite igitur circumspiciamus et alia alibi etiam quaeramus exempla, ut nisi magnum, aliquem tamen colligamus casuum singularium numerum, ex quo aliquid conjectemus.

Et primo quidem obvenit Morgagnus, vir gravis et inter anatomes practicae cultores vere consularis, quem eo lubentius compello, quoniam, quem mox citabam, celeberrimus auctor suo de febribus libro inscripsit haec Morgagni verba: » cum febres per alium ipsis adjunctum morbum noceant potissitissimum atque interficiant, imo etiam saepe ab ipso oriantur et conserventur: facile intelligis,

quanti referat, adjuncti hujus morbi sedem naturamque cognoscere." Quibus citatis verbis crederetis forsitan, integram contineri Morgagni de febribus sententiam. A quo errore, ut vos liberem, reliqua addam, quae mox sequuntur. » Verum sicuti dissectio interdum sub oculos utramque hanc ponit, ut viscerum inflammationem, aut ulcus aliquod; ita haud raro *neutram* ostendit, cujus rei exempla obvia sunt et nos cum de febribus ad te scriberemus, eorum quaedam e Valsalvae schedis produximus."

De his igitur exemplis videamus, quae ipse Epist. XLIX. protulit. In horum aliis alia reperta sunt, in omnibus tamen aliqua sive in sanguine, sive in corde, sive in genere vasorum permutatio. In viri febre lenta confecti cadavere sanguis admodum coenosus, in cordis autem ventriculis coagulatus fuisse dicitur. In puero cor valide cum pericardio nectebatur et per omnem exteriorem muscularem cordis faciem quaedam passim disjecta albida corpora cernebantur. Mulieris dexter ventriculus cordis mediocrem polyposam concretionem habebat. Virgo annorum duodeviginti, quae multos jam dies laborarat tertiana duplici, deinde ardenti febre correpta capitis et totius corporis dolore vexata mortua est; in cordis ventriculo dextro polyposam habuit concretionem. Mulieri, quam ex febre ardente extinctam retulit Valsalva, postquam accesserat *die quinto* morbus regius, e cordis ventri-

culo dextro polyposa concretio, quae in ejus lacertulis basin habebat, in venam se producebat cavam, firma ubique compage, colore autem ex altera parte pallido, ex altera rubescente. Vir acuta febre, post vulnus contusum nata ac magis magisque saeviente, e medio sublatus nihil usquam vitii obtulit, nisi quod sanguis ferme naturalem fluorem servabat. In viro nobili ventriculi fundus atro erat colore infectus, intestina, praesertim crassa erant angusta, sanguis valde concretus. Mulieris denique maligna febre correptae, quam ingens pectoris in respirando angustia et cordis palpitatio ingruentes intra biduum confecerunt, thorace aperto, sanguis repertus est in sinistro cordis ventriculo semiconcretus: in dextero autem non modo sic congestus, ut ipsum distenderet, sed totus in concretionem polyposam adeo constipatus, ut quamvis haec carnea videretur, non minus tamen cultro secanti obsisteret, quam tenacissima crusta pleuritica.

Atque haec fere sunt, quatenus hujus videbantur loci, exempla a Morgagno atque Valsalva petita, quibus hypothesin Bouillaudii, viri ingeniosi non prorsus infirmari crederem, nec tamen probari satis, ut dubia adhucdum res sit, quae ut firma haberetur, et majorem utique desideraret numerum sectionum et certam ac constantem rationem inter febris et laesionum cordis arteriarumque gravitatem, crebra observatione indagatam.

Scilicet sanioris logices non est, quae in cadavere inveneris, ea continuo morbi mortisque caussas dicere: verum tunc tantummodo una res ad alteram caussae effectusque rationem habere sanior logica docet, quum constanter magnitudo effectus caussae magnitudini respondeat, id est in hoc, de quo agimus casu, quum febris magnitudo constanter et exacte exprimat magnitudinem inflammationis in genere vasorum.

Verum cordis vasorumque sive phlogosin, sive neurosin, seu irritationem tantum febris caussam dicamus, delata magis, quam soluta quaestio de febris natura videbitur. Superest enim altera, pariter solvenda, undenam haec cordis affectio qualiscunque tandem oriatur: quae quidem quaestio majoris facienda est, si quae antea de carditide monuimus, memoria repetatis, ut praeter hanc generis vasculosi affectionem dynamicam, quam diximus, aliud quid subesse suspicaremur, quod eam faciat atque sustentet.

Miror eapropter, recentiores, qui febris naturam conati sunt explicare eamque a cordis vasorumque irritatione repetiverunt, vix cogitasse de sanguine cordis vasorumque irritamento praecipuo, cujus conditionem mutatam febrium quoddam quasi principium ac communem fontem veteres habuerunt. Verbulo rem tetigit Bouillaudius. Verum haec humorum contemplatio nimium abhorret ab ea, quam profitentur plerique doctrina organica et anatomica

morborum scientia. Haud ignoro, sanguinis humorumque pathologiam prorsus esse obscuram, aut si mavelitis incognitam, quamobrem ultra conjecturam non praegrediar et quid hac de re conjiciam, vobis aperiam.

Itaque in febribus et excitandis et sustentandis magnas esse sanguinis partes suspicor atque huic opinioni pondus accedere existimo ex febrium origine, decursu, exitu. Nam sive cogitemus nasci in plethoricis potissimum febres inflammatorias, a caussis sanguinis vel copiam, vel indolem mutantibus: ab aëre, victu, contagiis; sive decursum spectemus et pulsuum acceleratos motus et intermedium illud inter principium et vigorem tempus cruditatis; sive exitus per crises et evacuationes criticas reputemus; seu denique varias variarum partium phlogoses spectemus et plurium simul organorum irritationes et praecipuam illam sanguinis officinae, hanc opinionem non procul a vero abesse censebimus: in febribus irritatum esse cor et genus vasorum et irritatum quidem potissimum a sanguine horum stimulo naturali et principe mutato (*).

Verum quaeso a vobis ne hanc hypothesin, quae ad artis theoriam pertinet, cum observatione, quae

(*) Hyperstheniae harum partium lethalis a sanguine alcoholisato exemplum notabile secum ab amico communicatum memoriae prodidit Vir Celeb. Bouillaud l. l. p. 38. in nota.

pertinet ad artem ejusque exercitium, confundatis. Naturae febrium cognitio adhucdum hypothetica est, febrium observatio et curatio hypothetica non est. Non est hypothesis, esse morbos, quorum sedes est in genere vasorum, certum decursum variaque stadia habentes, crisibus et criticis evacuationibus terminatos, inflammationibus cognatos quidem, nec tamen inflammationes ipsas, quae licet saepe cum his conjungantur, tamen neque semper cum iisdem componuntur, nec si cum inflammationibus sint compositae easdem semper inflammationes comitantur, sed in aliis alias multumque diversas, nec raro plures: ita ut ex inflammatione topica febres, quae dicuntur, essentiales pendere hypothesis sit minus verosimilis, aut probabilis. Nobis sufficiat scire, sedem symptomatum febrilium esse in corde et genere vasorum, neque improbabilem esse conjecturam, ubi sedes est symptomatum, ibi etiam sedem esse morbi, ut adeo omnis officina sanguinis aegrotare in febre inflammatoria, quam synochum veteres adpellabant, videatur.

Itaque synochum tanquam febrem principem postquam exposuimus, nunc ad reliquas magis compositas, aut complicatas febrium species cognoscendas pergamus et quidem eodem modo nullius jurantes in verba magistri, quid verum sit, prae omnibus rebus curemus et rogemus.

DE FEBRE BILIOSA ET FEBRE GASTRICA.

Ea vivimus tempora, quibus ingens inter homines viget rerum novarum studium ipsaeque scientiae nullo magis ornatu commendari posse videntur, quam gratia novitatis. Exinde factum est, ut quos morbos Majores nostri credebant, non veros esse morbos contendant posteri cumque illi hominem posse sive ex indigestione, sive ex bile nimia et aegrotare et febricitare vomituque spontaneo, aut emetico ab hac aegritudine et febre liberari, utrumque nostri homines negent; alterum, febrem nasci posse ab indigestione et polycholia; alterum, febrem tolli posse vomitu et emetico. De utroque igitur disserendum est videndumque, quid de febribus, quas avi et proavi gastricas et biliosas cum habebant, tum dicebant, his nostris temporibus nos deceat decernere.

Principium harum febrium ab una parte habebatur polycholia, id est plethora biliosa, ab altera parte ciborum in ventriculo aut intestinis non rite solutorum multitudo; quod utrumque ita jungi posse opinabantur, ut auctam ciborum copiam aucta sequeretur ex hepate irritato bilis secretio inque duodenum effusio ac mutata simul secretione succi gastrici et muci intestinalis, ipsorum humorum inquilinorum, quos vocabant, ex intemperantia et copiam increscere et

indolem depravari, ex quibus cum alimentis crudis, tum depravatis auctisque humoribus nasci colluviem, sive saburram gastricam et intestinalem, ex corpore vomitoriis et purgantibus expellendam, ut morbi gastrici febrilis fomes eliminaretur: esse ubi morbum gastricum febris sequatur; esse ubi ad febrem etiamnum vigentem accedat morbus gastricus; interdum aut vomitum fieri, aut alvi fluxum spontaneum quibus excussa illa saburra, morbi fomite, et hic et febris socia brevi desineret; interdum, gravioribus turbis concitatis, accidere et vomitus et alvi fluxus alternis motibus, quem morbum, aut morbi remedium *choleram* vocant, qua, ex observatione Hippocratica, febris leipyria solvitur. Traduntur *Aphor.* HIPPOCRATIS 17 et 20. Sect. IV. saburrae gastricae symptomata, tam illius, quae vomitum et vomitorium remedium requirit, quam illius, quae cathartico deorsumque purgante remedio opus esse significat. » Non febricitanti, inquit Senex Cous, *Aphor* 17. S. IV. appetitus dejectus et oris ventriculi morsus et tenebricosa vertigo et os amarescens, sursum purgante opus esse significat: et *Aphor.* 20. ibid. non febricitantibus, si fiat tormen et genuum gravitas et lumborum dolor deorsum purgante opus esse significat." Prudenter adjecit *non febricitantibus* haec opus esse purgantia, siquidem veteres illi acrioribus uti solebant, praesertim helleboro, quorum in febribus usus minime tutus foret.

Exstant inter aegrotantium historias ab HIPPOCRATE exaratas, plures, quae complicationem morbi gastrici cum febre monstrant ideoque ad eam febris formam attinent, quam biliosam, aut biliosam gastricam posteri nuncupaverunt: nonnullae etiam, quibus vomitus, aut alvi fluxus motu spontaneo concitatus saluti fuit. Talis uxoris fuit Epicatris casus (aeg. 5. Epid. I.) quae quum ex febre biliosâ gastrica aegrotaret, vomitu tandem et alvo biliosa judicata est, postquam antea urinas criticas emiserat, ita ut crisis primo febris per urinas cum sedimento critico facta sit, deinde morbi gastrici per alvum et vomitum: et mulieris in littore decumbentis, quae post vomitum biliosum die 14°. perfecte convaluit, postquam imperfectam crisin subierat, die 5°. ex alvo biliosa et sudoribus et Chaerionis denique, Epid. III. cui perturbatione critica die 5 et 6. praecedente, imperfecta crisis evenit die 7, vomitus criticus die 16, quo judicatus quidem est morbus gastricus, necdum judicata est febris. Judicium perfectum fuit demum die morbi 20°, postquam urinas criticas emiserat. Itaque febris haec ut morbus est complicatus, ex morbo gastrico et morbo vasorum, ita quisque morbus sua habet judicia, suas crises peculiares, quae ex HIPPOCRATIS observatione, vario incidere tempore possunt. Scilicet nunc morbus gastricus ante febrem judicatur, cujus Chaerion exemplum prae-

buit, nunc febris ante morbum gastricum, quod exemplo uxoris Epicratis docemur.

Procul dubio mecum mirabimini HIPPOCRATIS in re critica notanda diligentiam et intelligetis simul, cur SYDENHAMUS febrium species voluit distinctas per crises spontaneas, quas singulae subire solent. Verum praeterea etiam in morborum Epidemicorum historia universali symptomatum biliosorum et causi sive febris ardentis biliosae frequens ab HIPPOCRATE fit mentio idque calida regnante aëris tempestate annique tempore aestivo et autumnali, atque alio loco, *Aphor.* 21 sq. Sect. III. aestate et autumno et febres continuas et causos fieri et tertianas et quartanas et vomitus et alvi fluxus, notat. Ea quidem HIPPOCRATIS observatio omnis aevi experientia confirmatur: febres biliosas anni temporum esse et regionum calidarum. Nimirum calore incitatur inprimis hepatis actio nasciturque polycholia, quae hominum est cholericorum praesertim, qui antiquitus πικρόχολοι adpellabantur, quorum facies, oculi, capilli omnisque habitus propriam illam corporis temperiem cholericam, vel hominum vulgo designant quorumque bilis etiam levi de caussa commovetur. Cui corporis temperamento si accedant calor, aut ira, aut vini, aromatum cibique animalis abusus, non mirum est, hepati eam innasci irritabilitatem, quam facete RICHTERUS hepar hystericum adpellavit, ac morbos oriri biliosos cordisque in corpore mobili mota sympatheia, fe-

bres accendi biliosas, erysipelata, vomitus, diarrhoeas, choleras omnemque horum morborum cohortem terris tropicis incumbere inque temperatas nostras regiones migrare, ubi par fuerit coeli conditio. Utiliter autem distinguitur inter febres biliosas simplices et febres gastricas, quarum illas disciplinae facilioris caussa primo interpretabimur. Proprium habent decursum. Quippe remittentes esse solent, cum exacerbatione tertianaria duplici, pomeridiana. Initium faciunt ab horrore et calore alternis, cephalalgia, accedit lumborum gravitas, ad dorsum propagata, pulsus plenus, velox, anxietas hypochondriorum, molestia, sensus repletionis ad praecordia, capitis dolor pulsativus, nausea, vomituritio, inquies, aquae frigidae, acidulatae et aurae frigidae perflantisque desiderium et obtentum inde cephalalgiae calorisque temporarium levamen, sudores olentes, nidorosi, lingua flavedine tincta, alvus flava olidissima, urinae flavae, croceae, spumosae, pingues. Bile in primas vias effusa factaque febre biliosa gastrica, quod altero morbi stadio fieri solet, genarum cernitur intensa rubedo, cum flavescente, aut virescente pallore circa nares et labia, lingua flavo muco obducta, salivae affluxus, sapor, ructus amarus, vomitus bilis variae, fauces subinde urentis, dentes stupefacientis, saporis acerbi, metallici. Atque haec quidem praecipua febris hujus symptomata sunt, quae tradiderunt Thomas Laelius Guidetti medicus Italus

sagacissimus, cujus observationes suae Historiae Hepaticae inseruit BIANCHI et MAXIMILIANUS STOLL, clarus quondam medicinae Viennensis Professor: De hoc viro animadvertendum est, ipsum febrem biliosam simplicem a febre saburrali gastrica non probe distinxisse hincque perperam utriusque febris symptomata conjunxisse, quum tamen haud uno nomine altera ab altera differat. Febris biliosa simplex nulla habet, initio saltem, affectionis gastricae signa. Illius symptomata sunt: horror, calorque alternantes, cephalalgia eaque pulsans, anorexia, sitis, cutis sicca, calida, urinae coloratae, croceae, quae si intendantur, fit calor cutis ardens, corporis superficie sicca, calida, lingua arida, atrox capitis dolor, delirium ferox. Reliqua, quae memorantur symptomata, ad febrim biliosam gastricam, saburralem pertinent.

Notandum, quae initio fuerat biliosa simplex, deinde fieri biliosam gastricam, bile scilicet in primas vias ejecta. Rem docent illarum febrium, historia, quas observavit Anno 1711. in oppido Sanbenigni experientissimus medicus GUIDETTI. Biliosa Lausannensis, quam scripto consignavit TISSOT, non simplex, sed gastrica fuit.

Princeps vero qui de febribus gastricis saburralibus scripsit auctor, est MAXIM. STOLLIUS in *Rat. Medendi*, quae primum prodiit Viennae A. 1777, quem virum antea laudibus extollere solebant, nunc contemptu habere solent Germaniae medici, ita ut

vix liber de re medica prodeat, qui nulla habeat in STOLLIUM et Stollianam methodum vituperia ipsique tirones et obscuri homunculi STOLLIO tanquam leoni moribundo asinus insultent. Fuit tamen STOLLIUS magni vir ingenii et medicus peritissimus, quod deinceps ejus scripta perlegentes intelligetis ipsi, qui quam vidit epidemiam, ipsis naturae coloribus depinxit multisque rebus utilissimis auxit medendi artem cujusque doctrina de labis biliosae et gastricae forma multiplici non opinione, sed observatione nata est. Fuit autem STOLLIUS ex hominibus unus, quibus incumbit tristis illa errandi necessitas: unde accidit, ut quam detexerat biliosam febris aestivae A. 1777. naturam, latius subinde quam par erat, extenderit, similiter ac nostros homines, eos praesertim, qui alto supercilio de STOLLIO judicant, de communi morborum charactere inflammatorio audimus somniantes. Quodsi tantus vir erroris non fuit expers, quanta nobis opus est in erroribus vitandis prudentia! Verum agite, ipsa STOLLII scripta pervolvamus unumque aegrotantis ex hoc morbo decumbentis casum speciminis loco proponamus. Placet eum apponere, qui l. l. P. II. pag. 98 sqq. commemoratur, unde ex morbo bilioso primarum viarum male curato fieri posse docemur febrem biliosam, discriminis plenam. » Quidam mense Augusto, adulta itaque aestate, alvum fluidam biliosam habuit, quam haud aegre tulit; haec diarrhoea stomachicis male fuit

suppressa. Mox excruciari dolore abdominis, ejulare et paulo post furere coepit. Pulsus validus, lingua flava; post vomitum arte concitatum resipuit quidem, sed vespere, sub febris exacerbatione, revertitur delirium. De novo clamor per vices furorque. Alvo mota sermones multi, inconcinni; uti hucusque vesperi calor, pulsu pleniori, duro. Sanguis ad unc v. detractus, non accusandus. Noctu et die insequenti, mens saepe vacillans. Quinto febris die alvus nulla, pauca; vespere exacerbatio, at noctu ferox delirium. Die sequenti purgans ex manna et multo cremore tartari frequentes et copiosos secessus fecit, remittit furor: per intervalla praesens animus, at intermedio tempore multa locutio et non ad rem: nulla febris, nox omnium placidissima, somnus multus, tranquillus, reficiens, alvus fluens ex eodem remedio. Inde mentis major in dies et serenitas et constantia rediit, continuato ejusdem pharmaci purgantis usu tandemque sanus et animo et corpore ad suos rediit."

Animadvertatis quaeso, morbum hunc non prius sanatum fuisse, quam restituta fuerat male suppressa diarrhoea. Suppar casus est relatus a GUIDETTO, in quo tamen ab alvo intempestive suppressa non delirium suscitatum est, sed dolor punctorius ad latus sinistrum, celebratis venaesectionibus et datis frustra antipleuriticis pectoralibus, postquam rem conclamatam esse jam pronuntiaverat GUIDETUS, celebrata nihilominus saphenae sectione ge-

nerosa, praescripsit cassiae unc II. solutas in libr. II. seri lactis tartarisati: quo cathartico facta est solemnis evacuatio foetentium excrementorum biliosorum, adeo ferventium, ut aegra in excernendo fateretur ignitas percipere faeces. Interim liberales diluentium haustus sitienti concedebantur postque absolutam catharsin laudata alias praesidia interposita sunt; fluxitque per tres sequentes dies promota biliosorum excretio alvina, cum ardore et foetore, quorum ope post septimum febris paroxysmum secura triumphavit.

Saepenumero varia ejusmodi specie ludit febris biliosa atque incautos fallit etiam sub verae inflammationis persona: quos lusus ad naturae veritatem depinxit Stollius. Crebro pleuritidem mentitur: quales pleuritides biliosas observarunt Ballonius Lib. I. Epid. quemque citavi Guidetus et Stollius, qui ejus symptomata descripsit *Rat. Med.* P. I. pag. 3 sqq. Exemplo sit casus sequens ab eodem hoc auctore perscriptus *Rat. Med. II.* pag. 105 sq. » Juvenis 18 annorum, sartor, 9 Julii alternis vicibus horruit caluitque. Ad sternum opprimi se per intervalla ajebat: mammam dextram primo more pleuritico doluisse, dolore mox per omne thoracis latus diffuso, aucto inter tussiendum et cum spiritum duceret. Lateri sano facilius incubuit: sapor amarus, anorexia, aquae inexplebile desiderium: mictus ardens, alvus immorigera. Doluit ventriculus ad attactum: lingua villis flavi-

cantibus hirta. Haec morbi conditio ad diem 14 Julii, quo ad nos accessit. Praemissis solventibus copiosis, sera vespera vomitorium, vomuit biliosa: saepius dejecit. Noctu largus sudor: dolor lateris vix ullus: vix ulla febris. Die 15 Julii nulla febris, amaror modicus. 17 Julii tinct rhei aquosa, cum pauco sale medio, dein amaricantibus usus, exacte et brevi convaluit."

Notandum pleuritidem hanc fuisse aestivam inque ea incidisse tempora, quibus regnabat febris biliosa epidemica; tum etiam non defuisse symptomata gastrica interque ea saporem amarum, anorexiam, cardialgiam, linguam villis flavicantibus hirtam (quas constantes maxime ejus notas alio loco dixerat Stollius *Rat. Med.* Pars I. pag. 6.) denique vomitorio dato morbum fuisse judicatum. Diagnosin firmant symptomata febris biliosae praegressa, dolor post febrim demum natus, anni tempus, tempestas aëris, aegri temperies, morbi genesis, doloris ratio, sedes, faciei color, urina.

Pleuritides biliosas a se visas scripto consignavit Tho. Lael. Guidetti in *Opere Bianchino* pag. 657 l. l. Historiam morbi notabilem videatis, ibidem pag. 672. No: 47; quam historiam laudavi supra.

Etiam haemoptoën sympathicam a bile vidit Stollius sanavitque feliciter emetico *Rat. Med. II.* P. I. p. 6. » Laetus recordor, sic ille, juvenis, quondam Turcae, nunc sacris Christianis initiati, qui mense

Julio anni 1776. ex febre biliosa et sanguinis sputo decubuit. Cum homini, fluxum sanguinis ex pulmonibus actu patienti, emeticum praescriberem idque in praesentiarum opus esse assererem, me quasi aliena loquentem intuebantur et quis rerum foret exitus, clam avidissime expectabant, haud clementius forte actum iri cum aegro rati, quam ut purpuream una cum bile animam evomat. Sed en! vomuit aeger ἀμωργην multam et sanguinis ne stria comparuit, jugulata febre. Vulgatior postmodum observatio admiratione carebat."

Exanthematibus saepe subest morbus biliosus gastricus, ex quorum numero sunt: erysipelas, urtica, zona: aliis jungitur: variolis, morbillis, scarlatinae. Tum quoque reliquis inflammationibus: anginae, gastritidi, enteritidi, peritonitidi, phrenitidi, ophthalmiae, otitidi caet. ubi ad symptomata inflammatoria accedunt alia biliosa. Talia utriusque morbi connubia eo maxime tempore exspectate, quo febris biliosa vulgaris facta est. Quare oportet medicum in arte versantem semper tempora considerare et genium, sive constitutionem epidemicam, quae constitutio epidemica, quemadmodum ex anni temporibus vulgo nascitur, ita his mutatis mutabitur ipsa. Haec mutatio cum pedetentim fit, crebro evenit, ut morborum oriatur complicatio ac febris biliosa cum febre inflammatoria, aut cum topicis inflammationibus copuletur, sive frigus sequatur aëris calor, sive post solis ar-

dores incidat tempestas borealis. Mense Octobris A. 1777. ad finem vergente hanc complicationem Stollius observavit. » Pleuritis erat inflammatorio-biliosa, sic rem ipse refert, dolore late diffuso. Plerumque cruenta sputabant, aestuantes, pulsibus plenis, elatis, quae digitum exploratorem, instar chordae vibrantis, ferirent, ore mucoso, amaro ac cardialgia." Erat sanguinis detracti crusta flava ac diarrhoea sub morbi finem proficua, observante cum Stollio Guidetti. Hujus complicationis exemplum obfert aegra 7. *Rat. Med. II.* pag. 394 sqq. » Femina 20 annos nata, maritata, postquam antea jam biduum febricitaverat, die 16 Januarii ad Nosocomium defertur aestuans, toto latere thoracis dextro dolorem acutum questa. Facies auriginosa, virescens, oculorum flavus viror: epigastrium omnem attactum refugiens et dolentissimum: sitis inexplebilis; leipothymiae assiduae: pulsus celerrimi, sub digito evanescentes, et subinde nulli: lingua albescens: tussis sicca. A meridie facies oculive rubent: pulsus celeres, elati, non duri: multa jactitatio et summa inquies. Paucam aeruginem et cum levamine vomit. Sumit potus copiosos, mellitos, acidos, cum pauco arcano duplicato. Somni pauci pravique. Die 17. oppressio pectoris dolorque pungens augetur. Respiratio laboriosa: decubitus in latus affectum impossibilis: oris amaror: vomituritio: valida febris. Sanguinis unciae quinque educebantur, crustam flavam, crassam,

tenacem, diffusamque exhibentis. Potiones eaedem continuantur. A meridie sumto emetico vomuit amara, aeruginosa, pituitosa dejecitque frequenter. A vomitu vix ulla febris: vix ullus praeter naturam calor: respiratio bona: oppressio nulla: decubitus in utrumque latus facilis: repentinum, ingens et mirum levamen: Oris amaror perstat. Hora 10. vespertina etsi bene habenti, cum pulsum offenderam plenum vibrantemque, qualem non ante hac, in prophylaxin potius inflammationis novae, quam sanguine non detracto facile redituram praevideram, phlebotomiam ad uncias octo institui. Crusta eadem. Noctu etsi nil amplius incommodi questa, parum dormivit. 18 Jan. aliquis dolor capitis et epigastrii: oris amaror: vix vestigium febris; caetera bona. Urinae hucusque aut croceae, aut praerubrae; 19 urinae quandam hypostasin furfuraceam habuerunt. Reliqua uti pridie. D. 20 cephalalgia et cardialgia augentur: dolor lateris dextri punctorius, recrudescens et saevus: febris, decubitus, sitis, quemadmodum in morbi principio. Tussis: sputa nulla: lingua sicca: oris intensior amaror: emeticum. Octies vomuit amara, ductilia et decies dejecit. Pectus bonum: dolor lateris nullus: exigua febris: mirum in modum et repente allevata. 21 Jan. omnia emendata. Dormivit, 22 sedimentum lateritium urinis inerat: tussis pauca hucusque perstat: caetera bona. Appetit, obambulat, 23 decocto lichenis islandici uti coepit.

Ex eo tempore tussis omnino siluit, rediere vires et exactis non multis diebus confirmata discessit." Manifestas habetis in hac historia complicationis notas, quam firmavit medela et sanguinis emissi adspectus. Quando tali connubio morbus inflammatorius cum morbo gastrico copulatur, inflammationes fiunt impurae, erysipelaceae, quae et cito nascuntur et cito necant, ex partis affectae gangraena. Tales inflammationes praesertim cerebrum petunt, aut pulmones; petunt etiam hepar, aut fauces, aut intestina: quare post deliria, dyspnoeam, difficilem deglutitionem, icterum, dolorem colicum, cum sudoribus frigidis, topicis, artubus marmoreis, pulsu intermittente, submerso, tremulo, ictu celerrimo, post levamen fallax, subito pereunt aegri. Alter ex hoc morbo eventus, funestus ille est, quo ex febre biliosa fit febris putrida, fatiscentibus aegri viribus, qualem in Epid. III. *Stat. ult.* retulit HIPPOCRATES. Cf. *Chrestom. Hippocr.* pag. 154. Graphice hunc eventum descripsit TISSOTUS in *Hist. Epid. Lausann.* A. 1755, quam descriptionem ipsis illius verbis exponam. » Vix ullum amplius ordinem servabant exacerbationes, sed irregulariter omni hora invadebant, pulsus adeo increbrescebat, ut vix numerari possent pulsationes, omnes subsultabant tendines, anxietas et jactatio continua, oculi torvi, nictitantes, lemosi, delirium aliis fere phreniticum, aliis pacatius lethargumque subolens, ubique periculosum. Garru-

litas fere continua, in aliis morosa taciturnitas et de morbo ne minima querela, utut manus frequenter fronti admotae satis testarentur, acerbam adesse cephalalgiam. Medicum quomodo valerent sciscitantem fixiter intuentes elatiori voce respondebant: *optime*; necessarios ignorabant; meteorismus, abdominis tumor tympaniticus quotidie increscebat, praesertim circa hypochondria: respiratio brevissima, anhelitus; alvus irregularis, liquida, pinguis, colliquativa, urinae crudae, quoad caetera quotidie dissimiles, albae, tenues, pingues, turbidae, jumentosae, inscientibus involuntariae evacuationes: sitis nulla, utut lingua arida, nigra, tremula, vox clangosa; tremor universalis, floccorum collectio, muscarum venatio; post summam agitationem summa debilitas, mors."

Subinde si morbus levior, nulla facta crisi, aut critica evacuatione, solis adhibitis diluentibus, potu multo, largo, aquoso, refrigerante, acidulo sponte solvitur. Vulgo autem judicium subit. Fiunt in his morbis crises et evacuationes criticae variae. Primo per haemorrhagias narium, uteri, intestini recti, quae tamen rarior. Epistaxes observavit Pringlius, remissionem accelerantes, pleniorem reddentes, quas (ut solent hae criticae evacuationes) in ipsa contingere exacerbatione, tempore videlicet vespertino, aut nocturno notavit. Semper fiunt illae crises in legitima biliosa propter typum febris tertianarium, diebus imparibus. Epistaxes

aliaeque haemorrhagiae die septimo fieri consueverunt eodemque die criticus interdum adparet icterus. Post exacerbationes, matutino tempore remittentes, sudores prodeunt, qui largiores die quodam critico fluunt, subinde indusiam flavo colore tingentes. De quibus tamen sudoribus monendum est, eos tum demum juvare, ubi systema gastricum a sordibus est liberatum, ut crisin firmare magis, quam facere dixeris.

Palmaria vero crisis et evacuatio critica fit per vomitum et alvi fluxum. Febrem leipyriam, quae ex biliosarum familia est, cholera solvi, Asclepiadarum observatio testatur. Ad quam veterum observationem medendi methodum per emeto-catharsin optimo rerum eventu composuit Stollius. Nam etiamsi non ita vulgaris sit in his febribus, quam in synocho inflammatorio crisis spontanea, aliquando tamen, natura artifice, sanari observatur vomitu et alvo biliosa, urina simul emissa cum sedimento rubro, rosaceo, lateritio. Quae palmaria crisis ipsas partes affectas liberans, die quodam critico impari evenit et quidem sub exacerbationis febrilis declinatione, plerumque post praegressam criticam perturbationem. Insigne rei documentum exstat in femina, cujus meminit Tissotus l. l. pag. 118 sqq. Huic vespera vicesimae diei summum imminere videbatur periculum ex meteorismo, delirio, deficiente pulsu, somnolentia, jactatione, orthopnoea, deglutiendi difficultate; » cum vero cu-

tim molliorem invenirem (sic ille) nullae adessent petechiae, instaret vicesima prima abdomenque borborygmos ederet, materiem morbi coctam crisimque molientem incusans, adstantium spem ausus sum erigere et limonati usum cum pauxillo vini suasi, si possibilis deglutitio. Media circiter nocte copiose, impetuose, inscie alvum deposuit indesinenter fere per semihoram. Debilitas inde summa, asphyxiae plures, respiratio non anhela, sed fere nulla, sopor vix excitandus, agonem credunt omnes. Paullo post accedens speciem somni potius, quam lethi inveni; lenta erat, sed facilis respiratio, exilissimus, sed mollis, ordinatus pulsus; abdomen detumuerat. Suasor fui, ut limonatum cum dimidia vini parte ori subinde instillarent; lintea madida mixtione ex partibus aequalibus vini, aceti et aquae abdomini et pectori tepide omni hora applicarent et locos, quibus majora prostant vasa, eodem liquore saepe madefacerent. Sensim instaurabatur pulsus, reviviscebat faciei color, composito placidoque fruebatur somno: nec tamen nisi crastina excitata die, triginta et sex horis post crisin, triduo fere post primum somnolentiae ingressum, sat cito alvo biliosa egerente convaluit. Crisin novus excepit somnus, quod optimum, inde enim illius arguitur securitas: *profundi somni, nec turbulenti judicii firmitatem denuntiant Coac.* 151."

Itaque morbo provecto, coctionis tempore, in pri-

mas vias ejicitur bilis et sursum deorsumque, facta cholera, expellitur. Nec tantum hoc modo huic febri medetur natura, verum eodem ipsam praevertit. Sic choleram Augusto nasci ab eaque diathesin morborum biliosam ordiri, testatur SYDENHAMUS. Exanthema tum miliare, tum erysipelas praesertim, in cute si erumpant, facta morbi revulsione, profuisse leguntur. De quo quidem erysipelate monendum est, aliud esse vernale erysipelas, phlegmonodes ut plurimum, aliud autumnale, biliosum, quod colore flavo, subfusco ab inflammatorio erysipelatis verni rubore discernitur, auctore GRANTIO, SYDENHAMI interprete.

Methodo calida perperam curata in febrim inflammatoriam aut ardentem: methodo contra nimis debilitante, aut prostratis aegri viribus, in febrem putridam mutari dicitur.

Fausto plerumque eventu abit in febrem intermittentem, observantibus GUIDETTO, PRINGLIO, GRANTIO. Solent scilicet pleraeque febres biliosae ex intermittentium autumnalium familia esse (id quod vel typus tertianarius, duplex declarat) atque bene curatae, deposita ferocia, facile in intermittentes transire. Intermittentes scil. autumnales, mense Julio si jam adpareant, sub forma prodeunt continuarum, qualis etiam febris Lausannensis a TISSOTO descripta GRANTIO visa est. Hunc vero febris biliosae in intermittentem transitum (qui potissimum die 11°, aut 14° accidit) sperare licet, ubi

remissio manifestior, aut monente Grantio, sicubi exacerbatio fiat cum horripilatione, aut frigore pedum, potissimum sequente calore, sub signis coctionis, sique calorem excipiat cutis mador, alvus secedat liquida, biliosa, urina ejiciatur profunde colorata, cum sedimento lateritio, quae signa si conjuncta animadvertantur, haud inanis videri poterit conjectura, brevi hunc exitum esse exspectandum: qua de re conferri meretur is, quem mox citabamus, Gulielmus Grantius. Auctore Stollio, (*Aphor. de cognosc. et curand. febrib.* 364.) Curatio fit in morbo leviori per acida vegetabilia, fructuum horaeorum succos aperientes et diaetam omnem antibiliosam, medicamina alterantia, subemetica et purgantia mitiora. In morbi vero majoris primo stadio per priora. In secundo, praeter priora per emeto-catharsin, corpore prius ad hanc evacuationem parato, aërem praeterea frigidiorem, liberiorem, potum aquae frigidae, situm erectum, accedente cephalalgia ingenti et phrenitide. Nempe in morbo leviori, qui naturae beneficio solvitur, saepenumero diaetetica sufficiunt auxilia: succi fructuum aciduli, succus citri, limonum, aurantii, ribesiorum, mororum, rubi idaei et quae sunt ejus generis alia, tum fructus horaei maturi, quos ipsa, tanquam morborum aestivorum remedia, profert adulta aestas. Atque his quidem comprehenditur diaeta antibiliosa Stollio dicta, quibus tamen addere oportet aëris puri, frigidiusculi

usum et animi corporisque quietem. Potus sit ex hordei, panis, aut avenae ptisana, cum succo citri, aurantii, limonum, ribesiorum, tum ad temperandum calorem, tum ad restinguendam sitim bilemque corrigendam. Haec ex fonte diaetetico. Ex fonte therapeutico petuntur rad. ipecacuanh. refracta dosi et tart. emetic. cum graminis extracto similibusque. Purgantia sint ex eccoproticorum, subacidorum, refrigerantium classe: fruct. tamarindi, pulp. cassiae, cremore tart., manna, qualia dicuntur antibiliosa. Habet enim quaeque morborum classis sua. Itaque in morbi gravioris stadio primo adhibenda est methodus temperans, antibiliosa; ptisana danda tenuis, aqua hordei, cum succis subacidis fructuum horaeorum, aut cum aceto decoct. tamarind, electuar. de pulpis caet. Atque haec quidem eapropter sufficiunt solaque prosunt, tum quoniam in febre biliosa vera major semper adest in corpore irritatio a bile, quae priusquam possit expelli, cicurari debet et obtundi, tum quoniam initio nulla facta est bilis in primas vias evacuatio, quare minime huic morbi tempori respondent evacuantia; nihil enim evacuandum est; sed ei respondent temperantia bilisque stimulo adversa.

Verum bile in primas vias evacuata, emeto-catharticum dandum est, quod choleram provocet artificialem, qua sursum deorsumque materies biliosa evacuetur. Hujus emeto-cathartici simplicissi-

ma formula est solutio tartari emetici in aqua aut sola, aut addita manna et aliquando etiam salino quodam, uti sale Glauberi. Ut plurimum tamen sola tartari emetici solutio sufficit.

Antibiliosa curatio haec neglecta videtur in prima Obs. ANDRALLII. Faber ann. natus 27. ex aliquo tempore anorexiam passus est, cephalalgiam, languorem insolitum. Donec vespere quodam post coenam horripilationem experiebatur: ardorem vero per totam noctem. Mane idem ardor, levis faucium dolor, ciborum, quos sumpserat, vomitus. Vespere diei sequentis in Nosocomium suscipitur. Tertio die haec obfert symptomata: faciem flavam, rubris genis, cephalalgiam supra-orbitalem, languorem, tarditatem ad motum, dolores articulorum, labia sicca; lingua crassa, flavescente crusta tecta, rubra ad margines et apicem: os amarum: parva sitis, deglutitio cum quodam dolore; abdomen molle, indolens, alvus nulla, ab ipso morbi principio. Hisce increscentibus et persistente alvi duritie, accedente morbo pulmonum, delirio, dyspnoea, voce intercepta, moritur die morbi nono.

Ter vena secta est, aqua hordei praescripta, enema injectum, sinapismi, vesicantia cruribus imposita. Praeterea nihil. An in morbi principio recte vomitorium omissum, an purgantibus antibiliosis, an acidulis nullus locus? Nonne his melius, quam antiphlogistica curatione praecaveri potuissent pulmonum intestinorumque phlogoses?

Verum curatio non tantum fit per therapeutica auxilia, i. e. per pharmaca, sed per aërem etiam frigidiorem, liberiorem, non ad thermometrum, sed ad gratam aegri sensationem examinandum, ita STOLLIUS et recte quidem ille. Nam quemadmodum nulla res in corpus humanum agit solis dotibus physicis suis, aut chemicis, sed dotibus dynamicis, vim vitae excitantibus, quae vitae incitatio et rerum in corpus humanum potestas ex ratione corporis pendet dynamica et stimulorum sensu ac perceptione; ad hunc sensum corporis et perceptionem auxilia quaevis sunt adcommodanda. Est autem aër frigidus, purus summum in rerum natura ad calorem febrilem temperandum remedium. Quare vos futuri artifices! aëris semper renovandi summam habeatis curam, quod facile fieri potest, quin tamen aegrotantes refrigerio exponantur quodque eo majoris in febribus biliosis, aestivis illis est necessitatis, quo major est aestate febrium in putridum genus proclivitas quoque certior est aëris puri in corpus admissi pulmonibusque suscepti vis antiseptica. Neque hoc calorem tantum temperabitis et arcebitis putredinem ab aegrotantibus vestris, verum etiam convulsiones ipsaque deliria. Nihil enim magis est delirio adversum, quam frigidiusculum corpore capiteque erecto regimen, quo delirantes subito saepe ad sanam mentem reversos vidit SYDENHAMUS, qui more magnorum virorum simplici curtaque, at naturali remediorum supellectile sum-

mos curavit morbos neque a moscho petivit, aut camphora delirii remedia, sed ab aëre et corporis situ. Aliquando avide appetunt aegri aquam frigidam, quae non semper tuto conceditur. Obest morbo crudo aegrove debili, juvat morbo adulto, valentibus aegri viribus, materiem saburralem alvi fluxu concitato e corpore expellendo, aut sudores criticos promovendo viresque in corpore ac renisus vitales excitando. Haec aquae frigidae in febribus salubritas neque veteribus, nec Sydenhamo ignota fuit et ipse eam expertus sum in parvulo quodam, qui tempore aestivo cholera correptus gravissima tam avide aquam appetebat, ut quum negasset mater, clam surripuerit multumque inde habuerit morbi atrocissimi levamen; et postea saepius in cholera Asiatica, quae dicitur, profuisse plurimum vidimus. Interdum accidit, ut omne vasorum genus nimium sit repletum tensumque, in corpore juvenili, plethorico, aut ubi phlogistica incidat aëris tempestas, flante Borea, quae si fiant, venaesectione ad emeto-catharsin corpus disponendum est, qua facta relaxatoque corporis habitu, sponte saepenumero cietur vomitus salutaris. Plures ejusmodi casus reperietis apud Guidetum in *Opere Bianchino* laud. et apud Stollium in *Rat. Med.* eademque est venaesectionis post methodum calefacientem male adhibitam necessitas.

Subinde tanta est in systemate hepatico et ventriculo strictura spastica, ut vomitus nullus cieri

possit, absque summo morbi incremento ipsoque vitae discrimine: quam stricturam lepide bilem incarceratam vocavit Richterus. Postulat usum relaxantium, potus demulcentis, tepidi, fomenti humidi, emollientis, subcalidi, cataplasmatum similiumque.

Ubi vero magna est bilis acrimonia vere caustica, quae fauces laesisse dentesque legitur, haec mucilagineis, involventibus obtundenda, aut antibiliosis, potione Riveriana, ex sale absynthii et succo limonum fervescentibus emendanda est.

Herniis etiam prospiciendum et herniosis decumbentibus vomendum est atque numquam, alvo clausa, praebendum vomitorium, verum haec prius enemate reseranda atque laxanda est.

Hisce, si opus sit, praemissis atque materie, ut veterum more loquar, mobili reddita, praescriptis etiam in eundem finem medicaminibus solventibus, salinis, ex aqua cum oxymelle et sale quodam, potissimum Glauberi, datur emeticum, seu emetocatharticum, si supra turgeant materies, i. e. si ad evacuandum sint paratae. Materiae autem sursum turgentis indicia sunt eadem prorsus, quae vomitum solent praenotare: lingua sordida, os amarum, anorexia, oris ventriculi morsus, praecordiorum molestiae, dolor ventriculi, nausea, extremorum frigus, vertigo, oculorum caligines, inquietudo, anxietas, jactatio, salivae in os affluxus copiosior, labii inferioris tremor. His signis indicatur naturam

moliri bilis via brevissima e corpore expulsionem, quibus adparentibus, naturae opem ferre oportet et quidem tartaro emetico, non vero ipecacuanha, quae alvum stringere, quam apertam fluxamque servare juvat, deprehenditur. Est igitur emeticum aut emeto-catharticum princeps in febribus biliosis, gastricis, saburralibus remedium, in quo praedicando principes, qui de iis scripserunt, medici antiquiores consentiunt. Purgantium vero magis limitata est utilitas. Haec tunc indicantur, ubi materies deorsum, ut ajunt, turgeant, i. e. ubi natura moneat purgatione opus esse sordesque in crassis intestinis haerere, quod denotant: lumborum gravitas, dolor, mollis abdominis tensio, borborygmi, flatus, urina jumentosa, crassa, vitulina, turbulenta.

Post emeticum adsumptum non statim, ut multorum, plebis praesertim mos est, magna tepidae copia haurienda, verum non nisi vomitu incipiente tumque parce, at saepius et repetitis vicibus potandum est. Quod nisi fiat, emeticum commutatur in catharticum, malis aegrotantium rebus. Nam maximopere differt, an bilis brevissima via e corpore ejiciatur, an vero omnes peragret tubi alimentaris ambages, quo heterogeneo colluviei morbosae stimulo male afficiuntur intestina atque impurae saepenumero nascuntur inflammationes, cito gangraenescentes, aut sanguinis crasi depravata, putrida febris suboritur. Inter cathartica antibiliosa

a quibusdam laudantur oleosa: ol. ricini, amygdal. quae etiam spasmos solvere et demulcere creduntur. Haec tamen jure reprobant GUIDETUS et TISSOTUS, utpote quae rancida facta, morbum exasperarent. Nec video, quid oleosa hic praestarent, quod a demulcentibus non multo melius tutiusque praestari posset; quapropter miror, a RICHTERO quoque commendata esse. Nec magis tuta habeo paregorica, opiata post vomitum data, ut quibusdam medicis visum est: quippe alvum sistunt et deliria pessima inducunt. Vesicantia etiam, utut a multis praedicata, revellendi, derivandi fine, minus proficua censeo. Est scilicet optimum revellens, aut derivans auxilium idque morbi caussae adcommodatum, *emeto-catharticum*. Verum haec quamvis per se minus conveniant, aliquando tamen per accidens juvare possent, ubi spasmus subfuerit, quam antagonistica vesicantis actione vinci posse speramus, quo in casu majorem tamen a sinapismo exspectarem fructum, qui ut acidum habet, ita morbo bilioso magis respondere videtur; quamobrem adsentior TISSOTO, sinapismos in febribus biliosis commendanti. Cortex Peruvianus, quem laudat PRINGLIUS, tunc tantummodo prodesse posset, quum ex biliosa facta sit intermittens, aut illa ex intermittentium familia fuerit, id quod in nostris regionibus, in quibus artem fecit PRINGLIUS, observatum est: unde intelliguntur, quae a Cortice post purgatas primas vias perceperit commoda. Per eme-

to-catharsin, evacuata morbi materie et febri aut fracta, aut mitigata, aeger sensim inter blandos, levantes, nocturnos sudores convalescit, morbo dies 14 non excedente. Hoc tempore curationem perficiunt acidula eccoprotica: potus ex aqua, succo limonum, citri, aurantiive, cum saccharo, decoct. gramin. tamarind., pulpae cassiae, prunorum, aqua solutae, quae sanguinis dyscrasiam biliosam emendare et corrigere, non sine veri specie, creduntur.

Boni medici est, non tantum aegros, verum etiam convalescentes curare, ut pristina redeat firmataque valetudo. Quae convalescentiae cura eo majoris existimanda est, quo saepius in ea delinquitur. Vulgo creditur, omnes convalescentes eadem tractandos esse methodo, omnibusque tonica danda esse, amara, corticem, ferrum, qua tamen nulla pejor opinio. Nam uti morbi differunt, ita differunt quoque convalescentiae ex morbis, ut alia sit convalescentium ab inflammatoriis morbis curatio, alia a biliosis. In hisce ad primae officinae firmandam valetudinem ars dirigenda est. Seligantur cibi infirmioris materiae viribusque ventriculi pares: carnes tenerae et olera et fructus, quae facilem recipiunt coctionem. Itaque carnes e pullis gallinis, aut vitulinae, nec bovilla, suilla, ovilla, neque ova sorbilia: olera e taraxaco, scorzonera, endivia, acetosa, fructus horaei; potusque e vino rhenano, aqua et saccharo temperato. Alimentis autem non magna copia, sed parce et cre-

brius utendum est eaque praebenda,. quae virtutem habeant antibiliosam. Nam ut relapsus praecaveatur morbi biliosi, ipsa convalescentiae cura antibiliosa sit oportet.

Quodsi supersit a morbo relicta ventriculi debilitas, hanc emendare amaricantia et amara, quae vocantur, remedia feruntur: extr. taraxaci, card. bened. centaur. min. gentian. absynth., eo quo recensita sunt, ordine praescripta factaque a resolventibus ad amara progressione. Vos autem, ne credatis A. A.! omnem a febre biliosa convalescentiam haec amaricantia, aut amara jure quodam suo postulare: in qua quidem re saepenumero graviter a medicis peccatur. Non raro sponte sua convalescunt aegri, solo prudenti vitae regimine adhibito alvoque aperta servata; quod hic summopere requiritur; et cholericorum ventriculi irritabiles aegre amaricantia illa ferunt, quod ut ipsemet in aegris meis observavi, me cautiorem effecit in iis praescribendis. Scilicet saepius, quam vulgo creditur sola sibi sufficit natura. Ut autem relapsus praecaveatur, potissimum cavendum est, tum a corporis aestuantis refrigerio animique affectibus, ira praesertim, tum ab indigestione et denique aegro aut rusticandum est, aut peregrinandum.

DE FEBRE GASTRICA.

Febris gastrica, quae a biliosa differt, ab altera tamen parte ei ita affinis est, ut biliosa altero morbi tempore in gastricam saburralem soleat commutari et crebra sint utriusque affectionis connubia. Id quod ipsae morborum historiae testantur, a rei medicae scriptoribus memoriae proditae, quibus raras admodum, in regionibus saltem temperatis, esse febres puras biliosas, creberrimas contra, immo longe plurimas cum gastrica primarum viarum colluvie complicatas, docemur.

Est autem febris gastrica primaria verique nominis ea, quam ciborum faciunt reliquiae crudae, cum bile et muco et succo gastrico entericoque mutatis permixtae, in ventriculo et intestinis haerentes. Quae igitur, aut praemissis, si ad evacuandum nondum paratae sint, solventibus, diluentibusque, aut si facili opera expelli posse praevideantur, omissis hisce, per emetica et purgantia sursum deorsumque e corpore sunt eliminandae, deturbandae, quibus evacuatis mox remittere solet, aut intermittere febris, aliquando etiam prorsus silere. Post evacuantia adhibita, si supersit intestinorum tanta debilitas, quae artis auxilia postulet, haec amaricantium, stomachicorum e classe petenda erunt: sique debilitati jungatur torpor, per vina et tin-

cturas amaras perficienda est curatio. His quoque, quod nostris praesertim hominibus injungendum est, a potionum tepidarum deliciis est abstinendum et aut cerevisia, aut vino, aut mobilioribus, aqua frigida, quod summum stomachicum, moderatoque corporis in aprico motu superstes corrigenda est ventriculi infirmitas.

Exposui hactenus antiquiorum, Stollii praesertim, de febribus biliosis et gastricis doctrinam, quam vobis integram eapropter et intaminatam reddere volui, tum ne in hac etiam cognoscenda meam desideraretis operam, tum ut cum ea recentiorum facilius placita conferre possetis, quae nisi illa intellecta intelligi nequeunt et cognita sint oportet, ut quid a recentioribus hac in re praestitum sit, cognoscatur, meumque et antiquiorum et recentiorum propositis sententiis, interponere judicium liceat. Quamobrem jam recentiorum sententiam explicemus. Jam dudum prodierant *Rudimenta Pyretologiae methodicae* Sellii, medicinae doctoris et professoris Berolinensis, qui febrium doctrinam medicis practicis praesertim fructuosam reddere studuit, quum Pinellius suam edidit *Nosographiam Philosophicam*, in qua is methodo usus est analytica, atque febres: de illis nunc dicimus; ad certa genera eaque pura et simplicia revocare optavit. Has febres essentiales easque primarias dixit Pinellius, quarum in numero et alias habuit et eam, quam hoc loco volumus, biliosam gastricam, ipsi

meningo-gastricam adpellatam. Earum sedem in ventriculo et duodeno non minus, quam in bilis et humoris pancreatici officina positam esse, censuit. Quam ille irritationem, eam BROUSSAISSIUS phlogosin esse contendit, ut gastro-enteritidem hujus quoque febris caussam habuerit. Conditionem inflammationi proximam facileque in hanc abeuntem jam indicaverat FROSTIUS. Medicorum Parisiensium deinceps complures hanc BROUSSAISSII opinionem tuiti sunt ac magis magisque eviluit febris biliosae nomen. Aliis deinceps visum est, non tam ventriculi esse, aut intestinorum hanc phlegmasiam, verum duodeni potius, aut ductuum hepaticorum, cystici, choledochi. De qua opinione quid statuendum sit, conquisitis undique experientiae rationisque testimoniis, nunc proximum est, ut explicemus.

Celeberrimus auctor Pyretologiae Physiologicae BOISSEAU monet, anatomen pathologicam ipsam nihil certi docuisse circa naturam et sedem status gastrici et febrium biliosarum, satis tamen cognitam esse sedem et naturam cholerae, ut ex analogia hujus morbi cum morbis biliosis de horum charactere inflammatorio nequeat dubitari nostrumque HAENIUM hunc characterem adgnovisse atque ita STOLLIO se superiorem monstrasse, qui magis ad symptomata, quam ad cadaverum sectiones adverterat animum: laudatque observationes et experimenta Viri Clarissimi BOUILLAUD, quibus hic rem

illustrare conatus est. Aut fallor equidem, aut huic pyretologi celeberrimi argumentationi quid deest. Nam si anatome pathologica de natura ac sede nihil certi doceat, quo tandem modo ex ea proficere potuerit Stollius, non satis intelligo, nec video, quid hac deficiente aliud Stollio faciendum fuisset, quam ad symptomata mentem advertere, praesertim quum Stollii praxin a symptomatum animadversione ductam non adeo infaustam fuisse suspicor. Verum quoniam ad Bouillaudii observationes et experimenta deducimur, de his etiam videamus.

Hae observationes septem numero sunt. Prior est viri juvenis 25 annos nati, qui aliquot jam dies aegrotaverat, antequam die 20 Septembris in Nosocomium receptus est. Prima morbi symptomata erant horrores, dolores in lumbis, cephalalgia, epistaxes, vomendi cupiditas: deinde catarrho adflictus, ab opere desistere debuit. Datum est, ex more vulgi *vinum calidum*. Quo die in Nosocomium exceptus est, sequentia obtulit signa: linguam rubram, mundam, siccam, anorexiam, sitim magnam, os amarum, mucosum, dolorem ventris, praesertim lumborum, alvi fluxum, dolorem substernalem, cutim calidam, pulsum frequentem, fortem, magnum; pervigilium. Hisce accessere deinceps cephalalgia, vertigo, coma, surditas, delirium, ventris meteorismus, linguae, dentium, labiorum nigredo, ariditas inque dextro latere abdominis ery-

sipelas ad femur usque proserpens brevique in gangraenam transiens, quo facto aeger, subsistente cum delirio alvi fluxu, labentibus viribus, defecit hora septima matutina, die ex quo Nosocomium adierat, vigesimo. Praeter encephali et meningum aliaque, de quibus nunc non quaeritur, vitia abdominis serosa et mucosa ventriculi et intestinorum manifestas habuere notas inflammationis ipsumque ileum in vicinia coeci ulcera gangraenosa, glandulis mesentericis proximis ex inflammatione tumentibus. Intestina tenuia continebant materiem liquidam, copiosam, subviridem; crassa vero materiem faeculentam, eo solidiorem, quo proprius ad rectum accesseris.

Erat haec enteritis impura, erysipelacea, biliosa, quae cito gangraenam solet inferre et primo morbi principio forsitan methodo composita partim antiphlogistica, partim antigastrica ea, qua crebro Stollius usus est, feliciter potuisset tolli, immo praecaveri.

Altera observatio non ad febris biliosae aut gastricae, verum ad typhi abdominalis historiam mihi videtur revocanda esse, pariter tertia et quarta, quamvis haec non sine gastrica complicatione fuerit, quemadmodum quinta et sexta et septima, quae omnes aliarum etiam inflammationum notas habebant, ita ut ex septem hisce observationibus nulla sit febris biliosae, aut biliosae gastricae, id quod ipse auctor confiteri videtur, metuens scili-

cet, ne nonnulli medici contendant, hos aegros ex febre biliosa gastrica non decubuisse et symptomata adparuisse ad hanc febrem non pertinentia: quibus quidem rationibus addi posset, linguae conditionem, quae sicca cernebatur et rubra, minime talem fuisse, qualis in febribus gastricis puris atque legitimis conspicitur. Rem quo magis probaret, experimentis usus est in canibus factis, ingesto tartaro emetico et impedito vomitu: quibus gastritis mota est, nec tamen, ut auctori placuit, febris gastrica biliosa. Quae cum ita sint, non video has sive observationes, seu experimenta, quae demonstranda erant, demonstrasse, quod cui lubet animo libero descriptionem febris gastricae antea traditam cum notis signisque ab auctore tum in homine, tum in canibus descriptis comparare, facile intelliget.

Ultimo loco traduntur observationes febris biliosae sanatae per methodum antiphlogisticam. Prior est adolescentuli, qui ex esu carnium semiputridarum incidit in febrem, quae post septem ab hoc cibo dies, signa obtulit ventriculi et intestinorum irritatorum et cholerae inde motae. Admotis hirudinibus viginti quinque, pulsus primo factus est minimus, vultus tristis, languidus, oculi concavi, ut infaustum rei eventum metueres, sed tertio abhinc die vomitu alvique fluxu desinentibus, sensim sensimque convalescere coepit, tandem prorsus convaluit, die morbi undecimo. Neglecto vomito-

rio, quo morbus initio extingui potuisset, natura quod ars neglexerat, fecit ejecitque vomitu alvique fluxu materias putrescentes morbumque, tardius licet, sanavit. Quae sequitur observatio morbi compositi est, gastrici, catarrhalis (inciderat valetudo in mensem Octobrem adultam: priorem sustulerunt vomitus et alvi fluxus; posteriorem hirudines et venaesectio; utrumque mitigavit plurimum vitae regimen). Deinceps narratur historia mulierculae, eodem ferme tempore, quarta ex puerperio septimana incipiente, aegrotantis, ex ventre, intestinorum scil. inflammatione impura, quae evacuationibus spontaneis et curatione antiphlogistica, altero demum mense, tardam, sed perfectam experta est a morbo gravi longoque convalescentiam. Porro puellae casus memoratur, cui ante quatuor menses catamenia suppressa sunt quaeque ex refrigerio inciderat in catarrhum intestinalem, solutione gummosa, decocto albo, hirudinibus curatum feliciter. Tandem juvenis a morbo simili, pari genere medicinae liberati, postquam mensem integrum aegrotaverat. Cernitis, sub uno nomine comprehendi morbos plurimum distantes.

Reliquum est, ut videamus de analogia illa cholerae cum febre biliosa ac prioris natura inflammatoria. » Cholera, ita Sydenhamus morbum hunc more suo describit, aestatem fugientem atque autumnum imminentem complectitur unice ac eadem prorsus fide, qua veris primordia hirudines, aut insequen-

tis tempestatis fervorem cuculus amare consuevit. Qui ab ingluvie ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur affectus ratione symptomatum non absimilis, nec eandem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Malum ipsum facile cognoscitur; adsunt enim vomitus enormes ac pravorum humorum cum maxima difficultate et angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio et distentio, cardialgia, sitis, pulsus celer ac frequens cum aestu et anxietate, non raro etiam parvus et inaequalis, insuper et nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum et brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notae symptomatis quae adstantes magnopere perterrefaciunt atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio aegrum interimunt."

Eodem tempore, quo Sydenhamus, choleram in nostris terris quotannis redeuntem vidi, neque dubitavi, epidemicam illam, morbis autumnalibus adfinem habere: quo minus autem ejus naturam inflammatoriam existimem, vetat primo morbi origo, ea tempestate, quae inflammationibus minus favet et decursus ille celerrimus, brevissimus, convulsionum et spasmorum similior: secundo, curandi methodus per laudanum, qua Sydenhami ad exemplar usus sum feliciter vidique ac miratus sum, opio porrecto, et quidem

porrecto plena dosi, hanc musculorum intestinalium convulsionem tanquam incantamento sedatam aegrumque facie Hippocratica, propter inanitionem, morti proximum, paucas horas post refocillatum turgoremque et calorem vitalem resumentem. Itaque hae rationes me impediunt, quo minus virorum celeberrimorum amplectar sententiam, qui choleram etiam omnem magno inflammationum intestinalium exercitu comprehendunt.

De morborum nominibus equidem minus essem sollicitus, nisi ista nominum mutatio artis mutationem necessario secum ferret. Nam mutato morborum biliosorum nomine in nomen phlegmasiarum, etiam mutata est curatio antibiliosa in curationem antiphlogisticam atque emetica et purgantia omnino ex arte exsularunt. Scio equidem fuisse medicos et esse, qui emeticis et purgantibus abutantur: nec tamen video, cur propter abusum nobis usus interdiceretur: nec desunt exempla, recentissimo etiam tempore, aegrotantium, qui methodi evacuantis neglectae poenas luerunt. Nam

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Recentiorum pervolventes libros observationum medicinalium, crebro incidetis in casus, in quibus autopsia detexit faeces copiosas intestinorum cavo inclusas, quae si prudenti evacuantium usu in tempore fuissent eliminatae, potuisset forsitan intestinorum ex stimulo acri suscitata irritatio, phlogosis, ulceratio praepediri: quemadmodum tem-

pestiva purgatione praepediuntur feliciter aphthae in febribus, neglecta prudenti catharsi, denso agmine atque iterata vice pullulantes, quae prudentiorum est et peritorum medicorum in hac regione animadversio, repetita saepius.

Verum forsitan ea vobis opinio nasci posset, differre pro natura locorum genera medicinae et aliud opus esse nobis, aliud in Gallia. Et profecto huic opinioni suffragatur experientia. Nam uti Gallorum medicina ab omni tempore magis antiphlogistica fuit, ita medicorum nostrorum magis antigastrica. An igitur in Gallia nullus est remediis evacuantibus, nullus vomitoriis, aut purgantibus locus? Ad hanc quaestionem pro me respondeat Andrallius, peritissimus inter Parisienses medicus clinicus, quem virum eo lubentius audio, quoniam animo a praejudicatis opinionibus libero, hanc salutarem professionem exercet. Is, postquam morborum febrilium in corporibus mortuorum vestigia ostenderat, prudenter monet, quae in cadavere reperiuntur laesiones solas non indicare methodum medendi, verum hanc praeterea petendam esse tam a caussis, quae morbum fecerant, quam a conditione nervorum, quae morbum antecesserat earumque definiverat formam et magnitudinem, aut etiam morbi occasione erat nata. Quapropter eventum exposuit methodi et passivae et evacuantis et antiphlogisticae et tonicae. Circa methodum evacuantem; nam de reliquis hoc loco di-

cere nil attinet; circa evacuantem igitur methodum adnotavit, fuisse aegros, qui hanc methodum sibi valdopere proficuam et salubrem experti sunt.

Prior casus est status gastrici sine febre intra 24 horas unico vomitorio indeque mota cholera artificiali penitus sublati. Secundus aeger huic similis, praeterquam quod aliquantisper febricitabat, simili genere medicinae curatus est. Nec dispar est tertius, quem pulvis ex ipecacuanh. rad. simul et morbo gastrico et febre liberavit. Vomitorio sanatus est quartus et quintus. Sextus tumorem habuit mobilem in vicinia umbilici, ex faecibus hoc loco accumulatis, quas faeces indeque natum tumorem abstulit clysma ex sennae foliis et sulphate sodae paratum iteratoque injectum: tandem emeticum saburrae gastricae reliquias abstersit. Tales tumores stercorales interdum scirrhosos fuisse et habitos et dictos eosque scirrhos simili curatione evanuisse, notat auctor. Aegro septimo pleura sinistra doluit, alvus fluxit, emetico ex ipecuanh. gr. xii. et tart. emet. gr. i. dato vomuit ingentem bilis flavae et muci crassi copiam, quo facto substitit alvus, siluit dolor. Obfert hic casus exemplum pleuritidis biliosae Stollii et diarrhoeae vomitorio sanatae, uti bene vidit Andrallius. Itaque juvabit hanc historiam cum Stollianis pleuritidis biliosae historiis comparasse et in memoriam revocasse Coi Senis observationem: diarrhocam lon-

gam vomitu spontaneo solvi: qua observatione hanc diarrhoeae biliosae gastricae curationem ipsius naturae artificis exemplo commendatam videmus.

Alia diarrhoeae emetico solutae exempla sequuntur, partim febre expertia, partim febre stipata. In horum primo alvi fluxus vomitu, febris sudore judicata est: erat autem tempestas vernalis et morbus, ut videtur, ex gastrico et catarrhali genere complicatus. In altero: erat tempestas autumnalis et praecesserat error in victu gravis; post vomitum et diarrhoea simul et febris desiit. In tertio diarrhoeam et febrem sublatas demum, largi sudores secuti sunt. In quarto febris gastrica, alvo pertinaciter adstricta, emeto-cathartico exhibito, derepente siluit. (Minus tuta haec curandi ratio est, alvo dura emeticum dare; tutior, quam STOLLIUS laudat, qua prius enemate alvo prospicitur, quam emesis moveatur, ne per emeticum motus antiperistalticus et ileus fiat: quamque in eo, qui sequitur, casu quinto video adhibitam.) In quinto casu purgatis intestinis a febre quidem immunis aeger fuit, a morbo gastrico non fuit: hunc demum vomitorium sustulit. Promptum levamen secutum est emeto-catharsin in aegro sexto brevique post perfecta ex febre gastrica graviori convalescentia. Erat mensis Augustus. Suppar supparis medelae eventus fuit in aegro septimo et octavo. Minus promptum levamen erat in aegro nono, qui mense Aprilis aegrotabat eodemque die et topica per hirudi-

nes depletione curatus est et evacuatione per emeticum et sanatus tandem ptisana demulcente. Eadem complicata, composita medicina usus est aeger decimus, eodem eventu eodemque tempore. Vomitorio et demulcentibus sanatus est aeger undecimus et quidem mense Octobri. In casu duodecimo ex levi ipecacuanhae dosi et vomuit aeger et sudavit et convaluit. In decimo tertio vomitorium non ventriculum, sed alvum movit nihilque morbum levassse videtur. In decimo quarto morbum potius exacerbavit, quem hirudines pectori admotae sanarunt. Verum lingua ad apicem et margines rubebat, multum dolebat venter, tussis frequens aegrum molestabat ac tempus erat vernum. Breve tantummodo, nec constans emeticum attulerat levamen. In decimo quinto post vomitorium exacerbatio, post hirudines admotas sudores largi, apyrexia, convalescentia: et hic aliquod, sed breve fuit et infidum a vomitorio levamen. In decimo sexto purgatione tamarindinata incassum data, profuit polygala et aeger alvo fluente inque cute facta eruptione sudaminum et miliarium, convaluit.

Habetis exempla curationis evacuantis, quae pluribus aegris ex febre gastrica decumbentibus manifesto salutaris fuit: quae docent, hanc methodum, hoc quod vivimus tempore, in Gallia profuisse; quae cum ita sint, de priscae hujus medicinae salubritate dubium nullum superesse poterit.

Quaeretis forsitan, quid caussae sit, cur circa

hujus medicinae in febribus biliosis gastricis usum tanta sit medicorum dissensio, ut laudetur ab his, culpetur ab illis. Caussam hanc partim positam esse credo in morbis, quibus sanandis adhibebatur, partim in medicis, qui adhibebant. Morbi sint oportet ii ipsi, in quibus hanc methodum utilem experti sunt antiquiores, febres videlicet biliosae, gastricae veri nominis, quae aestate praesertim primoque autumno visuntur; nec inflammationes ventriculi et intestinorum cum hisce confundantur, nec aliae incidant harum concitandarum opportunitates. Jam iterum mecum pervolvite aliorum, quos citavi observationes. Prior Bouillaudii aeger cum esset plethoricus saepiusque ex naribus sanguinem profudisset, vinum calidum sumpserat. Huic neque initio sanguis de vena detractus est, neque postea, quae intestinis inerant sordes eliminatae sunt: tuncque factum est, ut inflammatio accenderetur impura, erysipelacea, gangraenosa, cujus manifestas notas venter cum in vivo homine ostendebat, tum in mortuo, una cum faecibus, quae concitaverant ipsam, indagaret. Altera observatio et quae sequuntur reliquae aliorsum pertinent, ut dixi antea, atque aut hyeme aut vere primo inciderant, tempore scilicet a febrium aestivarum natalibus remoto. Una tantum (est observatio quinta; apud auctorem octava) facta est aestate et quidem mense Junio, verum quo tempore Nosocomium ingressa est aegra, morbus typhi symptoma-

ta obtulit: pariterque sexta: haec tamen cum gastrica complicatione, quae etiam in septima fuit, quamquam in harum nulla purgantium praescriptorum mentionem factam esse legimus. Altera series observationum, quibus methodi antiphlogisticae salubritas probatur, ne unum quidem, quod scio, febris biliosae gastricae purae ac simplicis casum complectitur. Prior ex carnium putrescentium esu suscitatae febris fuit, quam vomitu et alvi fluxu ejecisse natura videtur. Initio medicum non accersivit aeger, die morbi octavo hirudines viginti quinque epigastrio admotae sunt, quae utrum profuerint, dicere vix audeo. Nam vespere hujus diei pulsus minimus erat, ut fere deletus videretur, vultus tristis, languidus, oculi cavi, circulo livido circumdati: quae symptomata infaustum eventum praenotare credidisses et ipse credidit auctor. Alvus fluere perrexit brevique post convalescere aeger coepit. Altera observatio est enteritidis impurae, venaesectione sublatae huicque similis tertia. Quarta amenorrhoeae et morbi catarrhalis; quinta juvenis ex typho abdominali, qui dicitur, decumbentis; ita ut horum aegrotantium nemo symptomata habuerit febris biliosae gastricae simplicis. Caeterum notetis velim, inter hujus febris symptomata memorari ab auctore faucium ac linguae ruborem, qui tamen hujus febris signum non est, verum potius morbi intestinorum inflammatorii; siquidem, ne antiquiores comme-

morem, ipse recentissimus auctor ANDRALLIUS linguae non ruborem, sed pallorem inter symptomata status gastrici recenset, ruborem vero ad symptomata inflammationis harum partium refert. Denique desunt quaedam tum ad caussas, tum ad signa morbi pertinentia. Ex priori genere sunt: tempestas aëris annique constitutio; ex altero: signa urinarum, accuratior tum coloris in vultu, tum materiae per vomitum et alvum dejectae descriptio, ita ut si conferatis historias aegrotantium cum iis, quas STOLLIUS consignavit, plura quaeratis signa ad pleniorem morbi cognitionem pernecessaria, neque injustam esse fateamini suspicionem, nequaquam eundem ab utroque auctore morbum fuisse indicatum: quam suspicionem augebit curatio, qua uterque usus est. Nam si STOLLIO profuerint evacuantia, BOUILLAUDIO contra antiphlogistica auxilia, vero similior conjectura est, quemque alium morbum curasse, quam adeo dispari modo morbos similes prorsus fuisse sanatos.

Quod autem crebro morbus inflammatorius cum morbo gastrico jungatur, ipse fassus est STOLLIUS, qui utrasque et simplices morbos gastricos et cum inflammatione complicatos notavit. Illud vero vel accidit, ubi alterum anni tempus in alterum transeat, vel ubi morbus gastricus corpus offendat plethoricum, vel ubi prava medicatio, sive neglecta tempestiva corporis purgatio intestina medicinis calidioribus ipsisve sordibus acrioribus neque eme-

si, nec catharsi subductis inflammaverint.

Haec si ad singulas auctorum observationes transferatis, minus ardua res erit, tantas inter medicos de febrium gastricarum natura et medendi ratione componere lites et suum cuique methodo et locum adsignare et tempus.

DE FEBRE PUTRIDA.

De febre putrida multum et pridem et nuper inter medicos litigatum est: quibus si placuisset ante definire, quid hoc nomine intellexerint minus forsitan litigassent. *Omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.* Huic Tullii praecepto obtemperantes, ante omnia inquiramus, quem singuli tribuerint huic febris putridae denominationi sensum. Ex veterum sententia, quemadmodum recte docuit Burserius, illae hoc nomine febres dicebantur, quae graviora sibi adsciscunt symptomata longioreque tempore producuntur, neque desinunt, nisi coctione humorum, ut vocant purulenta; utpote quae a sanguine putrescente et praeter naturam effervescente oriri putabantur. Praecipua, quibus in hanc sententiam adducerentur, argumenta erant potissimum duo: calor nempe peculiaris, quem in

hac febre laborantibus manu percipiebant et sanguis e vena missus. Ille manum admotam acri quadam punctione mordebat, quae juxta ipsos nonnisi a putredine esse poterat. Hic concrescebat illico, et crassa, flava, aut albida et firma crusta ut plurimum obtegebatur. Talem sanguinem putridum, corruptum, aut purulentum dicebant. Intellexerunt igitur hoc nomine nequaquam febrem inflammatoriae oppositam, verum hanc ipsam gradu summo, id quod etiam indicavit BOERHAAVIUS: *Aphor.* 730. monens, synochum putrem deberi caussis inflammatione simplici majoribus; atque ex nostri PETRI FORESTI casibus pluribus, quibus hoc febris nomen inscribitur, apparet.

Deinceps ab hac veterum hujus febris notione deflexerunt medici eamque putridam appellaverunt in qua sanguinis resolutus esset et putridus status. Qualem sibi hunc statum finxerint, omnium optime, me judice, interpretatus est Jo. HUXHAM, qui ante seculum Plymuthi, urbis Angliae maritimae, nautis crebro artem fecit salutarem. Is Capite v. T. II. *Opp. Physico-Medicor.* quod *de sanguinis resoluto et putrido statu* inscribitur: » praeter hos, inquit, tertius sanguinis reperitur status, caeteris multo periculosior; illum statum puto, qui ad dissolutionem et putredinem absque intermedio aliquo magis tendit. Hic casus manifeste apparet in quibusdam scorbuticis, ubi sine ullo alio singulari et evidenti morbo praegresso (nisi fortasse genere quo-

dam lassitudinis et languoris) homines subito per summam totius corporis cutem eruptionem macularum violacei, lividi, aut quoque nigri et caerulei coloris experiuntur et mox profusa periculosaque interdum, immo mortifera corripiuntur haemorrhagia, cum se ullo morbo laborare, illi ipsi, aut alii vix credunt. — Quorum hominum sanguis, si detractus fuit, eam ob rationem, ut ulterior haemorrhagiae avertatur progressus, prouti credebatur, semper quasi ut merum coagulum apparet, cum non, ut consueto modo fieri solet, in crassamentum et serum separetur, sed aequalis semicoagulata remaneat massa, quae plerumque lividi, aut obscurioris consueto est coloris et licet nonnumquam diu florida satis perstet, semper tamen citius putrescit. Hoc quoque notatu dignum esse videtur, talium hominum spiritum admodum frequenter ante eruptionem magis foetere eorumque urinam saepius pessime olere." Hisce addit Huxhamus, venenis etiam tum aquae Laurocerasi, tum serpentum et viperarum morsu similiter solvi sanguinem idemque fieri in nonnullis ex variolarum contagio ac tandem historiam refert sequentem, quae hunc sanguinis statum tanquam exemplo perspicuo proponit.

» Oppidi cujusdam vicini egregius chirurgus gracili et tenera admodum corporis constitutione, sed negotiis et exercitationibus constanter agitatus febribusque saepius et rheumatismis scorbuticis af-

fectus, ob refrigerium caeteraque mense Octobri anni 1741. lentae febris quodam genere cum levi rigore, crebris caloribus, pulsu celeri et debili, virium et appetitus defectu, magno pectoris pondere et quadam spiritus trahendi difficultate corripiebatur. Nihilominus per quatuor, vel quinque dies post hunc impetum in negotiis suis fungendis, equo vehendo sequè ipsum defatigando, pergebat. Viri cujusdam nobilis in domo, ubi aegrotus meus commorabatur, ipsum inveniebam; et cum ego illum, ut supra memoravi, deprehenderem, ut sui ipsius tempestivam et justam haberet curam, serio admonebam. Duabus diebus post, cum virum quendam nobilem in vicinia visitaret, subito animi deliquio insigni correptus decidit: ipsum erigentes varias lividas et violacei coloris maculas in brachiis colloque ejus observabant. Non sine maxima difficultate transferebatur domum; licet enim tantum duo aut tria distaret milliaria, in itinere tamen crebrius animo delinquébatur, languor cum dolore aderat summus, praecordia ejus opprimebantur maxime et in perpetuum suspirabat; ejus spiritus nunc intolerabiliter olebat et ex gingivis materia cruenta foetida continuo effluebat atque macularum lividarum, violacearum et nigrarum in summa cute non tantum ejus corporis et trunci, sed et femorum apparebant multa millia.

Sanguis ex brachio ad duodecim circiter uncias ipsi detrahebatur, ast hoc nullum afferebat leva-

men: pectoris oppressio, suspiria, animi deliquia et anxietas tam male, quam antea pergebant, quid? quod multum increscebant; violens itaque haemorrhagia ex ejus naribus prorumpebat cumque haec ex utrisque orificiis continuaret, iterum sanguis ad decem circiter uncias duodecim horis post primam detractionem emittebatur; neque hoc ipsi ullum afferebat solatium, sed ejus debilitatem insigniter augebat et anxietas, irrequies et oppressio, ut alias, sine ullo etiam somno continuabant. Nunc non solum ex ejus gingivis et naribus profluebat sanguis, sed tussi quoque eum rejiciebat. Sanguinis quidem profluvium ex naribus aliquo modo cessabat, sed mirum in modum ex ejus gingivis augebatur. Simili nunc, licet lento modo, ex ejus altera oculorum caruncula guttatim profluebat et pustulae quaedam linguae ac partis interioris labiorum disruptae copiosam cruentam tenuemque materiam emittebant.

Haemorrhagia aliquo modo cohibita, dysenteria cruenta cum severis excitabatur torminibus et aeger ingenti animi deliquio semperque irrequietus magna afficiebatur febre: ejus pulsus per sex, aut septem intervalla intermittebat et tunc iterum agitabatur celerrime; simili modo perpetuo movebatur tremore et subsultu. Per omne hoc temporis spatium ex una vel altera parte continuabat haemorrhagia et alio loco cohibita in alio mox erumpebat; ita ut ejus urina admodum obscura, immo

fere nigra, sanguine nunc tincta esse videretur. Mox post alteram sanguinis detractionem ego vocatus ad eum currebam. Ratione descripta ipsum incredibili anxietate oppressum, attamen a deliriis liberum inveniebam, licet varias per dies et noctes ne ullo quidem somno esset refectus: lingua ejus tota erat nigra et spiritum adeo intolerabiliter foetentem emittebat, ut quoque spatio ejus remoto valde molestus esset; atque ejus dejectiones adeo terribilem foetorem nauseosum spargebant, ut ipsa ejus ministra, quae illas removere valebat, vomitu et animi deliquio afficeretur.

Sanguinis nullam (neque etiam primum) emissam partem in crassamentum et serum, uti alias fieri solet, fuisse separatam, reperiebam, licet plures per horas in quiete esset relictus primum emissus sanguis; sed semi quasi concretus colorem in superficio retinebat lividum caerulescentem: levissimo attactu dividebatur facillime et purulentae saniei, quae simul pulverem in fundo fuliginosum offerebat, quam sanguini erat similior. Sanguinis haec profluvia inprimis ex lingua, labiis et gingivis cum perpetuo tenuis cruenti ichoris stillicidio ex naribus semper pergebant; ita ut aeger a tremore tendinumque subsultu nunquam cessantibus atque perpetuo fere animi deliquio summe debilitaretur.

Quid in tam tristi casu erat agendum? num ipsi calida alexipharmaca, volatilia, cardiaca et vesicatoria profuissent, prouti nonnulli ejus summam de-

bilitatem, animi deliquia, pectoris oppressionem, tremores caeteraque considerantes, putare potuissent? Sed nonne haec fuissent deleteria certissima? Nonne illa ipsum certissime occidissent, cum ista acrimoniae stimulanti addita febrem adauxissent atque crasin sanguinis jam fere prorsus dissoluti et in cruoris putridi genus redacti, magis destruxissent.

Ego vero haec perpendens atque insignem corticis Peruviani utilitatem in avertendo et cohibendo gangraenae progressu ex repetitis experimentis saepius cognoscens, post parvam rhabarbari quantitatem praemissam, illum parva in dosi cum vitrioli elixirio frequentius aegroto exhibui. Praeterea cinnamomi aquam cum rosarum tinctura satis acidam redditam atque ita quoque decoctum ex corticibus aurantiorum Hispanensium, rosis rubris, cinnamomo, admista pauca terra japonica paratum ac bene acidulatum bibebat: vinum clarificatum et portulagense rubrum, cum parte aquae dimidia grati saporis caussa hauriebat. Cum cortex ipsi bene conveniret, ejus usu pergebam et quantitatem ejus auctam aliqua cum parte confectionis Fracastorii sine melle dabam, ut fluxum dysentericum cohiberem; nihilo tamen minus parvam interdum rhabarbari dosin interponebam, ut cruentam, biliosam, aut saniosam materiem in intestinis fortasse haerentem, vel ad illa affluentem removerem. Tempore intermedio ut ipsum oryza, pana-

tella, sagu atque gelatina cornu cervi bene acidulata et pane tosto ac in vino clarificato, vel vino rubro Portugalensi macerato crebrius reficerent, jubebam. Atque ut fomenta ex aromatibus et adstringentibus parata ac in vino rubro cocta toti abdomini frequenter adplicarentur, imperabam.

Hac methodo indesinenter continuata miser iste aegrotus, Deo juvante, ex statu universalis quasi putredinis ereptus optime restituebatur: praeter id, quod per insigne temporis spatium, post febrim prorsus abactam, gravior aliqua superesset debilitas; et tunc quoque cum ambulare valeret, levissima data occasione ex ejus naribus haemorrhagiae redirent, ejus gingivae sanguinem lenissima frictione funderent, ejusque spiritus diu satis esset infestus. Corticis autem Peruviani, elixirii vitrioli caeterorumque usu continuato cuncta haec prorsus cessabant: attamen femora et pedes multo diutius tumore afficiebantur insigniore atque caro ejus per totum corpus adeo mollis, tenera et irritabilis remanebat, ut attactum vix ferre posset levissimum. Purgantia rhabarbarina, lenia stomachica, chalybeata, elixirium vitrioli, aquae pyrmontanae, cum convenientibus diureticis et moderatus corporis motus tandem omnia ista removebant symptomata; atque duobus aut tribus circiter mensibus bonum sanitatis recuperabat statum, quo adhuc gaudet."

Habetis exemplar febris putridae sporadicae ei-

que adcommodatae curationis per vinum, corticem Peruvianum et acida mineralia.

Contagiosae exemplar est in ea febre, quam A°. 1528. in Italia primum adparuisse scribit Hieron. Fracastorius quaque Andream Naugerium interiisse refert. » Contagiosa est haec febris (sunt illius verba, morbum describentis) sed non celeriter, nec fomite et ad distans, sed tantum per tractationem infirmi: per initia autem quum febres omnes pestilentes placidae sint et mites, tum haec adeo placide invadit, ut vix admittere medicum aegri velint, unde et medicorum multum plurimum decepti sunt, expectantes resolutionem morbi paulo post, nec quicquam contra parantes: mox vero signa malignae febris aperiebantur, nam quanquam calor mitis pro natura ejusmodi febrium sentiebatur, interne tamen perturbatio quaedam percipiebatur, tum et fractio in toto corpore, lassitudoque more fatigati: decubitus erat supinus, caput gravescebat, sensus hebetes erant et mens magna ex parte, post 4, aut 7 diem non constabat, oculi rubescebant, verba multa dicebantur; urinae primum exalbidae ut plurimum cernebantur, plenae tamen, mox rubentes et confusae, aut similes vino granatorum: pulsus rarus et humilis, qualem diximus: excrementa corrupta, foetentia: circa quartum et septimum in brachiis, dorso, et pectore maculae rubentes, saepe et puniceae erumpebant, puncturis

pulicum similes, saepe majores, imitatae lenticulatas, unde et nomen inditum est: sitis autem aut nulla, aut parva aderat, sordescebat tamen lingua; somnolentia quibusdam aderat, quibusdam et vigiliae, interdum in eodem utrumque per vices: status aliis ad septimum, aliis ad quartum decimum, aliis et ultra: urina quibusdam detinebatur, quod pessimum signum erat. Ea febre mulieres paucae, senes paucissimi, judaei fere nulli deperiere, juvenes et pueri multi et ii quidem nobiles, contrario modo ac pestilentes verae consuevere, quae quum vulgus praecipue capiant, tum hae febres maxime in nobiles grassari visae sunt. Perituros sua signa praecedebant, sicuti et evasuros: mala erant, si statim aeger virtute defici se sensisset, si assumpto levi pharmaco ingens alvi dejectio secuta fuisset, si facta crisi non accessisset allevatio; nam vidimus, quibus librae tres sanguinis erupissent e naribus, paulo post tamen obiisse: malum item, si urinae detinebantur, si lenticulae delituissent, si aegre erupissent, si lividae fuissent et valde puniceae: quod si omnia aut plura ex his accessissent, certissima sequebatur mors; evasio vero si contraria aut omnia, aut plura apparuissent."

Aliud contagiosae, nec tamen adeo simplicis exemplar est in febre carceraria, aut nosocomiali, quam egregie descripsit Jo. Pringle in ejus *Observations on the diseases of the Army. The third Edition enlarged*, Lond. 1761. Part. III. cap. 7.

Oritur haec febris ex aëre, magno hominum numero corrupto in navibus, castris, carceribus, nosocomiis. Incipit autem a caloribus frigoribusque alternis, languore artuum, anorexia somnisque turbatis, cum levi capitis dolore. Pulsus initio paullo crebrior; lingua alba. In hoc statu valetudinario interdum aëris mutatio, interdum sudor morbum avertit. Quodsi larga fiat sanguinis detractio, non tantum caput non levatur, verum contra pulsus continuo decrescit atque oboritur delirium. Sanguis varius est, vulgo vix mutatus, pessimum genus est, ubi crassamentum solutum est, quod nonnisi postquam aliquot dies perstiterit morbus, accedit tumque signum est gravis putrefactionis: urina raro magnam febrem denotat multumque variat. Sub regimine calidiori alvus stricta, sub frigido fluens, in ultimo stadio colliquativa, putrida, cruenta, gangraenosa. Cutis ardor, aut calor mordax, siccus: sique sudor erumpat, is foetidus est, interdum ipsi aegro molestus. Lingua plerumque sicca, nigra, sulcata. Halitus oris foetidus, dentes nigra fuligine tincti. Non semper delirium, semper vero stupor est. Facies tristis, alienata factisque evacuationibus largis morboque provectiori collapsa, oculis semiapertis; vox summe debilis magnaque jam ab initio imbecillitas mentisque abjectio. Pulsus quo magis decrescit, eo increscunt magis delirium et tremor aegrique primum hebetiores ad auditum, deinde surdi prorsus fiunt. Hoc morbi

tempore appetunt aegri cardiaca, praesertim vinum: quod etiam multum prodest, nisi delirium acutum cum subsultu tendinum incidat. Sunt certae quaedam maculae, quibus vulgo, licet non semper haec febris stipatur. Hae verae sunt petechiae, inprimis in pectore et dorso, minus alibi conspicuae atque nunc quarto aut quinto, nunc demum decimo quinto die comparentes, quae quo propius a purpureo colore absunt, eo magis sunt ominosae: interdum etiam vibices observantur magis adhuc timendae.

Febris isthaec, utut ex continuis, vulgo exacerbationes habet nocturnas remissionesque diurnas, cum sudoribus topicis ac protracta in formam hecticam remittentem, aut intermittentem mutari apta est. Variae est durationis: plerumque erat a 14 ad 20 dies: nonnulli post quatuor demum hebdomades aut occumbebant, aut sanabantur. Si febris longior, in abscessus parotidum aut glandularum axillarium terminatur aut abscessum quendam internum. Convalescentes diu queruntur de dolore lumborum, quietis defectu, magna capitis vertigine et tinnitu aurium. Ubi aër est in summo gradu malignitatis, decursus morbi adeo celer est, ut intra sex aut septem dies sive in mortem, sive in sanitatem transeat.

Sunt leviores morbi gradus, tantummodo languore, aliquo capitis dolore, lingua subalbida, anorexia aliisque symptomatibus febrilibus, minus no-

tabilibus dignoscendi, immo casum profert auctor parotidum tumentium, sine ulla alia valetudinis laesione, quibus tumoribus, cum aeger caussae ignarus, opposuisset cataplasmata discutientia, subsidentibus, continuo febre maligna prehensus est.

Laeta signa sunt: urina turbida, declinante morbo, levis sudor, cutis mollis, lingua humida, diaphoresis alvum biliosam secuta: pulsus vino et cardiacis datis surgens, decrescentibus stupore, tremore aliisque nervorum affectibus: non multum delirium, nec magna virium imbecillitas; surditas. Sedimentum in urinis, sine aliis bonis signis non fida est convalescentiae nota ac nonnulli sine eadem convaluerunt. Tristia sunt: subsultus tendinum, vocis mutatio, grave delirium; faeces involuntariae, frigus extremorum, lingua tremula, caecitas, difficilis deglutitio caeteraque, aliis etiam febribus communia, quae humorum corruptelam cerebrique et nervorum turbas, febrium protractarum communes sequelas, testantur.

Decem eorum, quos febris nosocomialis occidit, corpora reclusa sunt. Horum in aliis omnia cava, in aliis aut solius cranii, aut solius abdominis viscera detecta sunt. In uno eorum, qui tamen nonnisi biduum in Nosocomio fuit cujusque morbus igitur prius observari non potuit, in cerebri ventriculis tres puris unciae repertae sunt omnisque tam corticalis, quam medullaris cerebri substantia praeter modum laxa erat et mollis: ac ali-

qua similis materiae portio in superiore parte cerebelli inventa est; quamvis hic aeger cum quodam stupore et surditate usque ad eam noctem, qua obiit, sensus habuerit adeo integros, ut accurate ad ea, quae quaerebantur, responderet: nec nisi brevi ante mortem musculi in facie convellerentur. Ex duobus aliis, qui ex hac febre obierant, alter cerebrum, alter cerebellum habuit suppuratum. Nec tamen hae suppurationes erant in omnibus. Nam alter, qui eodem tempore mortuus est, nec pauciores numero dies aegrotaverat cumque iisdem symptomatibus, praeterquam urinam pallidam, abscessum habuit neque in cerebro, neque in cerebello. In aliis duobus res intra inflammationem substantiae corticalis substitit; alii cerebrum laxum habuerunt et serum tenue in ventriculis. Ex cadaverum sectionibus effici PRINGLIUS existimat, morbum terminari in gangraenescentiam (praesertim intestinorum) abscessum cerebri ichorosum, et sanguinis corruptelam.

In curanda hac febre tria distinguenda esse tempora monet. In prima periodo praeter aërem purum, amotionem aegri ex loco infectionis, aut ventilationem, interdum vomitorium sique plethoricus aeger, aliquam sanguinis depletionem, deinde theriacum cum sale c. cervi, lotiones ex aceto et aqua calidis adhibuit, eo consilio, ut diaphoresin promoveat, quam praecipuam curationis partem habet.

In altera periodo, ubi febris manifesta, pulsus creber et plenus, sanguis detrahendus est, si prius neglectum fuisset: universe tamen largae detractiones funestae fuere deprimendo pulsum ac provocando delirium: immo nec moderata detractio repetenda sine cautione, neque ipsae hirudines admovendae. Plures convaluere sanguine non detracto, pauci qui multum sanguinis perdiderant. Hoc tempore, spiritus Mindereri, pulv. contrayervae cum nitro, camphora, potiones acidulatae ab auctore commendantur.

In tertia periodo, pulsu decrescente, stupore, magno delirio, petechiis notabili, vires sustentare serpentaria primum, postea praesertim Peruviano cortice cum hac ipsa, subinde cum sale c. cervi, praecipue vino uti praecipit hocque aliis cardiacis anteponit; nisi delirium, oculi, vox phrenitidem prodant.

Si transeat in febrem intermittentem, ventre siquidem opus sit, evacuato, a cortice auxilium petendum est.

An haec febris putrida simplex? An cum statu nervoso complicata? Ad hanc quaestionem respondebitis, postquam de febre nervosa diximus.

Quemadmodum in febre carceraria aut nosocomiali Pringlii cum statu nervoso putrida complicata habetur, sic in ea, quam Bangius descripsit, cum hac febris bilioso-gastrica juncta est, qualis etiam ea fuit, quae describitur ab Hippocrate *Epidemior* III;

ea vero, cujus mentionem fecit nostras DE MAN, cum febre intermittente erat conjuncta, quales in nostris regionibus plerique sunt morbi febriles.

Quaenam sint symptomata huic febri peculiaria, si quaeratis, respondeo, ab auctoribus ea commemorari, quae virium prostrationem sanguinisque resolutionem indicant: cujus generis praesertim sunt motus musculorum debilitas, petechiae, vibices, haemorrhagiae passivae, foetor excrementorum, gangraenescentiae, quibus denique addere oportet parotidum tumores (*).

Ab auctoribus Francicis aequalibus plures describuntur ac referuntur sub nomine febris putridae casus, qui hisce notis characteristicis carent. Citabimus exempli loco casus commemoratos a Celeb. BOUILLAUD. Is enim plures protulit sub nomine febrium putridarum, in quibus ea desideramus symptomata, quae a medicis observatoribus harum febrium generi adscribi solebant. Neque petechiae memorantur, aut vibices, neque haemorrhagiae, nec parotides; quapropter hos casus ad febres gastricas aut intestinales, mucosas, easque, quas alii enteritides folliculosas, alii typhum abdominalem adpelverunt, relegandos censeo.

(*) Eadem etiam notavit, ut vidimus, FRACASTORIUS in ea, quam descripsit Epidemia. Cf. PINEL *Nos. Phil. I.* pag. 138 sq. qui tamen ipse in *Med. Clinic.* ad haec symptomata non semper attendisse videtur.

Exstat apud MORGAGNUM historia feminae, ex febre petechiali mortuae (Epist. IV. art. 9.) in cujus cadavere cutis ferme tota purpureis, ad dorsum praesertim et in cunctis artubus maculis rubescebat; ventre aperto, ventriculus parvus, intestina et renes florido sanguine nonnihil turgentia, flaccidus lien, fellis vesicula cum pauca bile reperiebantur. In thorace pulmones pleurae nusquam adhaerentes, turgidi, nigris maculis distincti, a tergo sanguine rubebant. Cordis ventriculus dexter exiguam polyposam concretionem habebat. Caeterum hic et ubique sanguis erat valde fluidus. Cranio exsecto, dum cerebrum a spinali medulla dividebatur, crassius emanavit serum. Circa tenuem meningem gelatinosa erat concretio: in ventriculis seri paululum. Cerebrum ipsum nonnihil flaccidum.

STOLLII cadaverum Sectiones VIII et XII. eodem spectant. In altero aegro omentum leviter inflammatum, intestina tenuia partim profunde rubra, partim ex rubro livida inque iis maculae petechiales atque indicia inflammationis gangraenosae. In altero omentum corruptum sphacelatumque magna ex parte: intestina vero hinc inde partim inflammata, partim gangraenosa. Ventriculi interior membrana, praecipue versus pylorum maculis rubris lenticularibus totidem petechiis distincta hic inde leviter livebat. Glandulae mesentericae solito majores erant et grumos sanguinis referebant.

Itaque variae fuere variarum partium inflammationes praecipue gangraenosae ac sanguinis status fluidus, quem sectiones monstraverunt dumque in febre nosocomiali PRINGLII cerebrum aut cerebellum in primis morbo tacta, in STOLLII aegris abdominis viscera magis aegra fuerunt; in VALSALVAE casu in pulmones morbi vis se conjecit, quamvis nec cerebrum ejusque meninges integrae fuerint.

Nuper pericula capta sunt a medicis Francicis GASPARD et MAGENDIE, quibus constitit, materiem purulentam, ichorosam, putridam in venas injectam symptomata proferre similia iis, quae in febribus putridis observantur: quae experimenta, probabilem reddunt eorum conjecturam, qui febrem putridam a sanguinis corruptela repetunt.

Jam si ea, quae de his febribus monuimus, recolamus, sequitur ipsarum characterem positum esse in adynamia a sanguinis dyscrasia oriunda. Symptomata pathognomonica esse virium tum nervearum, tum praesertim muscularium imbecillitatem, prostrationem, petechias, vibices, haemorrhagias passivas, parotidum tumores, symptomaticos ut plurimum: remedia vero efficacissima ea, quae antiseptica dicuntur: serpentariam, camphoram, praecipue vero vinum, cort. Peruvianum et acida mineralia. Denique in cadaveribus varias repertas esse variorum viscerum inflammationes, impuras facileque gangraenescentes. Quae cum ita sint, firma stat in-

concussaque opinio veterum medicorum, in febre putrida ex quacunque causa: sporadica, epidemica, contagiosa sanguinis crasin ita mutatam esse, ut in gangraenescentiam tendat ejusque stimulo heterogeneo partibusque inimico phlogoses concitari in variis locis: abdominis, pectoris, capitis, quae sponte sua in gangraenam inclinant ac sphacelum.

DE FEBRE MUCOSA, SIVE PITUITOSA.

Genus tertium febrium remittentium gastricarum a SELLIO in pyretologia methodica adpellatur *remittens pituitosa*, atque ibi loci describitur his verbis: » *constitutio aëris frigida, mala atque insalubris diaeta sordidumque vitae regimen. Alimentorum inopia atque inedia. Lingua glutinosa, substantia alba, quasi lardo obducta. Nonnumquam os et fauces hac sorditie mucosa obducuntur. Sanguis glutinosa crusta obtectus. Cruor dissolutus. Febris lenta cum pulsu debili, intermittente, urina tenuis, limpida.*

Habetis definitionem hujus febris historicam, ductam a MICHAËLE SARCONE, morborum, qui anno 1764. Neapoli regnarunt, descriptore. Morbum praecesserant anni insalubritas eamque secuta annonae caritas, qua urgente plebs immunda et mendica, relictis pagis et vicis et ruri migravit in ea-

que oberrans numerosa fame, inedia, inanitione periit; hic fons et fomes contagii.

Epidemia primo vere nata, autumno extincta est. Erat febris ad speciem mitis omniaque ejus symptomata membranarum mucosarum praecipue villosae malam valetudinem accusare videbantur: hinc dolores capitis (sinuum frontalium) et pectoris (bronchiorum) et nausea et vomituritio et sensus ponderis in ventriculo et alvus fluida; hinc urina pallida mucosa; hinc meteorismus; hinc lingua, os, fauces muco tectae. Praeterea notabantur tum sanguinis dyscrasiae, tum nervorum aegrotantium signa, stadio morbi praesertim ultimo. Verum constantes maxime hujus epidemiae, hoc auctore notae erant: crusta lardacea linguae, palatum etiam et fauces opperiens, ad similitudinem earum macularum, quae in aphthis cernuntur: sudor lenis symptomaticus, quo a primo jam paroxysmo cutis, praecipue in volis manuum, collo, pectore madebat; urina aquea, pallida, limpida, aut manifesto turbida; dolor capitis vehemens, gravis, praecipue exacerbatus in calore accessionis febrilis primae aut secundae, tandem quaedam symptomatum syndrome ex languore virium, ex inordinata functionum ratione, ex conditione capitis eaque occulta in corpore mutatione, quam oculus et mens medici in solo vultu ac habitu aegrotantis pictam cernebat quaeque facilius comprehenditur observatione, quam describitur verbis. Ex salutaribus

signis erant: somnus post vigilias, haemorrhagiae narium, corpore plethorico, surditas, urinae cum sedimento, alvi profluvium, icterus eaque tempore judicii et die judicatorio facta. Pessima vero signa atque ominosa, praeter reliqua, aliis morbis communia, habebantur: singultus, meteorismus, ischuria, alvus nigra, foetida, profluvia sanguinis passiva, petechiae. Saepius tamen symptomata ad speciem mitia ac lenia magis pertimescenda erant, quam manifesto gravia ac periculosa.

In corporibus defunctorum vibices ac petechiae, etiam intestinorum, quorum cavum muco erat cinereo tectum, sub quo partes vel inflammatae vel sphacelatae comparebant; neque ventriculus ab omni erat labe immunis, vel erythematis notas, vel strias a sanguine, vel nimiam albedinem, vel ruborem tristem inque gangraenescentiam inclinantem monstrabat. Hepar non semper, nisi ex inflammatione mutatum: renes fere semper affecti; vesica in aliis alia; pulmones muco tanquam submersi, oedematosi; vasa magna concrementa habebant polyposa inque iis, qui ex capite laboraverant, serum plurimum in cranii cavo et cerebri ventriculis, pia meninx crassior, lympha plastica obducta.

Curatio, quam laudat Sarcone, praesertim per emetica fiebat eaque repetita post factam, siquidem opus fuisset, venaesectionem, tum per purgantia salina, denique per corticem Peruvianum atque pro

potu aegri utebantur aqua gelida cum succo limonum et saccharo; nervorumque turbis, praesertim convulsionibus supervenientibus, potissimum ab ipso eximia celebratur moschi virtus medicata.

Haec epitome est eorum, quae auctor celeberrimus circa hanc febrem epidemicam memoriae mandavit; quae comparare cum aliis aliarum epidemiarum historiis lubet, ut, quantum fieri possit, hanc nobis cognitionem perficiamus.

Ex rei autem epidemicae scriptoribus hoc consilio ante alios adire oportet epidemiae Gottingensis testes: Roederer et Wagler, quorum liber *de Morbo Mucoso* palmarius habetur. Hujus epidemiae suppares fuerunt, atque epidemiae Neapolitanae prophases. De quibus ipsum Waglerum sic audite disputantem. » Principem locum inter caussas remotiores merentur pessimi tunc temporis diaetae errores. Calamitate enim bellica pressi incolae, aerumnis obruti, copiis et lixis Gallicis, numero saltem 8000 in urbe collocatis adeo coarctabantur, ut miseram inopemque vitam colentes saepius omnem sui curam negligerent. Vescebantur quo poterant, victu aspero, tenui, farinoso, facile parabili et si ita loqui fas fit, extemporali. Proletariorum plurimi egestate ad incitas redacti, solo fere solano esculento alioque victus crassi et obstruentis genere utcunque se exsatiabant: quin honoratioribus interdum nec egregia nimis, nec consueta parabantur fercula, iis in primis mensibus,

quibus (animus meminisse calamitatum horret!) urbs copiis cincta et occlusa tenebatur. Dispensabantur militi praesidiario carnes ob salis penuriam male conditae, putrescentes, sordidae, non raro coeno conspurcatae. Nec tristem illam sortem fere universalem cives semper eluctari poterant: nisi enim esurire vellent, famem depellere carnibus corruptis cogebantur. Obscoenae et stercorosae aquae ex magnis posticulorum post singulas domos fimetis in immensos acervos fastigiatis et collectis ibidem circa fontes privatos ex fimetis volutabris, in terram sensim depluentes, fontes conspurcarunt. Nec sordes expurgare jumentorum defectu licebat. In viis publicis prope urbem disseminata equorum cadavera mephitim acuebant. Multisque adeo aër, multa jam humiditate vappidus variique generis exhalationibus immundus in pestiferum contagiorum vehiculum degeneravit. Aliae caussarum occasionalium corpus ad morbum praeparatum, facto veluti ultimo impulsu, demum prosternunt. Sunt vehementiores animi affectus: ira, terror, moeror caet. quibus morbum hactenus latentem, febris saltem expertem, subito accensum aut exasperatum aliquoties notavimus. Porro commercium cum aegrotis morbum saepenumero cum aliis communicavit. Hinc plerosque sensim ejusdem domus incolas invasit et subinde, siquis alteri decumbenti aliquamdiu adstiterat, contagium ex una domo in alteram transtulit. In Nosocomio castrensi aegrotantium

omnes ac singuli, ex quocunque morbo etiam laboraverint, morbi epidemici miasmate polluebantur et per medentium, administrorum, visentium cum aliis commercium latius indies morbus per urbem diffundebatur. Si quis forsan illa tempestate cum chronico quodam morbo, praecipue abdominali conflictaretur, diffusum miasma, tanquam fomite quodam in visceribus nato, attraxit in majorem ipsius morbi perniciem. Vulnera etiam tum recentia, tum antiqua, haustum simili virtute virus cum massa humorum communicarunt."

Ea autem erat morborum hoc tempore regnantium successio, ut febres intermittentes epidemicae primo natae sint, hae transierint in epidemicam dysenteriam, hanc rursus secutus sit morbus mucosus epidemicus. Uberior quidem muci secretio in hoc morbo observabatur, in canalem cibarium praecipue congesti. Hinc non solum ventriculi et intestinorum, tenuium inprimis faciem internam obvestit magna vis muci viscidi, spissi tenacis, aegre abstergendi, sed sub his etiam conspiciuntur folliculi muco stagnante pleni, innumeri, disseminati, in totidem capitula elevati. Saepius in conspectum veniunt istae muci lacunae in ventriculo et duodeno; rarius in reliquo tenuium tractu; raro etiam in aspera arteria et uteri vagina. Totum etiam hepatis parenchyma distincte acinosum est. Pancreas etiam non sine vitio est. Ubi haec vitia occurrunt, morbus simpliciter est mucosus. Ipsum

haud raro transire ex mucoso in gelatinosum, id est inflammatorium morbum, hunc transitum etiam in phthiseos decursu fieri mediumque inter mucosum et gelatinosum vitium esse glandularum lymphaticarum obstructionem, scirrhos viscerum internos atque ulcera aphthosa, id factum fuisse mense Februario 1761, subsequente vero aestate morbum mucosum evanuisse atque epidemiae indolem fere simpliciter lymphaticam evasisse, infantibus potissimum infestam, transiisse demum in epidemiam variolosam, ita tamen, ut in variolosorum cadaveribus eadem fere in hepate ac reliquo abdomine observata sint, quae in praegressa epidemia mucosa. Alium morbi mucosi transitum hujus sedem magis respicere ac pro more morborum abdominalium pulmones subinde in consensum trahere, quia haud raro vitium critico modo in pulmones migrat atque adeo aegros ex pulmonum farctura peripneumonico mori modo: hinc glandularum bronchialium, vel ipsius pulmonis farcturas, sputa cocta, purulenta, pulmonum scirrhos et ulcera fieri, auctores laudati notarunt.

Simplicissima morbi forma sic ab iis describitur. Desiderium ciborum ita mutatur ac minuitur, ut quidem adpetant, sed adsumpta vel degustata mox fastidiant atque post epulas nauseam et pressionem in epigastrio percipiant. Aliis quoque tempore matutino jejunus stomachus nauseam parit cum vomendi conatu. Quidam aliquamdiu leni diarrhoea

plus minus mucosa, alba, sua sponte rursus cessante, quae interdum redit per intervalla, affliguntur. Multi tussicula quadam sicca, abdominali vexantur. Aliis unum vel alterum ulcusculum aphthosum in ore aut lingua, cum febriculis, modo ephemerina, modo nocturnis, vel anomalis utcunque criticum subnascitur, dolentibus utplurimum gingivis. Quam plurimis quoque vermes ore atque alvo excluduntur, sine ullo notabili morbo praegresso. Duo inprimis vermium genera notabantur: alterum lumbricorum vulgarium (ascaris lumbricoïdes) alterum memorabile, neque antea descriptum, in coeco intestino, trichuridum nomine a Roederero dictum (trichocephalus dispar). Prior hujus morbi species per se numquam anceps vel funesta est, sed ex solo in acutum morbum transitu. Donec febris accesserit, malum perseverat, medicamentis illudens. Est enim et huic morbo perpetua lex, qua nisi facta quadam coctione, quae sine febre fieri nequit, non debellatur. Parvae febres, morbi primarii veluti adpendices, minus conspicuae, utplurimum negliguntur. Sunt istae febriculae ex abdomine symptomaticae, modo nocturnae et matutinae, modo ephemerae, anomalae, erraticae. Nisi uno impetu vitium subegerint, redeunt, donec coctione facta, crisi qualicunque morbus solvatur. Quid quod sub majori vitio frequentiores accessus ad ipsam febrem acutam evehuntur. Solvitur haec prior morbi mucosi species excretione

mucosa vel purulenta critica, cujus generis sunt: moderata diarrhoea mucosa, tussicula humida cum muci excretione, vomitus mucosus, fluor albus; catarrhus narium, vel qualiscunque alius. Efflorescunt passim in corpore pustulae, intertrigo, vel quicquam ulcusculi, aut exanthematis: exulcerantur labia oris, vel gingivae: tument, vel aphthis obsidentur os internum, lingua, gingivae. Ipsa quoque vermium excretio inter crises erat; sive ore et vomitu, sive per alvum, inter excrementa mucosa prodierint. Sequuntur sudores nocturni, matutini, praecipitatur urinae turbidae limosae sedimentum catarrhale, mucosum. Tumor quoque oedematodes circa malleolos ad hujus morbi crises potest referri, qui saepe post expulsos vermes subsidet. Subinde malum critico modo transit in icterum. Quinimmo quum in speciem mucosam acutam evehitur, ipsum febris incendium critico quasi modo contingit.

Quoties chronicus morbus febrili vicinior est, quaedam supra exposita graviora symptomata accedunt. Aucta diarrhoea, integras hebdomades, quin menses protracta, haud raro dejiciuntur inmixti sanguinis vestigia iterumque mucosa simpliciter et alba. Pondere veluti appenso languent artus, manus aeque ac pedes; nascitur tumor circa malleolos; accedit, aut intenditur tussis abdominalis, sicca; junguntur dolores imi ventris, praecipue in hypogastrio, ingravescit nausea cum vomitu post

epulas inprimis spontaneo, saporem depravatum, vappidum excipit sitis, dolent gingivae tumidulae et aphthis obsitae tandemque vera febris accenditur. Hanc quaedam e longinquo quasi praenotant, donec addita caussa quadam occasionali, ut animi pathemate, febris incendium suscitetur. Hujus duplex animadversa indoles est: benigna atque maligna. Illa sub vesperam et incidit et exacerbatur. Sequitur per noctem aestus validus, frigori praegresso proportionatus, cum intensa siti et capitis dolore, potissimum syncipitis. Ciborum appetentia prosternitur: perpetua morbi initio vomituritio est, alvo clausa: tussis abdominalis sicca, spastica. Jactatur corpus, minuuntur vires, labascit mens, depressa, morosa, inquieta. Satis constans symptoma est excoriatio oris interni, qua tumidula lingua et gingivae aphthis dolentibus obsidentur. Os cum faucibus muco conspurcatum sub febris aestu siccum, sapor oris depravatus, subinde amarulentus: lingua siccior, pallida, alba, splendens, muco crasso, albo, squalido obducta, ad radicem flava, subfusca, limbo et apice utplurimum rubris. Haud raro etiam lingua et superficies oris interna aphthis tectae summa cum aegri molestia et cruciatu utcunque exulcerantur: urina a quarto die turbida, limosa, cum sedimento mucoso, cinereo, catarrhali, albo, levi ramentoso. Quidam cum insigni ardore et difficultate urinam excernunt. Pulsus varius. Crisès plures

imperfectae, aut junctae, aut sese excipientes in quamplurimis aegris morbum profligarunt: sudores, vomitus mucosi, diarrhoea, urina hypostatica, sedimento albo, aphthae, pustulae oris, labiorum. Exitum fatalem praesagiunt dolores abdominis, tussis ingens, diarrhoea, sudores colliquativi, deliria, sopores, spiratio stertorosa.

Tanquam optima remedia celebrantur vomitoria per epicrasin, laxantia mitiora, mannata, cum demulcentibus et anodynis; praesertim, urgente diarrhoea, parvae repetitaeque rad. ipecacuanh. doses et clysteres lenientes. Pessime consulitur huic morbo antiphlogistica methodo. Febris mucosa acuta is ab auctoribus dicitur morbi gradus, in quo morbi vehementia ad deliria pertinacissima et furiosa vel sopores gravissima extollitur et fere semper, facta coctione mala, natura pessumdatur. Duplici modo aegrum jugulat. Alios inflammatio et gangraena abdominalis modo citissima, modo lentior opprimit; in aliis vero ad pulmones decumbit funestum malum. In quam plurimis utrumque vitium ita copulatur, ut peripneumonicorum mors funestum ex abdomine malum sequatur, In hac uti initio, si inflammatoria fuerit conditio, conducunt venaesectiones et caeteroquin non diversa est medendi ratio, ita in tertio stadio laudatur extr. cort. Peruviani. Generatim morbo diversimode mixto mixta etiam medicina adcommodari debebat. Victus semper sit blandus et demulcens, primis sta-

diis parcus vegetabilis, decrescente morbo, nutriens, quo exhaustum corpus reficiatur et humorum dispendium resarciatur. Multoties, inquiunt, et ad taedium usque vidimus, miserorum sortem lugentes, ex male intellectis regulis diaeteticis pessime aegrorum saluti fuisse prospectum. Ex sola enim nutrientium penuria multa convalescentium perierunt, minus stricta diaeta certissime servandi. Pauci ventriculo magis, quam medentibus obtemperantes, dum clanculum sibi prospiciebant, feliciter evaserunt."

Habetis generalem hujus epidemiae mucosae historiam, quam ut compleatis, nostrorum quoque medicorum observartiones addere juvabit, tum Corn. Alb. Kloekhof Culemburgensium medici, tum Im. Jac. van den Bosch Medici Hagani.

De Culemburgensium Epidemiae natalibus haec refert medicus Hippocraticus Kloekhof. » Autumnum sterilem anni 1740. continuo excepit inundatio insulae Batavorum, quos accedens intensum brumae frigus, annonae caritas et rara silentibus negotiis merces damnis mactabant.

Inde victus pauperculorum nostrorum praecipue e solani esculenti tuberibus, flumine aggeres perrumpente, submersis primum, dehinc frigore congelatis, mox aliquantisper dura minus tempestate regelatis, sic corruptis. Habitacula eorundem diu aquis macerata, etiam coërcito intra ripas amne, media hyeme humidissima exstiterunt. Huic pro-

phasi adscribebantur, quae ineunte Februario a. 1741. prodiere febres continuae, nullo insigni symptomate notabiles, nisi diarrhoea aquosa, torminis omnis plerumque experte, longa multaque, quae vel ab initio febris aderat sponte, vel remediis ad febrem acidulis illico provocabatur. Sed et lumbrici varii generis plurimos febricitantium infestabant; nec modo puerili sed et provectae aetati frequens verminatio fuit, ut post inundationes adsolet.

In dies a parvis his initiis gliscebat morbus, calore verno aestivoque accedente acutus ardensque evadebat et qui vix alios praeter incolarum tenuissimos adflixerat, deinceps in melioris quoque sortis cives grassabatur, sic tamen ut altioris conditionis homines ejus fere immunes manserint: mensibus Octobri et Novembri adhuc frequentissimus, Decembris principio receptui canens, post solstitium hybernum nusquam ultra deprehensus.

Erat autem morbus manifesto contagiosus, quippe qui perraro unum eorum, qui convictu communi utebantur, solum corriperet, sed in una familia cito plures et prae reliquis hos, qui multum apud aegros versari necesse habebant: nec alia apparet ratio, cur idem passim prehenderet civium mediocres, quibus salubris victus suppeditabat, praeterquam frequentius illorum cum tenuibus commercium. Talis autem erat increbrescentis atque invalescentis morbi facies.

Percipiebatur in initio horror; frigus; mox calor gradu varius, urens nonnullos, siccus plerumque, nisi laxo c. habitu, calidae potu, stragulis sudores prodirent profusi, symptomatici. Simul urgebat atrox capitis dolor ad orbitas, sinus frontales, nasi radicem, dolor lumborum et artuum: praecordiorum angor, quem cito sequi solebant dejectiones biliosae flavae, nigricantes, virides, aut aquosae plurimae plerumque sine dolore: vomitus similium: vermium etiam egestiones per os vel alvum. Respiratio oppressa. Pulsus arteriarum celer idemque contractior et durus, aut amplus et mollior. Lingua fere primis diebus alba, sicca, deinde ejusdem coloris crusta obsita, vel velamine fusco, pedetentim nigrescente, tandem rimas agente dorsum obducta eaque aeque ac fauces aphthis densis obsessa quandoque, in morbo gravi, longiore, continuo. Appetitus omnino prostratus. Sitis summa. Urina nonnullis sanae similis, saepius flava, rubicunda, turbata, rufa. Cervix multis rigida. Vigiliae assiduae; quibus febris longior et gravior, delirium, surditas, coma vigil aut somnolentum.

Plurimis intra primam hebdomadem finiebatur febris cito reditura: alios ad secundam vel tertiam septimanam continuata occupabat, nec denuo adorta restitutos.

Gravissime et diu decumbentibus, ultimis morbi diebus, contigere prolapsus ad pedes, tendinum subsultus, floccorum venatus, strepitus in

pectore, somni species, oculi hebetes, tristes, pulverulenti, lemosi, urinae faecumque exitus injussus.

Nonnullis liberalis supervenit narium haemorrhagia, paucis petechiae. Crisis per sudores copiosissimos graveolentes post criticam perturbationem eveniebat, qui vomitum vel alvi fluxum pertinacissimos statim terminabant. Singulis aegris plures febres crisesque crebro contigerunt etiam per urinas hypostaticas. Curatio fiebat optima per regimen frigidiusculum, potus refrigerantes, venaesectiones, vomitiones, purgationes leniores per eccoprotica mitiora, subacida. Remediorum princeps fuit venaesectio, curationis initium fere et fundamentum. Hinc subito se febris imminuit et pectoris oppressio capitisque et lumborum dolor: mutatione aegris longe gratissima. Praesente nausea vel vomitu spontaneo vomitoria data sunt, vel aqua tepida, vel si haec non sufficiebant, pulv. rad. ipecacuanh., deinde leniora purgantia eccoprotica, clysmata. Medicamentorum refrigerantium copia et vis gradui caloris febrilis aptata est: eo et tempestatis calor fecit, et vires aegri. Nam ut recte, alio quamvis loco auctor, enodata etiam medicinae praecepta medicum amant, qui ad lectulos aegrotantium didicerit expendere pondera rationum omnium in singulari quoque casu, quae interdum abnormem medendi methodum suadent, ut vulgo laudatam nonnumquam prohibent.

Huic Culemburgensium Epidemiae non dispar fuit constitutio epidemica verminosa, quae annis 1760—1763. per insulam Overflacqué et contiguam Goedereede grassata fuit quamque descripsit medicus Haganus eruditissimus VAN DEN BOSCH, eam repetens a solo patrio paludoso, victu farinoso et constitutione atmosphaerae humida, cujus symptomata fuerunt: atrox capitis dolor supraorbitalis, pupillae dilatatio, narium pruritus, susurrus aurium, lumborum, artuum dolor magnus; simul et laterum, sterni, aut partem abdominis quandam occupans, haud tamen inflammatorius, quod vel sanguis de vena in quibusdam emissus docuit. Praecordiorum angor vehemens, alvinae dejectiones liquidae subbiliosae, atro-putridae, plurimumque torminosae, ramentosae quoque vermibusque frequenter commixtae. Pulsus varius mutabilis et encephali perturbatio et respiratio in multis oppressa. Lingua primo sanae similis, tum arida fissa, crustaque fusca, nigrescens, sulcata. Appetitus prostratus. Sitis in nonnullis ingens, in aliis tolerabilis. Urina initio naturalis et sanae similis, mansit in plerisque tenuis, aut cum enaeoremate tantum suspenso: in quibusdam hypostatica mucosae indolis, incerto tempore et judicio. Colli et artuum rigiditas, manuum poplitumque stupor, dolore plurimum stipatus. Vigiliae pertinaces. Visus quandoque hebetudo, quae cum memorato aurium tinnitu et surditate nonnunquam erant instantis delirii aut co-

matis praenuncia. Initio morbi alvus rheo et sale polychresto, electuario diapruno similive eccoprotico leniter ducebatur: quibus vero admodum turgebat in ventriculo heterogenea materies, sursum educebatur ipecacuanha. Tum clysmata antiseptica, diluentia, analeptica et mox ac crusta linguae dorso insidens abiret in nigredinem, Cort. Peruvianus. Lenioribus dein amaricantibus atque cardiacis restituebatur tonus viscerum, re ita exigente. Venam aperire non jussit auctor, cum neque in aliis profuerat hoc auxilii genus, neque sanguis crustam inflammatoriam habebat eumque iterata docuerat observatio, phlebotomiae longe praecelluisse Elix. vitrioli et acidorum mineralium debito usu symptomata viderat mitigata, quae post sanguinis missiones iteratas increverant.

Hactenus antiquiorum observationes vobiscum communicavimus, superest, ut de recentiorum et aequalium observationibus referamus.

Prostant in medicina clinica Pinellii exempla aliquot febris mucosae typi varii, quorum duo fuerunt exitus infelicis, addita cadaverum lustratione. In priore abdomen tympaniticum reclusum emisit gas foetidum humoremque continuit serosum; intestina maculis caeruleis, lividis variae magnitudinis colorata, villosa absque inflammationis vestigio, glandulae mesenterii perquam turgentes et coloris cinerei fuerunt. In altero transsudatio alba et quasi de albumine concreto in variis cutis re-

gionibus: musculi pallidi, facile dilacerandi, tanquam macerati; hepar emollitum ac praeterea nihil in viscerum cavo detectum est. Desideramus in his cadaverum sectionibus peculiarem folliculorum villosae aegrotantium descriptionem, qualem in morbi mucosi monographia dudum dederant Germaniae medici. Nec tamen deest illa in nuperis aequalium auctorum Francicorum historiis, qui sub nomine dothinenteritidis aut enteritidis folliculosae hunc folliculorum morbum descripserunt communemque habuerunt febrium gravium malignarum, typhoïdearum caussam, aut ipsarum saltem characterem maxime vulgarem. Multi nuper de hac febre scripserunt. Omnium autem aequalium judicio nemo majori diligentia, quam princeps in facultate medica Parisiensium medicus clinicus Louis. Is anno 1829. edidit: *Récherches Anatomiques, Pathologiques et therapeutiques sur la maladie connue sous les noms de gastro-entérite, fièvre putride, adynamique, ataxique, typhoïde etc. etc. comparée avec les maladies aigues les plus ordinaires*, in quibus hunc morbum sub nomine *febris typhoïdeae* numerosis observationibus illustravit, anatomicas partium mutationes descripsit, symptomata interpretatus est, therapeiam exposuit: quamobrem breviter de hujus auctoris scriptione referamus.

Priorem partem, quae complectitur observationes, in tres series distinxit secundum tempus, quo

aegri defecerunt. Prima series eorum aegrotantium historiam continet, qui a die decimo sexto ad trigesimum morbi diem interempti sunt, altera eorum, qui a die octavo usque ad diem duodecimum interierunt, tertia denique eos spectat, qui post trigesimum demum diem occiderunt. In hisce autem cunctis, tam morbo vetustiori, quam morbo breviori occisis folliculorum aegrotantium vestigia detecta sunt, in parte ilei extrema, eo praecipue loco, quo cum caeco committitur, ut ibi morbum primo natum credideris.

Aegrotabant ex hoc morbo juvenes, bono ut plurimum corporis habitu, qui non ita pridem Lutetiam Parisiorum migraverant ibique habitatum secesserant varioque vivebant more variaque conditione, vario denique animi habitu. Initium aegritudinis erat ab horripilationibus, cephalalgia, lassitudinibus, anorexia, siti, quodam ventris dolore, alvo plerumque fluente, laxa. Horripilationes sequebantur calores primum fugaces, intercurrentibus horripilationibus, tum perpetui, sicci. Haec prima morbi corpore suscepti signa excipiebant alia, magis pathognomonica, tam nervorum genus: cerebrum, sensus, quam ventrem spectantia. Videlicet virium imbecillitas, nec morbi magnitudini apparenti, nec symptomatibus reliquis suppar. Vacillabant, nec movere corpus sine vertigine nec sustinere valentes, in somnum proclives, memoria tardi, indolentes nihilque curantes. Sequebatur

coma vigil, delirium, tinnitus aurium, oculorum rubor, visus hebetudo, epistaxes non levantes, eruptio macularum rosearum, lenticularium in cute post septimum diem et sudaminum, ventris meteorismus, diarrhoea cruenta, lingua plerumque sicca, rubra, nigrescente, tremula, deglutitione difficili atque increscente in dies debilitate, ut vino graves dixisses inque dorsum decumberent, tanquam corpora inertia in sacro gangraena cernebatur, pulsus decrescebant, qui initio magni fuerant et facies antea inflata et violacea, jam stupida alienata, convulsionibus agitata cernebatur tandemque mors veniebat, aegro aut delirante, aut tranquillo, interdum accelerata peritonitide.

Plures levem tantum initio febrilem motum experiebantur, calorem, sitim, aliquam somnolentiam, vertiginem, anorexiam, sine ventris dolore, sine alvi fluxu, aut alio symptomate, quod morbi sedem manifesto denotabat: in aliis haec symptomata postea demum nascebantur, ut obscura esset morbi diagnosis. Inter signa vero maxime characteristica numerantur epistaxis, cutis exanthemata, meteorismus, lingua subnigra crusta obducta, sopor, stupor, ingens debilitas, escharae gangraenosae ad sacrum aut cutis, quo loco vesicantia adposita erant, erosio, musculorum spasmi. Etiam animadvertenda est symptomatum successio. Quodsi juvenes corripiant horripilationes, ventris dolores, diarrhoea, anorexia, sitis, debilitas prompta, incessus

vacillans, si his accedant exanthemata prius descripta, tinnitus aurium, vertigines, somnolentia, tussis, rhonchus siccus, sonorus in toto pectore levisque meteorismus, de morbi praesentia certi esse poteritis, neque stuporem, delirium, spasmos ad eum dignoscendum desiderabitis, siquidem haec signa non in omnibus aegrotantibus praesto sunt. Et quamvis initio interdum obscura esse potuit, provectiore tempore obscura esse desinet, cum nisi omnia, plura saltem horum symptomatum, quorum syndrome huic morbi peculiaris est, aderunt. Posset igitur haec affectio typhoïdea, eodem auctore, sic describi: morbus acutus, febrilis, decursus varii, peculiaris juvenibus in nova rerum conditione positis, incipiens ab horrore, anorexia, siti et utplurimum dolore colico et diarrhoea, brevi his adjuncta debilitate, reliquis symptomatibus haud congrua. somnolentia porro, stupore, delirio, meteorismo, sudaminibus, exanthemate roseo, lenticulari, escharis ad sacrum, ulcerationibus gravibus, quo loco vesicantia erant adposita, surditate, motibus spasmodicis, aut contractura artuum cujusque character anatomicus constat propria mutatione glandularum ellipticarum Peyeri in ileo. Est enim haec mutatio constans una cum intumescentia glandularum mesentericarum: quae mutationes jam ab ipso morbi initio fieri, auctoris conjectura est.

Ex reliquis visceribus nullum erat crebrius mu-

tatum, quam lien, in longe plurimis aegris emollitus ac fere semper magnitudine auctus. Glandularum tum Peyerianarum, tum mesentericarum mutationibus cognoscere cupientes inspicite egregias tabulas Cruveilhierii, qui singulas earum formas ad naturae veritatem depingendas curavit. Is quinque distinxit formas: granulosam, pustulosam, ulcerosam, gangraenosam, mesentericam (glandulis mesentericis primario affectis) quae tamen non tam exacte separatae sunt, ut non saepius conjunctae existant et sive varietates magis, seu stadia, gradusque, quam species morbi esse videantur.

Therapeiam quod attinet, in morbo gravi, primo tempore, depletiones generales laudat monographiae auctor: potus diluentes, enemata demulcentia, regimen temperatum, morbo declinante tonica: infus. C. Peruv. chinin. sulphur. simaroubam et praesertim munditiei curam, ad arcendam gangraenam a decubitu cumque Cruveilhierio fatetur, nullam hucusque methodum esse cognitam, quae morbi semel nati cursum abrumpere possit: quam opinionem etiam tuentur Viri Clarissimi Chomel et Andral.

Ille in lectionibus clinicis de natura morbi disputans has quaestiones ponit: an morbus folliculosus inflammatorius, an adaequatus symptomatibus, an constans, an primarius sit, aut secundarius. Ad priorem quaestionem affirmative respondet, ad alteram et tertiam negative, et proprias et aliorum

citans observationes, ad ultimam denique ita, ut eum secundarium habeat, cujus fons in sanguine ex caussa hucusque ignota mutato esse videtur. Et profecto si observatio doceat, non constantem esse, aut certam rationem inter symptomata febrilia et morbum istum folliculorum, si exempla citant viri fide digni Andral et Louis, in quibus symptomata quidem febris typhoideae animadversa sunt, sine morbo folliculoso in cadavere detecto, hunc morbum primarium habere, febrem vero ipsam ejusque symptomata secundaria, sanae rationi repugnat.

Verum de his observationibus videamus. Est enim res dignissima, quae perquiratur.

Louis in Monographia sua, postquam numerosa retulerat febres typhoideae exempla, in quibus folliculorum aegritudinem ostendit anatome, esse casus dubios monet, quorum symptomata eandem prorsus aegritudinem denotare videbantur, utut defuerunt in corporibus defunctorum hujus aegritudinis vestigia. Tres ejusmodi casus commemorat. In priori adolescentis, quinto morbi die in Nosocomium recepti, alia morbi symptomata aderant, deerant plura simulque alvus erat initio dura et erysipelas cruris dextri. Initium aegrotandi factum est ab horrore, quem brevi sequebatur calor: dolor artuum et delirium. Tumebat inguen dextrum ejusdemque lateris crus parte inferiori rubebat, magna erat corporis jactatio nullaque alvus, nisi

clystere sollicitata. Exinde rerum oblivio, somnolentia, tarditas ad motum, cephalalgia, tumor et rubor totius cruris dextri, lingua non admodum humida, flavescens, villosa ad centrum, sitis magna, spiratio parum accelerata, pulsus parvus, debilis, regularis, calor mitis. Erysipelas perpetuo increvit, in pede aliquot escharae, postquam prius adparuerant phlyctaenae: erant autem leves, neque ullum ex iis damnum secutum est. Desquamata est totius cruris cuticula. Sedatum est delirium, nullum coma, alvus tardior, urinae excretio involuntaria, lingua sicca, media parte fusca, ad margines fere naturalis, nullus ventris tremor, calor siccus, pulsus tardior, sensim sensimque decrescente rubore cruris ac paene nullo, eschara ad os sacrum larga aliaque ad trochanterem dextrum. Escharae fere deciduae successerat ulcus, adspectus laudabilis. Dolebat quodammodo pes dexter. Lingua sicca, rubra, in parte media primum, deinde naturalis, adpetitus ciborum auctus. Alvus copiosa, involuntaria: postea vero minus frequens, absente omni ventris dolore. Tussis aliqua. Pulsus sat plenus, vix celerior, regularis. Sopor notabilis cum vultus alienatione, diebus decimo quinto et decimo sexto morbi, postea discussus est sopor, ac a naturali non multum mutatus cernebatur vultus, somnusque tranquillus factus est, sub qua rerum conditione delirans leviter efflavit animam,

vespere diei a morbi principio trigesimi quarti. Ne alia memorem: serum in cavis serosis capitis, pectoris, abdominis, partim copiosum, partim alieni coloris; cerebelli, cordis, hepatis, splenis, renum emollitionem, magnam bilis et faecum pultacearum in canali cibario copiam, notandum est, emollitam fuisse mucosam intestinalem, praesertim intestini tenuis, illaesis atque integris glandulis Peyerianis.

Deerant in hoc aegro exanthemata rosea lenticularia, sudamina, meteorismus, surditas diuque Parisiis habitaverat. Censeo fuisse febrem biliosam gastricam, non diluentibus, neque extr. cort. cum acet. ammon. aq. flor. aurant., verum valida methodo antigastrica Stolliana oppugnandam. Altera observatio pariter spectat febrem bilioso-gastricam Stollii, non nitrosis, non sero lactis, non hirudinibus, verum emeto-catharsi recte tractandam. Tertia observatio haec est. Puer 14 annos natus prehenditur vomitu, alvi fluxu sat gravi, cum anorexia, delirio nocturno, diurno sopore, dolore capitis magno. In Nosocomium susceptus morbi die 19°, diarrhoeae 14°, ingens virium imbecillitas, subsultus tendinum, dolor capitis gravis, memoria debilis, sensus integri, lingua pallida, humida, venter mollis sine dolore, pulsus regularis, debilis, frequens: inde suspiria, clamores, dolores totius corporis, deliria, cum soporibus alternantes, gangraena ad sacrum ex decubitu,

erysipelas femoris crurisque sinistri, meteorismus abdominis, mors lenta die 55°. In capite notabilis infiltratio serosa sub arachnoïdea. In pectore vincula membranea inter pulmonem et pleuram dextram. Abdominis viscera omnia integra. Ex tam longo morbo puerum inanitum mortuum esse, quis vestrum mirabitur, aut mortis caussam in viscerum inflammatione quaeret. Verum hoc exemplo docemur, posse pleraque symptomata febris typhoïdeae apparere, sine ulla glandularum Peyeri, aut intestinorum valetudine.

Similes quoque observationes relatas videbitis ab Andrallio. Prima observatio est febris adynamicae male curatae per venaesectionem, quam prompta mors et putredo secuta est. Altera febris nervosae versatilis, quam una cum vita ademit larga sanguinis jactura. In tertia symptomata fuere febris nervosae lentae; haec igitur sola hujus loci esse videtur. Etenim facies pallida, hebes, responsio tarda, lingua humida, parte media alba, ad margines rubra, ventris meteorismus, pulsus vix frequens, stupor, virium prostratio. Tandem anxietas, corporis jactatio, rursusque stupor, epistaxis repetita, lingua sicca, facies terrea, diarrhoea sine ventris dolore; meteorismus, subsultus tendinum, lingua nigra, crustosa, deliria, convulsiones, mors, postquam mensem integrum ex hac febre decubuerat. Notandum est, aegrum nuper Lutetiam venisse. Audite jam quae in cadavere vel

reperiebantur, vel desiderabantur morbi vestigia! Capite et pectore integris, abdomen reclusum lienem obtulit tumidum et emollitum inque villosa aliquot Brunneri Peyerique glandulas parumper conspicuas granulatas, verum pallidas, nec inflammatas et mesenterii glandulas sanas.

Habetis casum febris typhoideae gravis sine ulla ei congrua in corpore laesione anatomica neque alibi, neque in abdominis regione.

Post traditas auctorum de febre mucosa observationes nonnulla subjiciemus ducta ex iis consectaria.

Epidemias mucosas praecesserat anni insalubritas eamque secuta annonae caritas atque ejusmodi prophases, quae aërem vitae pabulum corrumpere solent. Talis erat epidemiae Neapolitanae origo; talis epidemiae Gottingensis, urbe hostium copiis cincta; talis epidemiae Culenburgensium ex autumno sterili, inundatione, intenso brumae frigore, victuque pravo; talis epidemiae Zeelandicae ex solo patrio paludoso, victu farinoso et aëre humido natae quaeque a medicis Francicis describitur, enteritis folliculosa eos potissimum prehendit, qui non ita pridem Lutetiam Parisiorum habitatum venerant. Ea reputantibus vobis nonne sponte opinio nascitur, aliquod subfuisse miasma susceptum aëre et per aërem sanguini infusum, quod hujus crasin mutando febrim concitaverat, cui conjecturae favet agnita a multis morbi cum

autumnalibus valetudinibus: febribus intermittentibus, dysenteria, caet. affinitas, aliarum partium, lienis praesertim emollitio, peculiaris sanguinis, urinarum conditio, exanthemata, certaeque ac constantes hujus febris phases, virium prompta imbecillitas, gangraena ipsaque vis contagii ex morbo pandemio nata. Intestinorum laesio non erat in omnibus pariter circumscripta, unde symptomatum discrepantia repetenda est. Haec autem quaecunque obtulerint discrimina, ex sede hujus laesionis ad ileum extremum limitatae, aut in ventriculum praeterea et alias intestinorum partes pertinentis, quae epidemiae Gottingensis et Neapolitanae erat ratio, id commune habebant, ut cum morbo ventris alium morbum praesentem ostenderent eumque sanguinis, ut ego quidem arbitror, altero illo priorem, ita ut febris illa miasmatica in morbum folliculorum exanthematicum quasi desinat, quemadmodum febres cutis phlegmasias antecedere solent. Enteritidem saltem folliculosam neque puram esse, neque protopathicam inflammationem vero simile est admodum atque optima etiam curandi methodo declaratur. Nam ut venaesectione apparatuque antiphlogistico pura et protopathica intestinorum inflammatio recte curabitur, sic hoc medicinae genere in ea, quam hoc loco significamus, valetudine vitam prius tolles, quam ipsius cursum interrumpes. Scio equidem, venaesectionem princeps illius remedium habuisse KLOEKHOFFIUM; sed in

epidemia Culemburgensi praecesserat intensum brumae frigus indeque magis phlogistica erat, quam esse solet in hac febre sanguinis diathesis atque aliis praeter hanc armis pugnatum est. Neque ab altera parte medicina cardiaca, roborans rem absolvit, quum et quibus sanguis abunde detractus est et qui tonicis remediis usi sunt, pariter perierunt. Miror utrumque suorum aegrotantium damno expertos esse medicos Francicos, quum jam dudum hac de re inter practicos prudentiores convenerat, natura viam monstrante.

» Methodus calidior, inquit Stollius *Aphor.* 384 sq., viscerum inflammationes, miliaria non critica, febres ardentes perniciosas facit: nimis vero, quam oportet, antiphlogistica lentas nervosas, languores chronicos, articulorum morbos, hypochondriasin, phthisin pituitosam, totque febres diversas, quot pravae methodi fuerint. Idcirco acrioribus stimulis parcendum, principio praeprimis: atque universim hic lente festinandum."

Sanatur solis naturae viribus: vomitu, alvi fluxu, sudoribus, expectoratione, intermittente quotidiana, exanthemate miliari, ptyalismo, urinis. Quae sanationes spontaneae in febre mitiori, valentibus aegri viribus, contingunt. Morbus mitissimus, auctore Roederero, sensim sensimque absque ulla critica evacuatione solvitur. Vulgo autem sanatur muci ex ventriculo, intestinis, pulmonibus, per vomitum, alvi fluxum, anacatharsin excretione:

subinde etiam exanthemate miliari, aut interno aphthoso levari visa est (STOLL *Rat. Med.* II, pag. 39.) Vomitus et diarrhoeae morbum levarunt, si crebrae, faciles, diu perstantes, cum febris et symptomatum remissione (STOLL l. l.) Salutaribus signis SARCONE adnumeravit haemorrhagias narium, corpore plethorico, urinas cum sedimento, alvi profluvium, icterum criticum. Complures fieri crises et quasi per epicrasin: sudores, vomitus mucosos, diarrhoeam, urinam hypostaticam, aphthas, pustulas oris et labiorum, notarunt de epidemia Gottingensi auctores. Scilicet in tardissimo febris genere lenta naturae curatio est et crises tardissimae. Quae crises salutares illis similes sunt, quae in catarrho simplici fiunt. Nam quemadmodum coryza, narium muco crasso, catarrhus pulmonum sputis solvitur, sic febres illas mucosas mucus per epicrasin vomitu, aut alvi fluxu ejectus judicare consuevit: sive morbi declinantis functionisque restitutae signum hoc sit, sive congestionis et turgoris folliculorum remedium. Aliquando etiam judicantur sudoribus et ptyalismo, cutis functione hoc modo redintegrata factaque secretione vicaria: quales sudores criticos notavit KLOEKHOF in epidemia Culemburgensi. Prodibant sudores illi post praegressam criticam perturbationem gravem, interdum post pulsuum deliquium, primoque frigidi erant, tum calidi erumpebant, gra-

veolentes: nimirum vomitum alvique fluxum statim cohibentes; dum in morbo longiori crises per urinas crassas, copiosas, hypostaticas eveniebant. Eadem est ptyalismi et ratio et utilitas: antagonistica scilicet. Hanc in febribus lentis nervosis utilem vidit HUXHAMUS. Denique morbo declinante salutaris saepenumero pituitae spissae oboritur expectoratio. Exoptatissimus vero hujus febris eventus est, auctore GUL. GRANTIO, transitus in febrem intermittentem vernalem, quem exspectat, ubi remissiones longiores, exacerbationes vespertinae cum praevio modico horrore et sudatiunculis nocturnis, somno matutino insequente, cum virium incremento.

In hoc valetudinis genere curando vobis semper ob oculos versetur vetus illud: *festina lente.* Naturam oportet imitari, quae tarda et repetita crisi huic febri medetur. Ab aliis serum lactis ebutyratum, aqua hordei cum succo aurantiorum atque ex fonte therapeutico solutiones mucilagineae refractaeque ipecacuanhae doses, ab aliis acidum hydrochloricum dilutissimum sive ad emendandam sanguinis crasin, sive ad delendum contagium, sive ad ulcera intestinorum sananda, ut priora illa, ad alvum inferiorem leniendam, aut moderandum ipsius profluvium jure merito laudantur. Ab emeticis, catharticisque praestat abstinere, aut nisi mitioribus illis parcisque at repetitis dosibus uti, ad imitationem naturae, concitata crisi per

epicrasin. Sint igitur evacuantia sabemetica de ipecacuanha suspensa manu porrecta deque eccoproticis, nisi vetet haec alvi fluxus; vitentur acriora, stimulantia, tonica remedia cibique etiam aut copiosi, aut valentioris materiae diu post convalescentiae initium. Atque his quidem harum febrium medendi methodus continetur, quae sapientem jubet prudentemque cunctationem. Quapropter, quam Richterus (*Spec. Therap.* I. pag. 349.) commendat methodus calida, stimulans aeque minus huic febri curandae idonea est, ac stricta, quam alii commendant, antiphlogistica curatio. Noverat Grantius duos medicos, opposito medendi genere hanc febrim tractantes, utroque pravo. Alter persistebat in curatione antiphlogistica, sed nimis diu. Alter eam curationem deserebat, sed nimis subito. Alter evacuationes instituebat nimis liberales et nimis frequentes. Alter nonnisi parce et raro. Alter nunquam cardiacum, nec opiatum, nec alimenta, quae requirebantur, concedebat. Alter post elapsos quatuor dies, nihil aliud jubebat, nisi usum cardiacorum et opiatorum et victum animalem. Alterius aegrotantes raro peribant, sed reconvalescentiam experiebantur tardam et imperfectam. Plerique alterius curae commissi moriebantur, aut per omnem vitam aegrotabant.

Ut tardus est morbi decursus, sic quoque tarda est a morbo convalescentia. A methodo calida inflammationis instat et recidivarum periculum. Id

quod tum facile intelligetis, si cogitetis, diu post morbum ut credebatur sanatum in corporibus ex enteritide folliculosa mortuorum recentiores auctores, praesertim Francicos detexisse intestinorum ulcera, quae hanc pseudophlogosin erant secuta. Haud semel miratus sum, inquit Cruveilhier, aegris post convalescentiam dierum viginti, triginta, quadraginta, ex alia caussa mortuis, in canali cibario non cicatrices, ut opinabar, me vidisse, verum ulcerationes non minus graves, quam in vigore morbi. Quae profecto medicos cautiores esse jubent in medicina roborante tonica, cujus usus in hoc morbi genere arctis admodum limitibus circumscribitur. Verum haec si ita sint, quae caussa est, cur alii camphora, moscho, opio, cortice Peruviano aliisque hujus census remediis usi sint feliciter, cur Sarcone extr. cort. Peruv. et moschum, cur Roederer et Wagler convalescentibus victum pleniorem, cur van den Bosch camphoram, cur nuper etiam Cruveilhierius praeter ea, quae diximus, opium hocque tanquam delirii remedium praedicent. Respondeo, primo quaerendum esse, quo tempore, quibus aegris, quali rerum conditione data sint haec remedia: an revera ex morbo mucoso aegrotaverint, quod si tum antiquiorum, tum recentiorum observationes attento animo perlegatis, addubitabitis, siquidem, ut prius ad febres gastricas mucosas plures etiam referebant ex simplici gastricarum aut intermittentium genere, ita jam a multis,

ubicunque status nervosus in febre cernitur, dothinienteritis accusatur, ut hoc communi nomine cuncta fere febrium genera comprehendi ac morbo hocce detecto, solam dothinienteritidem venari exterorum complures videantur. Ultimo tenendum est, accurate distinguendum esse, utrum morbus aliquis *sub usu* cujusdam medicinae sanetur, an vero huic medicinae sanatio morbi debeatur, ac salubritati remediorum parum confidendum esse, si in morbo aliquo nonnullis tantum aegrotantibus profuerint, longe plurimis ea remedia non ferentibus. Crebrius ac vulgo creditur, status nervosus indoctae arti, quam naturae imputandus est, id quod de febribus nervosis disputantes plenius interpretabimur.

Nuper in hac urbe inter milites praesidiarios morbus exortus est et quidem initio m. Augusti A. 1837. Increvit usque ad initium mensis Septembris: postea vero a m. Octobri decrevit, atque Novembri et Decembri mensibus paucos tantummodo prehendit. Ex symptomatibus praecipuis erant ingens jam ab initio virium muscularium praesertim imbecillitas magnaque in statum nervosum proclivitas. Lingua erat larga, complanata, media parte levi albedine flavescente obducta, atque extensa tremebat, alvus crebra, liquida, quae diarrhoea usque ad mortem increscens atque involuntaria facta, perstabat. Deinceps ventris dolor aliquis cum meteorismo, praesertim in

regione iliaca dextra. Pulsus creber, mollis; respiratio celeris; halitus oris foetens. Cutis sicca, arida, calida; ischuria; decubitus in dorsum, manibus ad genitalia admotis; somnolentia, coma; delirium, typhomania, gangraena a decubitu, quae tamen non facile fiebat.

Erant haec symptomata inprimis notabilia in duobus militibus, altero 19 annos nato, altero annorum 22, quae eo magis notata signa sunt, quia ex hoc morbo perierunt eorumque cadavera manifestas praebuerunt enteritidis folliculosae s. dothinienteritidis notas. Jam ab ingressu in Nosocomium mutatus vultus animum advertebat: oculi concavi et aspectus eorum hebes stupidus. Querebantur caput sibi grave esse cum susurru aurium ac vertigine. Crura vacillabant ac decumbere cupiebant, tanquam fatigati lassique. Nullus ciborum adpetitus, ingens vero potus ejusque frigidi, aciduli, praesertim aquae frigidae. Lingua larga tumida, ad margines rubra, media parte albida, tremula, alvus liquida, frequens, sine dolore. Meteorismus, at levis. Urina parca, turbida, foetida. Respiratio vix mutata: pulsus creber, mollis, parvus: cutis sicca, calida. Per primos dies pedetentim increscebant symptomata, praesertim vespere exacerbata. Nullus somnus, delirium tranquillum (typhomania). Inde cerebri aegritudo major semper et major: vix ulla rerum conscientia, coma; loquela difficilis, turbata; rerum oblivio: conjuncti-

va oculi rubra, carphologia, subsultus tendinum, decubitus in dorsum declivis; manibus infimo ventri adpositis: tandem ischuria vera, alvus involuntaria: lingua arida, labra nigra, dentes fuliginosi: foetor oris: pulsus crebrior, major meteorismus; deglutitio impedita, pulsus deficiens, extrema frigida, mors die 13° et 14° morbi. In cadaveribus, duodecim horis post obitum sectis, recluso cranio, serum repertum est, nec tamen multum, in cerebri ventriculis ac notabilis vasorum repletio. Organa pectoris integra. Abdominis viscera parenchymatosa vitio carebant. In parte tertia infima ilei ulcera iis, quae in alvi fluxu chronico atque ultimo phthiseos pulmonalis stadio reperiuntur, plane dissimilia. Erant ex adverso mesenterii, formae inaequalis, ellipticae, marginibus rubris, exstantibus, fundo punctato. Alibi parvae cernebantur pustulae, quae forsitan morbi initium. Glandulae mesentericae integrae.

Caussarum numero habebantur corporis aestuantis refrigerium atque abusus fructuum, aquae gelidae, seri lactis ebutyrati. Notandum autem, aegros fuisse milites tirones, non ita diu militiae adscriptos, aliunde huc advenas: exque veteranis aegrotasse neminem.

Prognosis principio morbi non infausta, deinceps organicis jam intestinorum vitiis factis atque nervorum aegrotantium symptomatibus adparentibus, infausta maxime. Ex remediis prae aliis pro

ficua lenia, emollientia, praesertim vero refractae ipecacuanhae doses, quo prior, aut julapium cum acid. muriat. diluto, quo alter medicorum, uterque feliciter, usi sunt: sub quorum usu cutis humescebat, lingua mundabatur, alvi fluxus cohibebatur aegerque sensim at tarde convalescebat.

Utroque remedio ipse eodem fortunato eventu usus sum, cum deinceps, mense Decembri, duobus militibus in Nosocomio Academico medebar ex hac febre decumbentibus, quorum alter leviter tantum aegrotabat, brevique convaluit, alter gravem satis morbum expertus est ac praeter symptomata prius indicata, maculas parvas in cute habuit rubras, sponte evanescentes ac gangraenae in sacro initium. Mirum est, quantopere post haec remedia adhibita urinarum foetor evanesceret, alvus et tardior et crassior magisque faeculenta evaderet; lingua humesceret. Quae tamen mutatio sensim tantum fiebat, emendatis simul catarrho pectoris, tussi ac voce rauca (erat autem habitus phthisicus, nec mucosa pulmonum integra) ultimoque redeunte in facie turgore, in oculo splendore, in mente alacritate.

Notetis circa hanc militum epidemiam glandulas mesenterii in corporibus ex ea mortuorum fuisse integras.

Nuper de dothenienteritide novam theoriam protulit vir doctiss. Albers, quae dummodo vera sit, magnam rei obscurae lucem affunderet; utrum au-

tem vera sit, jam perquirendum: est certe ingeniosa.

Nullus inter pauperes morbus magis vulgaris est, quam morbus scrofulosus. Is quamvis si levior non ita periculosus sit, tamen seminium ponit tum ad exanthemata febrilia, tum ad febres illas, quae dothinienteritidem comitantur. Naturae typhi est sese in morbi principio cum inflammationibus topicis complicandi, quae complicationes ante alias in partes imbecilliores cadere solent: hae autem in scrofulosis mesenterium et intestinum tenue sunt; quapropter scrofulosi ex typho decumbentes has etiam partes plurimum laesas habituri sunt. Hanc interpretationem rei naturae consentire morbi prophases, sive caussae, quae vocantur, occasionales probant. Nam aetatem si quaeratis, est ab anno sexto ad vigesimum secundum: quae aetas ea est, qua scrofulae maxime vigent; cum seniores ab hoc morbo immunes, etiam vitio folliculorum et glandularum carebunt, uti duobus exemplis adparuit; genus hominum vero si spectetis: dothinienteritis lethalis solas ferme pauperum tabernas ingreditur.

Habet haec theoria magnam profecto veri speciem: nec tamen singulis casibus explicandis sufficit et vel ea observatione refutatur, quod in epidemia militum in hac urbe nostra glandulae mensenterii repertae sint integrae; cum tamen Albersius nunquam folliculos intestinales aegrotare sanis mesenterii glandulis perhibeat hacque maxime the-

si suam de morbi origine theoriam niti existimet.

Altero loco, cur infantes et pueri, cujus aetatis potissimum scrofulae sunt, non magis quam adolescentes ac juvenes ex dothinienteritide laborent, non facile intelligitur, neque intelligitur, cur postea (pag. 315.) utplurimum robustos homines huic morbo patere dixerit remque et suo et aliorum testimonio firmaverit, utut antea scrofulosos prae reliquis ei obnoxios habuerit.

Denique si pauperes prae aliis hic morbus interimat: hi autem scrofulosi esse soleant, quo inde jure effici possit, ob id, quod scrofulosi sunt, hunc morbum contrahere atque ex eo mori, non satis perspicio; neque cum ea consentit observatio (pag. 326.) ex hoc morbo maxime periclitari robustos aegros. Itaque quo minus hanc theoriam amplectar, pluribus impedior rationibus. Nam sive corpora spectemus, in quae dothinienteritis cadit: haec minime semper scrofulosa, immo saepe robusta et antea sanissima fuerant, nec puerilia magis, quam juvenilia; sive rationem cogitemus, quae est inter morbum folliculorum et mesenterii, eam minime constantem esse, docet ultimo relata epidemia; seu morbi progressionem reputemus, non est cur eam a mesenterio ad mucosam magis, quam a mucosa ad mesenterium procedere crederemus; seu curandi modum animadvertamus, differt ea plurimum a curatione morbi scrofulosi. Quae cum ita sint, intelligitis, cur huic auctori hactenus adsentiri

nequeam statuenti, ex morbo mesenterico pendere morbum intestinalem, ut ex mesenterio intestinum; quamvis nequaquam infitiar, posse utrumque morbum copulari.

Aeque minus mihi altera thesis probatur, cum priori arcte cohaerens: differre morbum mucosum Roedereri a dothinienteritide auctorum Francicorum. Scilicet sedes duntaxat differre aliquatenus videtur, quae uti in morbo mucoso superior magis erat, ita in dothinienteritide inferior magis repetiebatur. Quis autem quae in ore sunt aphthas alium esse morbum putabit, quam quae oesophagum occupant, neque utrumque eodem nomine nuncupabit?

Verum nova suboritur quaestio, quaenam sit inter hanc folliculorum intestinalium aegritudinem ipsamque febrem et symptomata nervosa cognatio. An illa hujus, an contra haec illius sequela haberi debeat: an prorsus accidentalis atque fortuita alterius cum altera conjunctio. Ad hanc quaestionem ab aliis aliter responsum est eamque supra etiam verbo attigimus, in capite de enteritide: attigit quoque Albersius, qui putat, morbum esse compositum ex morbo intestinorum et febre typhoidea: tunc autem utrumque componi, quum ea febris corpus offendat scrofulosum inque hoc se figat. Videtis, auctorem sibi constare. Sed aliud quid est, sibi constare, aliud quid, verum consequi. Tum demum in hujus viri docti sententiam

ire licebit, quum cognatio illa utriusque morbi satis erit inductione atque rerum usu comprobata eaque sublata erunt impedimenta, quae huic conjecturae ingeniosae obstare, supra monuimus.

Quaestio autem ipsa tunc forsitan a nobis solvi poterit, quum quid sit febris nervosa et typhus cognoverimus. In quam quidem cognitionem, utrum spes sit, fore ut perveniamus, confitendum est, hactenus nos ignorare.

DE FEBRE CATARRHALI.

Quotannis in patriam nostram, verno tempore, praesertim Martio mense, quaedam febris recurrit, multis perniciosa, quae catarrhalis dicitur. Eam praecedunt segnitia, aegritudo, artuum torpor, dedolatio, horripilatio, capitis gravitas et dolor supra-orbitalis, lacrymatio, humoris tenuis, acris e naribus stillatio, aurium tinnitus, vertigo, sapor aut nullus, aut mucosus, lingua sicca, tussis continua molesta, frequens sternutatio. His morbi praeludiis accedit febris, crebra frigoris calorisque vicissitudine, exacerbatione vespertina, cutis ardore sicco, pulsu celeri, frequenti, contracto, subduro plerumque. Haec symptomata perpetuo ingravescunt: sitis est ingens, tussis molestissima sicca, thoracis cum dolore stricturae, vigiliae per-

petuae, urina rubra, oleosa, vasi, quo continetur, colore lacteo adhaerens, dolores capitis, cervicis, lingua arida, sicca, faucium raucedo, anorexia, nausea, anxietas, aphthae, erysipelata, miliaria symptomatica. Interdum alia quoque in his febribus contingunt: haemorrhagiae, stranguria, ischuria, motus convulsivi praecordiorum, cutis hyperaesthesia ac lingua arida sicca in nigram sulcatam mutatur.

Post morbi incrementum in ipsoque vigore, septimo, undecimo, aut vigesimo primo die, critica adparent in lingua, sputis, sudoribus, urinis, alvo indicia. Sputa prodeunt crassiora, puriformia, sudores excernuntur graveolentes, acidi, calidi, levantes, alvus sponte deponitur, lingua humescit, urina emittitur hypostatica.

Ab his vernalibus, ad febres mucosas subinflammatorias accedentibus, differunt autumnales, quarum major est cum gastricis febribus cognatio et magna simul in erysipelata interna praesertim, derepente, nec opinato gangraenescentia proclivitas, quam diversitatem in erysipelate utriusque anni tempestatis etiam notavit GULIELMUS GRANTIUS.

Est quoddam hominum genus, qui corpora habent crebris destillationibus obnoxia, organum cutaneum sensile, spirandique instrumenta irritabilia, quam corporis diathesin catarrhalem recte vocaveris. Hi et crebrius et gravius ex his febribus decumbunt.

De hoc febrium genere commentationem scripsit Janus Petersen Michell, quae in lucem edita est anno 1785, cui tamen non additae sunt aegrotantium historiae, neque cadaverum extispicia. Illae ut rarae sunt, ita haec fere hactenus desiderantur. Inter antiquiores nonnullas observationes edidit Fred. Hoffmannus, quarum altera spectat febrim epidemicam catarrhalem, quam vobis speciminis loco tradam. » Quum anno 1709. acerrimum hyemale diuturnum frigus, Martio mense, leniori ex austro spirante vento, nives et gelu solverentur, Aprili et Majo initiante, Berolini, quo tum degebam et alibi quam plurimos corripiebat febris cum horripilatione et aestu, summo languore, tussi ferina, nonnullis quasi suffocatoria, ingenti siti et ciborum nausea. Circa noctem invalescebant haec omnia et somnus inde mirum turbabatur: in quibusdam extrema mox calebant, mox horrebant. Quidam diu decumbebant, praesertim ii, ubi ob praeviam humorum diathesin purpurae scorbuticae materia intus delitescebat, quae etiam per vices crebrius maculis rubris et asperis in extrema cute comparebat, ex levi vero caussa iterum evanescebat. In nonnullis quarto statim die exanthemata rubra, morsicantia, urentia, cum magno pruritu, quasi ab urticis inducta, erumpebant et tussis aeque ac caloris mitigationem inferebant. Alii, praesertim feminae phlegmaticae, sanguineae, provectioris aetatis, exquisitos simul rheumaticos dolores patie-

bantur. Qui vix convalescentes in publicum prodibant cito nimis, incurrebant ingentem capitis torporem, gravativum dolorem, vertiginem, gravedinem, languorem corporis, cum spirandi angustia et difficili negotio iterum ad sanitatem redibant. Ubi etiam vetus jam erat in pulmonibus vitium, ex haereditate, febre hac discedente, tussis purulenta cum sanguine succedebat, saepe vera phthisis. Qui porro ab imperitis chirurgis et pharmacopoeis purgantes accipiebant pilulas, doloribus acerbis ventris affligebantur, mirumque debilitabantur, animi defectiones patiebantur, cum frigido extremorum sudore, et gravius et longius decumbentes. Qui vero et proba victus et regiminis ratione et dextra medicatione morbo occurrebant ac pulveribus in primis bezoardicis sedulo utebantur, cum uno vel dimidio grano extr. croci, brevi convalescebant iterum."

Morgagnus Epist. XIII. similem commemorat epidemiam febrium catarrhalium simulque morbi casum et extispicium, quod, quia ut dixi, rara sunt haec extispicia, hoc loco referam. Joannes Franciscus Barbadicus S. R. E. Cardinalis et Antistes Patavinus, natus annos duos ferme et septuaginta, cum esset catarrhis obnoxius, facilius quam caeteri in eam catarrhalem febrim incidit, quae omnes propemodum arripiebat, Januario mense A. 1730. sed cum sibi minus caveret, quam caeteri, inter paucos illos fuit, qui ea correpti interiere. Nam

ea nocte, quae diei successit XI. Kal. Februarii illo se morbo prehensum perceperat. Surrexit tamen postridie, ut erat magno animo seque aëris injuriis exposuit, tum publici officii causa permotus, tum viribus confisus, quae ut corporis color et habitus, postquam ante duos menses a brevi, sed gravissima febre convaluerat, vel meliores, quam pristinae factae esse videbantur. Quin et die proximo surrexit et sacrum fecit; sed morbo interea ingravescente, decumbere eodem die et medicos tunc primum arcessere coactus est. Verum de tribus, qui in priore illa febre affueramus, VALLESNIERIUS septem ante dies obierat, ego et medicus ejus ordinarius ex communi morbo adhuc languebamus: quod eo dictum puta, ne mireris, si quaedam ad aegri incommoda et mortem, omnia autem ad mortui sectionem attinentia ex aliis, dignis sane, quibus crederem, diligenter interrogatis, accepisse me dixero. Vix enim cum semel, iterum, tertio etiam atque etiam advocarer, videre bis potui, non sine aliquo meo periculo ad virum amplissimum et de omnibus egregie meritum vectus et prima quidem, ex quo decumbere coeperat nocte dormiisse, accepi, et multa ac facile expectorasse, quod et tunc faciebat, crassa ut vidi, et tinctura quadam infecta, ut ex rubro flaverent. Naturalis erat aspectus et color, facilis tussis, facilis in utrumlibet latus decubitus, nullus in thorace ponderis, doloris, caloris sensus, levis sitis, humida lingua

atque alba. Alvi recrementa, ut in sanis solent. Urinae ob tempestatem frigidam jam turbatae, sed quod unum judicare poteram, decolores. Mens prompta; sed verbum tamen quoddam, dum quaereret, non provenit. Pulsus nec debiles, nec parvi: imo validi et magni: non duri; sed densi tamen nonnihil, iidemque frequentissimi. Respiratio, quae his pulsibus conveniret et cum hac sonus quasi bullientis in pulmonibus catarrhi. Manifestum erat omnibus, non medicis modo, spretum primis diebus morbum ab sua natura degenerasse gravemque ac periculosum, non levem esse, ut uni aegro, quod mihi minime placebat, videbatur, multo autem magis postridie displicuit idem aegri de suo morbo judicium, cum audirem, insomnem egisse noctem et sputa, meridianis horis facta jam pauca et albida, tunc esse nulla; viderem autem respirationem crebriorem altioremque, tametsi pulvinis cervicibus dorsoque subjectis nonnihil erigere studuerant; sitim auctam, ut frigidam cuperet, stomachum languidum, ut vini pauxillum posceret. Quamvis autem caetera essent, ut pridie; quin pulsus essent molles minusque frequentes iidemque satis et magni et validi, nos tamen valde sollicitos habebant caetera illudque inprimis, quod eadem tussi perstante, nihil expectoraretur. Itaque cum suspenso animo atque adeo tristi et nisi expectoratio rediret, pessima quaeque ominante discederem, medicis cum alia, tum illud inprimis

commendavi, ut saepe ipsi, qui bene valerent, interviserent et pro re nata, ut solebant, et modo insuper constitutum fuerat, adjuvarent. Rediit ex illis unus paulo post, neque in pejus deprehendit quidquam. Redierunt alii duo inter primam atque alteram noctis horam et pulsus vel meliores, sputa autem aliqua ejici, invenere. Una ex quo ipsi abierant hora non erat, non multa autem temporis puncta, ex quo viri alii, non medici quidem illi, sed apud aegros tamen diu attenteque versari soliti, cum animadverterent nihil novi, in proximum cubiculum secesserant, cum aeger se inclinans, ut nescio quid, quod e lecto exciderat, ex humo tolleret, neque id assecutus, famulum a cubiculo vocavit, qui accurrens cum herum in pristinum situm reposuisset, hic autem in eo persistere se posse negaret, sed erigi vellet, ut respirare melius posset, sensit uterque imminere mortem. Quamobrem famulo, qua poterat alta voce auxilium implorante, sacerdos illico affuit, qui morientem invenit, mentis adhuc compotem, sibi ut poterat, deficiente manu in crucis formam ducta pectus tangentem et pio murmure sacras subinde voces interjicientem. Ad hunc modum confestim, ut summopere optaverat, inter ejus manus vivere desiit pontifex multo longissima vita dignus, exacto vix quarto, ex quo morbus inceperat, die.

Cadavere ad conditaram dissecto, nec sine pinguedine invento, sanum cerebrum, sana omnia ven-

tris viscera conspecta sunt. Nihil polyposi in corde. Pulmones neque ad costas, neque ad diaphragma, neque ullam ad partem superficiem alligabant suam. Haec autem erat albida, ut speciem praeberet quasi oblitae vernice, ut vocamus, quadam quae ad lacteum colorem vergeret. Graves erant ipsi pulmones, sed a catarrhali, quam continebant materia, multa passim e bronchiis, quacunque incideres erumpente. Certe eorum omnis substantia flaccida, non modo non densa, aut compacta reperta est."

Repentinum Cardinalis Barbadici interitum repetit Morgagnus a catarrho praefocante, qui vulgo suffocativus adpellatur, quem senibus, hyeme potissimum accidere notavit Laennec (I. pag. 192. l. l.) bronchiis muci plenis et paralysi tactis, qua fit, ut mucus excerni nequeat. Unde in peripneumonia notha, quam paulo infra ex Boerhaaviano *Aphorismo* 872. notabimus, subito crescente anhelitu et debilitate, mors; cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit praesagium. Accessus ille, ubi aliquamdiu protrahitur, supervenit auctore Laenneccio oedema pulmonum morbum aggravans ac promptum magis exitum afferens.

Mirabimini forsitan, principes de medicina clinica scriptores, quorum industria tot tantaque disciplinae nostrae loca explicata debemus, febrium catarrhalium ne mentionem quidem fecisse, ac si febres illae ex terris exulassent protinus. Verum

mirari desinetis, si recolatis memoria, quae eorum esse de febribus placita, diximus. Nempe febres ab inflammationibus repetentes, de catarrho et bronchitide scripserunt quidem, de febribus autem catarrhalibus tacuerunt. Excipiendus tamen est LAENNECCIUS, qui paucissimis licet verbis, earum fecit mentionem. Febres catarrhales, inquit (I. pag. 185.) illae sunt, in quibus catarrhus, individuus febrium continuarum comes, prompte larvam deponit atque muci expectorationem copiosam facit. Eodem quoque nomine dicti sunt catarrhi pulmonum graves ac febre symptomatica stipati; verum in hoc casu febris, utut initio magna et saepe satis longa, cito characterem febrium acutarum exuit diuque ante catarrhum cessat, nec syndromen illam congestionum cerebralium affectionumque abdominalium aut plus, aut minus gravium concitat, quam febres vere protopathicae monstrant, quae spectandae sunt tanquam affectiones universales, magnum simul numerum organorum ferientes ac forsitan prae solidis humores. Et profecto reputanti, quae in his febribus apparent phaenomena, LAENNECCIUS mihi non multum a vero aberrare videtur. Nam si in his quoque inflammationem protopathicam accusare oportet: quam tandem accusabimus? Pulmonum, aut bronchiorum? Verum et nares aegrotant et sinus frontales et os et fauces et pharynx et larynx et oesophagus et ventriculus saepe et intestina ipsaeque urinarum officinae mucosae, ita ut

vel opus esset sesquipedalibus verbis ad hanc inflammationem designandam, vel universam membranarum mucosarum provinciam occupasse phlogosin contendere deberemus. An non longe verosimilior magisque simplex veterum conjectura est, propter laesam et cutis et pulmonum perspirationem nasci plethoram serosam: unde apparentis debilitatis significatio et a suppresso cutis munere ejusque aegritudine commota membranarum mucosarum sympatheia, in subphlogisticam increscens conditionem. Itaque symptomatum horum duplex notandus fons est: alter subinflammatoria membranarum mucosarum faucium, narium, pulmonum conditio; alter humorum serosorum propter laesam perspirationem tam cutaneam, quam pulmonalem plenitudo. Rem ostendit harum febrium sanatio sive spontanea, sive artis auxilio facta. Nam prior, naturae illa, crisibus fit et evacuationibus criticis, tum per sudores, tum per sputa, tum per urinas, quarum prima ad cutim, altera ad pulmones, tertia ad sanguinis officinam revocanda est: quae crises et evacuationes criticae certis fiunt statutisque diebus. Generalis adeo inflammatio si revera morbus esset, quot quantaeque et sanguinis detractiones et hirudinum cohortes requirerentur ad tantam phlogosin extinguendam: quae quidem depletiones tantum absunt, ut morbum tollant, ut sanguinis jactura vitam prius, quam hunc sustuleris, immo summa prudentia fieri debeat,

quandoquidem imprudenter facta pluribus aegris exitio fuit. Nimirum nisi corpus plethoricum et manifesta inflammationum febrisque inflammatoriae signa, sanguis detrahendus non est sique intra catarrhi limites substiterit febris, ab hoc auxilio abstinere praestabit.

Quemadmodum adparatus stricte antiphlogisticus huic febri neutiquam aptus est, sic minus etiam idonea est opposita, cardiaca medendi ratio. Nam primo tempore vulgo phlogistici quid subest ideoque a stimulis tunc cavendum solisque utendum diluentibus demulcentibusque: neque diaphoretica danda sunt, aut expectorantia, nisi sub crisin; qua in re crebro peccatur a medicis, initium a diaphoresi concitanda facientibus. Denique debilitatem principio spuriam esse eaque propter nonnisi critico tempore aut incidente, aut etiam declinante, ad tonica et corticem adeo Peruvianum deveniendum esse, scitote, quem non nisi sero tolerare aegrotantes experiemini. Quo nomine redarguendus est, quem antea citavi, Michellius, a quo nimis cito hoc remedium aegrotantibus praescriptum nimisque large medicis commendatum videmus. Is enim tempestive propinare corticem illum jubet ac monet, tutam et certam febrium catarrhalium curationem fieri vires aegrotantium, praemissis leniter solventibus atque evacuantibus remediis, sustentando per corticem; quod quidem praeceptum alii merito carpunt, nec mihi mirifice

placet, quia tunc demum profuisse hanc medicinam aegrotantibus expertus sum, postquam largi erupissent sudores, pulsibus simul decrescentibus labentibusque viribus, ad crisin illam absolvendam imparibus; quo tempore mihi contigit, tempestivo largoque et corticis Peruviani et vini Rhenani usu, naturam deficientem ita erigere, ut e certamine morbo superior recesserit.

DE PERIPNEUMONIA NOTHA.

Ad febrim mucosam nonnulli referunt, ad catarrhum alii peripneumoniam notham, quam graphice depinxit Sydenhamus *Opp.* Sect. VI. cap. IV. his verbis: » Hyeme ingruente, at saepius sub ejusdem exitum vereque adhuc nascente, quotannis emergit febris symptomatis peripneumonicis haud paucis conspicua. Paulo habitiores ac crassos prae caeteris adgreditur, virilem aetatem vel adsequutos, vel etiam (quod saepius accidit) praetergressos, liquoribus spirituosis, (vini maxime spiritui) plus aequo addictos. Primo febris insultu nunc incalescit aeger, nunc friget: vertiginosus est, de capitis dolore queritur lancinante, quoties tussis importunius fatigat. Potulenta omnia vomitu rejicit, nunc sine tussi, nunc illa vexatus. Urina turbida cernitur et rubens intense. Sanguis detractus

pleuriticorum sanguinem refert; anhelus saepenumero spiritum crebro ac celeriter ducit. Si moneatur, ut tussim provocet, haud aliter dolet caput, ac si in partes mox dissiliret (qua loquendi formula aegri ut plurimum utuntur). Dolet et thorax omnis, vel saltem pulmonum coarctatio adstantium auribus percipitur, quoties tussit aeger, pulmone non se satis dilatante, praeclusis adeo ab intumescentia, ut videtur, meatibus vitalibus; unde intercepta circulatione sanguineque quasi praefocato, nulla fere, praesertim in habitioribus, febris indicia sunt."

Hanc peripneumoniae speciem, Sydenhamum secutus, in Aphorismis tetigit pariter Boerhaavius, §. 867 sqq. subjiciens, fallaci lenitate opprimere nec opinantes: quippe levi fatigatione, debilitate, prostrato omni fere animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipientem adeo leves motus excitare, ut vix caloris febrisve indicia moneant periculi: mox vagas horripilationes adesse et leviusculos febris insultus; unde subito, crescente anhelitu et debilitate, mortem accedere, cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit praesagium. Ejusdem mentionem fecit Huxhamus, qui peripneumoniam veram et notham tantum inter se differre perhibet, quantum febris ardens a lenta nervosa, atque excitari posse in virgine chlorotica, quando insigni et diu continuato motu agitetur, quo pulmones ejus tam gravantur, ut ingente spirandi difficulta-

te, immo plenaria quoque suffocatione corripiatur, idque revera aliquoties accidere, propter exercitium nimis auctum.

Circa curationem monet Sydenhamus, venaesectionem saepe repetitam haud ferre ejusmodi aegros ideoque catharsin crebriorem huic substituisse diebusque a purgatione vacuis dedisse remedia pectoralia, oleosa. Similiter Huxhamus, magnam cautionem praecipit in sanguine detrahendo, si pulsus debilis, aestus naturali non multo major, urina pallida, cruda: inde enim sanguinem prodire aut laxum, tenuem, et floridum, aut obscure lividum, neque corio crasso, et viscido tectum; aegrotum subito prosterni multoque fieri debiliorem post talem evacuationem, quanquam is tunc temporis, quod ad anxietatem et pondus relevari videatur. Praeterea febres catarrhales multoque minus peripneumoniam notham sanguinis largiorem haud perferre detractionem. Verum ab altera parte medicamentis calidioribus et stimulantibus in morbi principiis maxima cum cautione utendum esse; alias non pectoris oppressionem solum multum augeri, sed facile quoque ad coma excitari proclivitatem. Eapropter, sanguine aliquo antea detracto, lene vomitorium ex vino antimoniali suo utile praedicat. Deinde vesicantia sive nuchae, sive cruribus, femoribus, seu pectori imposita alvique purgationem, rarissime repetendam. Tandem pectoralia cum vino albo, interdum crocum, pulv. contra-

jervae, camphoram, sp. volat. oleos, lac. ammoniac., oxym. squillit, quibus medicamentis qua ratione et quem in gradum uti possimus, varius aestus, febris, difficultas spirandi, pulsus et sanguinis constitutio definient.

Quaeritur, qualis sit haec peripneumonia? Est e genere catarrhi, sive potius bronchitis, quae vel phlegmatorrhagia, vel oedemate pulmonum suffocat: de quo catarrho suffocativo senum conferatis Laennec, quaeque supra de inflammatione mucosae pulmonalis notavimus Part. I. pag. 224 sq. Emetica, subemetica, antimonialia, oxymel scilliticum, decoct. rad. polyg. senegae huic catarrho oppugnando maxime idonea sunt, qui si in phlogisticam magis diathesin inclinet, venaesectione atque antiphlogistica, aut subantiphlogistica melius medicina curabitur.

» Multi, ita Huxhamus de hoc morbo ejusque therapeia disserens, sunt gradus intermedii inter peripneumoniam veram et notham, quapropter nunc magis, nunc minus inflammatorius est, alia aliaque ratione curandus. Primo, siquidem opus sit, vena secanda ac caute, nec nisi dyspnoea urgeant ac coma, ad illud auxilii genus revertendum est. Tunc enema injiciendum et si alvus non respondeat, quotidie repetendum est. Huic subjungenda pectoralia, solventia, expectorantia: hb. heder. terrestr., hyssopi officin., rad. glyzyrrh., cum oxym., sal am-

mon., vin ipecac. vin. stibiat, kerm. min., tart. emet. refr. dosi, ad anatharsin promovendam, aliquando nulla phlogosi sputisque suppressis, vomitum lenem ciendi consilio. Alvi dejectiones, utut salutares, non tamen nimiae, aut nimis repetitae requiruntur, sique inflammatoria conditio sublata fuerit, utiliter decoctis pectoralibus vini albi mitis tantillum adjicitur. Derivandi fine vesicantia, sinapismi, pectori, nuchae, femoribus admovenda partesque frigidae pannis e lana calidis fricandae. Quodsi corpus senile, phlegmaticum inque paralysin vergat malum, rad. polyg. seneg. inf. fl. arn., oxym. scillit. sp. c. cerv. similibusque utendum, sin diaphoresis promovenda, camphora et sp. Minder. sudores movebunt. In malo provectiore multiplex est camphorae, uti in febribus pituitosis, utilitas. Morbo sublato pulmones lichene Islandico, aut aquis martialibus, Pyrmontana v. c., firmandi sunt.

DE FEBRE NERVOSA.

Ordo tertius febrium in Sellii systemate inscribitur *atactae* easque complectitur, quae typum constantem non habent, neque continuum, neque remittentem, neque intermittentem. Vox ἄτακτος, inordinatus, ab Asclepiadis Cois usurpata (*Coac* 24.) de

febre dicitur mali moris et atro carbone notatur (*). Hujus atactarum ordinis character, a SELLIO positus, hic est: *magna atque praeternaturalis partium irritabilitas et sensilitas. Febris inordinata, nec continens, neque regulariter remittens. Symptomata nervosa nec inter se, neque causis manifestis respondentia.* Is hoc loco, cavendum esse monet, ne febres, in quibus symptomata nervorum aegrotantium deprehenduntur, ad febres atactas nervosas continuo referamus: ex mera enim symptomatum nervosorum facie nihil ad febris naturam concludi posse citatque ROBERTUM WHYTT, subtilem illum doctrinae Stahlianae contra HALLERUM vindicem, hujus definitionis suae patronum. Hic, postquam animadverterat, omnes morbos quodam sensu affectiones nervorum posse vocari, quia in omnibus nervi quodammodo laeduntur, haec adjecit: » *however those desorders may peculiarly deser-* » *ve the name of nervous, which, on account of an* » *unusual delicacy, or unnatural state of the ner-* » *ves, are produced by causes, which in people of* » *a sound constitution, would either have no such* » *effects, or at least in a much less degree.*

(*) Τριτοφυέα ῥίγεα ἢν ἐν μέσῳ παροξυνόμενα πυρετῷ ἀτάκτῳ πανὺ κακοήθεα.

Spectat hoc Aesculapii Coi oraculum febres semitertianas, in quibus haec ordinis perturbatio damnatur.

Sellium in his secutus est pyretologiae ad analysin revocatae auctor Pinellius; eatenus, quatenus servavit ac sancivit quasi febrium atactarum nomen notatque, etsi historia symptomatum harum febrium tam varia sit, ut fere recusare videatur horum symptomatum interpretationem, tamen cadaverum sectionem magis aptam esse ad rem illustrandam: hanc vero nisi prudenter et mente ab opinionibus praejudicatis libera colatur, alterum fieri errorum et praestigiorum fontem. Quae certe medici philosophi verba deinceps multis videbimus argumentis confirmata.

Duplex hujus febris distinguitur ab auctoribus varietas: altera nervosa acuta, altera nervosa lenta dicitur. Illam nervosam versatilem dixit Frankius atque ita descripsit: » vix a recepta morbi caussa, vel post aliquot ab hac ipsa dies, aegrotus plumbeam mox artuum lassitudinem et torporem pusillanimis, morosus tristisque persentit, suspirat, interdum lacrymatur. Vidimus tamen qui loquaces insolito et cum risu cantuque alto citissime hoc ex morbo perierunt; alios qui lecto tardius affixi, per plures dies erecti et cum morbo luctantes incidebant, aut de virium jactura vix multum querebantur; horrores vagis caloribus intercurrentes, lumborum, articulationum, capitis dolores, vertigines, hebetudo, praecordiorum temporumque pulsationes, nausea, vomituritio, sudores nocturni succedunt. Magna vero in omnibus contradictio: a motu, vel

jam a sola corporis erectione, sine praegressis evacuationibus, deliquia; et arteriis licet exilibus tardisve, aut parum citioribus, contractis tensisque tacita et interdum furiosa deliria, quae alias sub febre quam maxime conspicua, vel minime comparent; cum jactationibus, vigiliis, soporibus mixta erumpunt. Oculorum splendor imminutus; aut fulgent unique objecto fixi inhaerent, dolent, punguntur, trahuntur bulbi; manuum tremor et concussio levis, vox acuta, vel rauca, lingua albescens, aut sicca, cum siti perpauca, vel et liquidorum aversione, aut et horrore; vel denique naturalis et tremula: screatio, sputatio frequens, spumosa; urinae multae, pellucidae, aquosae, lacteae, aut denique furfuraceae, alvus nunc tarda, nunc, cum ipsis urinis, involuntaria. Interdum violens abdominis dolor, dysuria, dysentericus fluxus cum gangraena intestinorum. Aurium sensus nunc obtusus, nunc acutissimus; respiratio anxia, suspiriosa, aut difficilis. Pulsuum sub morbi decursu variabilitas summa: ut arteriae nunc satis plenae, atque aequales, post brevem moram exiles, vacillantes, intermittentes, sub digitis vix non evanescant. Interim sub moderato cutis calore, aut sudor copiosus, aut siccitas pergamena: cum vario exanthemate, peticulari, miliari, jam sub ipso morbi principio, aut incertis temporibus efflorescente. Aut denique periculosa ex naribus, utero, renibus, intestinis haemorrhagia; aut vibices lividaeque cutis maculae,

aut ad inguina, axillas bubones, ad aurem parotis, aut ad oris cavum ulcuscula foeda, nigrescentia comparent. Interdum praegresso violentissimo ad hanc vel illam corporis partem dolore, post paucas horas rubor, livedo, gangraena sphacelusque in conspectum prodit. In genere vix quarta, vel septima morbi transacta die, extrema jam virium prostratio, leipothymiae frequentes, convulsio, tetanus, sudores viscidi, frigidi, anxietas magna, perdifficilis respiratio. Subinde, nec ullo sese quod medentis attentionem feriret manifestante symptomate, mors improvisa scenam claudit. Qui vero hac ex febre vel per auctam cutis tunc mollescentis et vaporosae transpirationem lenesque sudores, vel per abscessum, vel modo minus patente saluti restituuntur, illi per longum tempus amissas vix recuperare queunt vires ac mente non minus, quam corpore diutius tabescunt, praeteritorum cum difficultate recordantur et fatuitate quadam amicos, restitutis viribus sponte cessatura, terrent."

In hac descriptione Frankius cum febris nervosae symptomatibus quaedam febris putridae symptomata conjunxit: hanc enim ex febrium cohorte expulserat; qualia sunt haemorrhagiae, petechiae, vibices, bubones, parotides, gangraenae, quae ab aliis ad putridam febrem pertinere censentur, a quorum sententia tantopere abest ille, ut ipsam pestem febrium nervosarum castris includat.

Id utrum recte, an secus ab illo factum sit, hac-

tenus nondum perquirere possumus.

Altera febris nervosae varietas appellatur nervosa lenta ejusque descriptio laudatur Huxhami, quam quo facilius utriusque forma comparari a vobis possit, continuo tradam.

» Aegrotus in principio aliquo modo fit piger et levem persentiscit horrorem ac tumorem, cum errante repentino calore et universalis languoris specie, simili illi, qui post magnam sentitur defatigationem: haec semper comitantur tarditas, aut abjectio animi et major vel minor capitis gravedo, dolor, aut vertigo; quae subito sequitur nausea et omnium rerum taedium, sine insigni aliqua siti, haud raro vero cum vomendi conatibus, licet praeter phlegma insipidum parum rejiciatur. Etsi autem remissionum intervalla interdum per aliquot horas intercedunt, majori tamen cum vehementia, inprimis versus noctem recurrunt symptomata: caput majori pondere, vel vertigine afficitur, calor increscit, pulsus fit celerior, ast debilis, cum spiritus trahendi difficultate. Capitis partem posteriorem saepius afficit torpor, vel dolor obtusus et frigoris sensus atque haud raro in vertice, ad suturae coronariae longitudinem, sentitur gravis dolor; hunc illumque in capitis parte posteriore generalim comitantur febres nervosae illumque excipit quoddam delirium. Quo in rerum statu saepius per quinque aut sex dies cum languida, pallida ac tristi facie permanet aegrotus, qui non adeo aegrotare vide-

tur, nec tamen valet; inquietus et anxius est ac licet nonnumquam admodum somnolentus et languidus sit, omni tamen plerumque destituitur somno; quamquam vero adstantibus revera dormire videatur, prorsus tamen hoc non sentit seque ita agere negat. Pulsus per omne hoc temporis spatium est celer, debilis, inaequalis, nonnunquam formicans, nonnunquam per nonnulla minuta lentus, immo intermittens atque tunc cum repentino oris rubore statim fit celerior, ac hunc fortasse mox excipit mirum in modum quietus et aequalis; et ita haec variant. Calor et horror quoque sunt incerti et inaequales; interdum genae rubent, dum nares et aures frigent ac pars capitis anterior eodem tempore sudore madet frigido. Quid quod saepissime fieri solet, ut insignis oris rubor et calor observetur, quum partes frigeant extremae. Urina plerumque est pallida, saepius vino ad colorem vel cerevisiae secundariae similis, ex qua vel nihil, vel parum subsidet, vel id quod subsidet, est quaedam materia levis, furfuri similis, inaequaliter dispersa. Lingua in principio raro, aut nunquam sicca, vel discolor, interdum vero tenui, albicante muco est obtecta; tandem ea quidem saepius arida, rubra, et fissa, aut corticis malorum aurantiorum colore apparet; hoc autem plerumque in ipso morbi statu, aut ejus fine fieri solet; quam arida vero lingua et oris labra esse videntur, nihilo secius aeger vix unquam de siti, etsi interdum de linguae calore

conqueritur. Circa septimum, aut octavum diem vertigo, dolor, aut gravedo capitis magis increscunt, cum perpetuo susurro, aut aurium tinnitu, qui aegrotum valde turbat et haud raro delirium excitat. Praecordiorum pondus, anxietas, languor magis urgent, ita ut aegroti vero animi afficiantur deliquio; quando se inprimis erigere tentant, sudor frigidus subito in fronte et manuum dorso erumpit (quamquam eodem tempore genae palmaeque manuum nimio aestu ardent) et subito iterum disparet. Quodsi nunc urina redditur pallidior et limpidior, simul cum tremore universali et tendinum subsultu certissime expectari potest delirium. Delirium hoc raro est violentum, sed quasi mentis actionumque videtur esse confusio, cum perpetuo sibi ipsis obmurmurent et inter verba desipiant: nonnunquam tantum expergiscunt perturbati et confusi et subito sui sunt memores, sed mox in obmurmurationem et somniculosum iterum recidunt statum. Lingua saepius in morbi statu, speciatim pars ejus media, fit admodum arida, luteo cum margine in utroque latere atque si aeger eam ex ore emittere tentat, valde tremit. Si quando lingua eo tempore fit humidior et sputum accedit copiosum, signum semper est optimum. Ast ubi deglutiendi difficultas, perpetui ructus vel pectoris supervenit constrictio, symptoma est valde periculosum, si praecipua haec comitantur singultus. Circa nonum, decimum, aut undecimum diem uno impetu saepius

profusus erumpit sudor isque in partibus corporis extremis plerumque frigidus et viscidus: dejectiones alvinae tenuiores saepius eliminantur; utraque vero generatim sunt colliquativa et valde debilitant. Nihilominus cutis calida et humida in genere est salutaris atque diarrhoea moderata saepius delirium et ad coma proclivitatem tollit. Nunc cito decrescit natura, partes extremae fiunt frigidae, ungues pallidi, vel lividi, pulsus arteriarum magis obtremiscit et sub digitis repit, quam illos ferit, cum impulsus adeo debiles sint et celeres, ut vix distingui queant: licet interdum mirum in modum lentus repat et saepissime intermittat. Aegrotus omnibus sensibus orbatus fit stupidus, acutissimo clamore et clarissimo lumine vix afficitur, licet in principio horum impressio ipsum mire excitaret. Delirium nunc profundius finitur comate, a quo subito oritur somnus aeternus. Alvi dejectiones, urina et lacrymae invite profluentes etiam denuntiant dissolutionem, prouti insignis tremor et subsultus sunt praesagia universalis convulsionis, quae uno impetu vitae disrumpit filum. Hoc vel illo modo aegroti e vivis tolluntur, postquam per quatuordecim, quindecim, aut sedecim dies, immo interdum multo diutius oblanguerunt.

Sub morbi finem surdi et stupidi fiunt omnes aegroti (nonnulli summe surdi) licet in principio nimis essent irritabiles, ita ut lenissimus sonus et lucis radius eos valde afficeret. Quidam prae ti-

more nimio mortem accelerare videntur, ubi sub initium parum apparebat periculi: immo quidam somnum capere vix audent ob vanum timorem, ne in aeternum prolabantur; et quidam ob ingentem perturbationem, anxietatem atque confusionem, quibus in somno vel experrecti irritantur. Ubi cum aurium abscessu finitur surditas, bonum generatim est symptoma et tale quoque observatur, quando parotis suppurat; aut pustulae multae circa labia et nares erumpunt. Febrium lentarum et nervosarum haec est descriptio; quae symptomata eo ordine, quo naturaliter accedere solent, retuli."

Sunt qui putent, in hac descriptione non simplicem nervosam verum complicatam illam cum mucosa febre depinxisse Huxhamum: de qua re postea forsitan quid statui poterit: atque notandum interim, in praxi utplurimum unum cum altero genere junctum cerni ac multiplices esse saepiusque lenes unius generis in alterum transitus.

Cum hac arcto cognationis vinculo cohaeret *typhus contagiosus*, quem libro peculiari interpretatus est Jo. Valent. Nobilis ab Hildenbrand, vir clar. Dixit propriam febris speciem, non aliter ac variolae, contagione propagatam atque constanti cutis efflorescentia ad febres exanthematicas pertinentem, quorsum febres contagiosae universe pertinent, suo decursu suisque stadiis insignem cujusque symptoma pathognomonicum est stupor, cum delirio, sive typhomania. Individuus belli ejusque calami-

tatum comes (*typhus bellicus*) etiam in castris, carceribus, nosocomiis crebro saeviens (*typhus castrensis*, *carcerarius*, *nosocomialis*). Post symptomata prodroma, universalia cumque aliis morbis communia invadit cum horrore intercurrente calore, anxietate animique magna imbecillitate. Sequitur stadium inflammatorium: calor febrilis, sitis magna, vertigo, vomitus et reliqua tum catarrhi, tum inflammatoriae febris symptomata: rubor oculorum, temulentia capitis, signa catarrhi et peripneumoniae, tensio hypochondrii dextri, dedolatio et contracturae spasticae artuum magnaque animi inertia, pigritia, hebetudo, epistaxis, cutis maculae rubrae et sudamina, subinde petechiae, aut parotides; haec primi septenarii symptomata sunt. Jam stadium nervosum ingreditur morbus idque die octavo, aucto primum calore febrili, lingua hucusque humida et cutis omnis sicca ardetque, evanescit exanthema: laeditur deglutitio nares fuliginosae fiunt, desinunt symptomata pectoris, verum ea singultus excipit, dolent intestina, inflammantur, ventrisque notatur meteorismus, urina pallida, vix turbida, varia tamen, ac perquam varius et mutabilis pulsus. Vires notabiliter decrescunt: motus musculorum incompositi fiunt, tremuli, convulsivi, sensus sunt hebetes fereque pereunt, dum coma vigil et typhomania increscunt ac vulgo monomania aegrum tenere videtur, hoc animi habitu somnambulis similem. Caeterum doloris omnisque pathema-

tis expers, est semper tanquam vino gravis obdormiscens. Ad finem diei decimi exacerbatio, quam undecimo remissio sequitur, sub leni sudore, alvo, et urinis crebris; duodecimo vero, aut decimo tertio nova exacerbatione auctoque statu nervoso discussa, quam tandem corpore humescente, sub cutis madore aliisve secretionibus, aut narium haemorrhagia, expectoratione, sudoribus, alvo criticis, die utplurimum decimo quarto, aut subinde decimo septimo morbi excipit decrementum, nec tamen subitaneum illud, sed lentum. Aeger tanquam ex somnio aut ebrietate evigilat sensimque redeunt sensus rerumque praeteritarum memoria et conscientia sui animique affectus et mores ac musculorum vigor actionumque corporis aequilibrium, et appetitus, et somnus naturalis: quae conditio paene septem alios dies post crisin superest, eoque exacto tempore pedetentim in convalescentiam transit, quam ubi superaverit aeger, tanquam ex metamorphosi novam vitam ingressus videtur.

Ab hoc decursu saepius deflectit morbus, propter corporis aegri conditionem, genium epidemicum, rerumque externarum aliam aliamque potestatem, unde inflammatoria magis, vel gastrica, vel putrida fit complicatio, quam etiam medendi ratio vel nimis debilitans, vel nimis incitans, vel errores in victu facere possunt. Nec desunt exempla, tam levem fuisse morbum ut intra temulentiam quandam ventrisque vix molestos dolores res tota consistat: quod et

circa pestem ipsam a medicis observatum est. Caeterum, quemadmodum ex contagio nascitur, ita illud huic contagio peculiare videtur, ut efficacitate venenis narcoticis quam simillimum sit.

Habetis febris nervosae imagines a principibus in arte viris: Frankio, Huxhamo, Hildenbrandtio expressas. Quas cum veterum febris phreniticae historiis si comparo, mirum mihi reperisse videor utriusque analogiam ac dubito, an vera quidem eorum sententia sit, qui novum esse hoc febris nervosae genus perhibent. Nam ut medicinae sacrae graecorum monumenta taceam, Prorrheticum et Praenotiones Coacas, quorum laconica brevitas vetat exactum de ea re ferre judicium, mecum, amabo, inspicite Hippocratis scripta germana, in quibus pares invenietis febrium depictas formas. Vultisne exemplum? En casum febris nervosae acutae versatilis Frankii! *Chrestom. Hipp.* pag. 162 sq. vers. latin.

Dealcis uxorem in Thaso, quae in Plano decumbebat, febris, horroris sensu insignis et acuta prehendit. Ab initio autem pannis contegebatur et ad finem usque semper taciturna fuit; manibus palpabat, evellebat, scalpebat, floccos legebat, lachrymas fundebat, moxque ridebat, somnum non capiebat, alvus irritata nihil demittebat, parum nec nisi commonefacta bibebat. Urinae tenues et paucae erant, febres ad manus contactum leves apparebant, summa corporis frigescebant. Nono die

multum deliravit ac mox composita fuit et taciturna. Decimo quarto spiratio rara, magna, longo tempore tenuit rursusque brevis. Decimo septimo irritatione turbulenta commota est alvus, deinceps potus ipsi transibant, neque consistebant. Omnium sensum perdiderat, cutis erat distenta et arida. Vigesimo multum obloquebatur ac mox composita fuit, vox defecit et brevem spiritum trahebat. Primo et vigesimo defuncta est. Huic perpetuo ad finem usque spiratio rara et magna aderat, nihil omnino sentiebat, semper pannis contegebatur, aut sermones multos fundebat, aut fere usque taciturna erat.

En alterum exemplum nervosae lentae HUXHAMI, sive typhi!

Clazomenius, qui ad Phrynichidae puteum decumbebat, vehementi febre correptus est. Per exordia ex capite, cervice, lumbis dolere coepit, confestim surditas invasit, neque somni aderant: febris acuta prehendit. Praecordia in tumorem sublata sunt, neque valde contensa. Lingua arida. Die 4°. sub noctem deliravit; 5°. cum molestia exasperata sunt omnia. Ad 11um vero aliquantulum remiserunt. Alvus ab initio ad 14um usque multa, tenuia, aquae similia transmittebat; quod ad dejectiones attinet, commode habebat, deinde alvus suppressa est. Urinae per totum morbum tenues quidem, boni tamen coloris erant et sublime quiddam in medio innatans multum, nonnihil dispersum habebant, neque subsidebant. Ad 16um paullo cras-

siores urinas reddidit, quibus paulum inerat sedimenti, nonnihil allevatus est meliusque mente constabat; 17° rursus tenues profluxerunt. Secundum utramque aurem tumor cum dolore subortus est; somni non aderant, delirabat, crurum dolore vexabatur. D. 20. judicatione a febre vindicatus est; non sudavit omninoque ad intelligentiam rediit. Circa 27um vehemens coxendicis dolor obortus statimque sedatus est; quae autem ad aures erant tubercula neque conquiescebant, neque suppurabant, verum dolebant. Ad 31um ex alvi profluvio aquosa excrementa multa, et simul, qualia in dysenteria esse solent, prodierunt; crassas urinas reddidit: tubercula circa aures conquieverunt. Circa 40um vero oculi dextri dolor subortus est, hebetior visus fuit, constitit.

Hujus quoque loci est historia febris ardentis phreniticae Epid: III. Sect. II. (*Chrestom. Hipp.* pag. 154 sqq. vers. lat.) Erat autem febrium ardentium, quae obvenerant, constitutio hujusmodi. Per initia sopore detinebantur, cum stomachi fastidio et horroris sensu; febris acuta; neque magnopere sitiebant, aut delirabant. Ex naribus paucus stillavit sanguis. Plurimos accessiones diebus paribus invadebant. Atque sub ipsas accessiones oblivio, membrorum exsolutio et vocis defectio contingebant. His quidem pedes summi et manus frigidiores evadebant multoque maxime circa accessiones; deinde vero lente, nec probe recalescebant

rursusque ad intelligentiam redibant et loquebantur. Eos autem aut perpetuus sopor non somnolentus detinebat, aut vigiliae cum laboribus. Horum plerisque alvus retrimentis crudis, tenuibus, multis turbabatur. Urinae multae, tenues, neque judicatorii, neque boni quid habebant. Neque aliud quidquam in ita affectis decernebat. Neque enim rite sanguis e naribus profluebat, neque aliud quicquam eorum, quae abscedere nata sunt. Judicatione tentabatur moriebaturque unusquisque, uti sors ferebat, vago et incerto ordine, plerumque circa judicationes, quidam vero longius producti, cum vocis defectione, nonnulli etiam cum sudoribus. Quae quidem his, qui perniciose haberent, contingebant. Quin et similia phreniticis fiebant. Atque hi omnino sine siti erant. Neque phreniticorum quisquam vehementer insanivit, sicut in caeteris usu venire solet, sed ex mala alia quadam et languida in somnum degravatione graviter peribant.

In his animadvertite typhomaniam, quae peculiaris maxime nervosae lentae ac typhi character est, disertis verbis ab Hippocrate expressam illamque una cum ataxia, quae febrium esse nervosi generis deprehenditur.

Pinellius in medicina clinica complures notavit febrium atactarum historias, earumque nonnullis addidit extispicia. Haec eo nomine conveniebant cuncta, ut in cranii cavea detegerentur manifesta aut irritationis, aut inflammationis indicia. Est ve-

ro circa ipsas monendum, de quibusdam jure dubitari posse, utrum hujus sint loci. Nam inter eas cadaverum sectorum relationes offendimus primo historiam mulieris quadragenariae a biennio hemiplegicae; in cujus cerebri ventriculis, praesertim sinistro repertum est serum effusum quaeque si suppares casus a LALLEMANDO descriptos cogito, ipsam cerebri substantiam procul dubio habuit emollitam. Hemiplegica quoque fuit anus ac praeterea jam dudum arthritica, cujus cerebri ventriculi pariter copioso sero turgebant cujusque cerebri medullam, quamvis ejus nulla mentio facta sit, omnem sanam et integram fuisse, vix crediderim. Neque omni valetudinis laesione caruisse credo feminam melancholicam, ex febre lenta nervosa mortuam, in cujus cerebri ventriculos, ut in aliis, serum effusum erat: nihilque praeter id adnotatum est, inque omnibus ex febre cephalica, quae quarta febrium atactarum species PINELLIO dicitur, mortuis praeter unam, quae ex cerebri haemorrhagia perierat, pares offenduntur effusiones serosae, in cerebri ventriculis praesertim.

Mortem apoplecticam in typho contagioso maxime vulgarem esse vitae finem, testatur HILDENBRANDTIUS eamque esse ex apoplexia humorali, humoribus cerebri medullam nervorumque origines opprimentibus, aut ex cerebri ejusve meningum inflammatione, quod primo, inflammatorio typhi stadio accidit crebro in plethoricis, methodo meden-

di nimium stimulante adhibita, rem indicantibus repertis in cadavere cerebri congestionibus, aut haemorrhagiis; aut ex congestione tantum, quam eaedem in cadavere indicant notae; aut ex metatasi in cerebrum facta, quod in cadavere lenis cerebri turgor manifestat; aut ex suppuratione, quam post mortem abscessus in capite patefacit; aut ex hydrope acuto, sive hydrocephalo ventriculorum cerebri, propter serum effusum; saepius vero ex apoplexia nervosa, morbi stadio nervoso eoque provecto, post febris exacerbationem, propter nervorum repentinam resolutionem, nulla manifesta in cadavere relicta mortis caussa: quidam in hoc casu cerebri emollitionem praetendunt.

In alios morbos transire: inflammationes, glandularum tumores, abscessus, gangraenam animadvertit is, quem saepius laudavimus, Hildenbrand l. l. pag. 162 sqq.

Iis, quae hoc loco protulimus, extispiciis efficitur, encephalum ejusve meninges crebro manifestas ostendisse inflammationis notas: unde recentiorum nata opinio est, febres nervosas nihil aliud esse, nisi harum partium inflammationes: ex harum autem numero esse praecipue febres nervosas acutas, atactas, versatiles; lentas contra esse enteritides folliculosas, quorsum etiam typhos revocant, quos tamen alii ita distinguunt, ut eorum duas species faciant: alteram *abdominalem*, *cerebralem* alteram.

Agite videamus, quodnam horum auctorum opinionibus statuendum sit pretium.

Ex eorum numero, qui hanc opinionem acriter defendunt, citandus est Cl. Bouillaud. Is in rei testimonium profert observationes numero *quinque*, quarum prima phrenitidis fuit, quemadmodum indicarunt tum caussae a catameniis et plethora, tum mors, quarto die, tum gravia post mortem detecta cerebri et meningum inflammatarum vestigia. Adolescentuli casus enteritidis folliculosae potius, quam phrenitidis fuit: saltem hanc secundariam fuisse, declarabant in mortui corpore visa. Secundaria pariter fuit in observatione tertia et quarta et quinta, ex gangraena perinaei sive phlegmone urinosa, quae dicitur. His igitur observationibus nullatenus confecta res est. Quapropter ad alios nos transferamus, antequam nostrum interponamus judicium.

Secundum observationes, quas retulit celeb. Louis, signa injectionis et congestionis cerebralis erant eo magis crebra et manifesta, quo citior mors: contrarium contigit respectu infiltrationis arachnoideae, effusionis seri in ventriculos laterales et emollitionis cerebri. Eadem fuit, eodem teste, conditio cerebri in delirantibus et non delirantibus, ita ut exinde hujus symptomatis explicatio duci non posset.

Observatio 36. symptomata obfert febris atactae, quamobrem hoc loco commemoranda videtur.

Sutor 22 ann. natus post varia symptomata pro-

droma cephalalgiam sat gravem, punctiones oculorum, tinnitus aurium, vertigines caet. in Nosocomium exceptus die 5 morbi, cernebatur vultu rubro, hebetiori, oculis lacrymantibus, subrubris, dolentibus, somnolentia per intervalla, subsultu tendinum, lingua rubra, humida: inde delirium, clamores, cantus, vociferatio, convulsiones, pulsus tremulus, mors. In capite color roseus, subcaeruleus substantiae corticalis cerebri, cerebelli, corporum striatorum et rhomboidalium, sine contextus mutatione. In ileo glandularum Peyeri inflammationes, ulcerationes; glandulae mesenterii pari modo affectae; gastromalacia.

Hoc loco notat auctor, in hac quoque morbi forma, febris scil. atactae, a febre typhoidea deflectente, laesionem principem mutationem glandularum ilei eandem fuisse, atque in reliquis casibus prius propositis.

Eadem circa laesionem cerebri ejusque meningum docuere observationes viri clar. Chomel atque unicus casus febris atactae lethalis, cujus meminit, enteritidis folliculosae obtulit manifesta indicia, cerebro integro, ut obtulit casus, qui sequitur, febris lentae, nervosae obs. 36. et obs. 37, quae sub nomine febris typhoideae, adynamicae describitur. Similia etiam Andrallii observationes monstrarunt morbi vestigia, in quarum secunda Tom. I. symptomata febris atactae animadversa sunt, ac post mortem, quae die sexto accidit, idem intestino-

rum, nullum cerebri vitium: nec dispar fuit febrium adynamicarum ratio, quarum numerosos retulit casus, ut eadem laesio anatomica dissimillimas febrium formas comitari videatur.

Cernitis igitur o Amici! a cerebro ejusque membranis inflammatis perperam repeti febrium atactarum a reliquis discrimen. Nam etsi non desint cerebri irritati signa atque in aliis serum in cranii cavo, in aliis sanguis aut congestus, aut effusus, in aliis major cerebri durities, in aliis emollitio naturali major reperta dicatur, hoc tamen nequaquam perpetuum est; verum maxime constans, ex recentiorum saltem animadversione febrium nervosarum character anatomicus post mortem detectus enteritis folliculosa esse videtur. Cavete tamen, credatis hanc harum febrium caussam esse. Nam neque semper praesto est, neque constanter febris ejusque symptomatum rationem sequitur, ut hoc ei desit, quod ad caussarum requisita primo quodam loco recte retulit Verulamius, ut effectus iiscum etiam majori et minori quanto consentiant. Quod autem nonnulli perhibuerunt, esse jam initio febris, sexto scil., septimo, aut octavo die visas has folliculorum in ileo intumescentias, nonne idem de aliis exanthematibus constat, de variolis v. c., quae tertio febris die erumpere solent, quin tamen alicui in mentem venit, variolas febris caussas adpellare. Et quoniam variolarum a nobis facta mentio est, nonne ex analogia suspicari lice-

ret, quemadmodum in illis sanguis contagio gravis febrim suscitat, sic in nervosis etiam atactis, adynamicis, typhosis febribus sanguinem aliquam subiisse mutationem, a miasmate, contagio, aëre vivendique genere, eumque sic alienatum et cor irritare et cerebrum nervosque et in glandulis Peyeri proprium excitare exanthema, praesertim si faeces hoc loco haerentes ac neglecta cutis intestinalis a sordibus purgatio huic exanthemati nascendo novam opportunitatem praebuerint? Nonne haec saltem probabilior recentiorum hypothesi est, qua enteritidem folliculosam tanquam communem febrium nervosarum fontem habent ac reliqua quaevis nervorum aegrotantium symptomata a consensu repetunt? Verum haec mittentes ad alia et quidem cum ad praesagia, tum ad auxilia harum febrium explicanda nos convertimus.

Praesagia eadem sunt, quae febrium universe, jam bene exposita illa ab Asclepiadis et Hippocrate. Mala sunt facies prospere valentium suique ipsius dissimillima, oculi lucem refugientes, praeter voluntatem illachrymantes, alter altero minor, aut rubens adnata, aut palpebrae lividae, aut sordes circa oculorum aciem, aut eorum aspectus squalidus minimeque lucidus, aut siquid per somnum ex oculis subappareat. Praeterea decubitus sive supinus, sive declivis, sive in ventrem, manibus cruribusque inaequaliter dispersis et nudis, et ex lecto resurgere velle, et somnus sive nullus seu pomeri-

dianus, sive laborem faciens, et dentium stridor et carphologia, aut crocodismus, et sudores frigidi ac topici, et dyspnoea, et anaudia, et deliria praesertim fractis viribus, et convulsiones, corpore praeter rationem imbecillo. Quas si ad naturae fidem expressas cognoscere aveatis, legite quaeso ac relegite Prognosticum illud Hippocraticum, artis observandi Graecorum monumentum aere perennius, cumque eo conferte Praenotiones Coacas et Aphorismos.

Universe autem notandum, quo major ataxia nervorum, quo graviores turbae, aegrotantis vultus et habitus et mores quo magis a prospere valentium ipsiusque aegrotantis norma ac typo sanitatis recesserint, eo gravius reputandum esse periculum: delirium, stuporem, soporem, cerebri, convulsiones, spasmos, paralyses spinalis medullae nervorumque affectus accusare ac medicum neurologiae peritum oculis et mente nervorum posse aegrotantium turbas sequi, morbo aliam aliamque regni nervorum partem invadente, qui postquam nervi vagi, quem κατ' ἐξοχην vitalem vitaeque custodem adpellaverunt, provinciam tenuerit, id quod vocis, deglutitionis, respirationis laesiones declarabunt, mortem foras pulsare, sciendum est. Reputanti, quae optima sit harum febrium medendi ratio, in mentem venit praeclara vox senis ὠφελεειν ἠ μὴ βλαπτειν. Nam vix gravius peccant medici, quam ubi his febribus curandis manum admoveant ac quemadmo-

dum alii sanguinis jactura intempestiva damnum irreparabile inferunt, sic alii stimulantia quaevis larga manu profundentes internum incendium augent. Horum eo periculosior error est, quo magis populo placet, cui febris nervosa et virium imbecillitas habentur synonyma. Ergone deliria illa credo et clamores et vociferationes et convulsiones et spasmi virium sunt deficientium signa? Ergone equum fraena impatientem calcaribus cohibere conabimur? Quot ex perversa hac ratione vidi ac dolui aegrotantium funera! Equidem usu et experientia didici, nihil magis prodesse in hoc febrium genere, quam mite ac lene genus medicinae, julapium refrigerans ex aceto vini, multa aqua dilutum, aut elixirio acido Halleri; et adultiori morbo viribusque vere deficientibus, et vinum et camphoram prudenter, nec larga nimis manu porrecta.

Huic curtae remediorum vere utilium supellectili si addatis capitis, cutis lotiones, illiusque fomenta frigida ac crurum pedumque sinapismos, rubefacientia, vesicantia, fortunate magis medebimini, quam aliorum vel sanguinaria, vel incendiaria methodo. Nec dispar typhi curandi modus est, qui uti initio, renisus tempore, praeter refrigerantia, in plethoricis praesertim capitisque congestione, sanguinis depletione topica eget per hirudines, capiti admovendas, ita exitu, tempore collapsus demum et vinum fert et camphoram, utrumque tamen a perito prudentique medico praescribendum. Interim

proderit tempestive aqua pura frigida pauxillo acceti admixto cutem utramque abluere, aut acido hydrochlorico diluto et potus et lotionis et enematis forma adhibito interni exanthematis efflorescentiam cohibere sanguinisque crasin emendare.

Ad hanc leniorem medicinam commendandam utile erit memorasse, saepenumero solius naturae beneficio morbum sanatum esse eosque medicos, qui aliam curandi viam inierunt, sive sanguinem detrahendo, sive nervos stimulando, parum profecisse.

Nimirum ex relatione viri doct. Louis neque sanguinis detractiones, neque remediorum tonicorum usus multum profuerunt. Laudat quidem celeb. Bouillaud methodum per venaesectiones largas easque repetitas, nec tamen rerum testimonia profert, quae verbis fidem faciant. Contra fatetur vir clar. Chomel, sibi nullam medicinam plus emolumenti attulisse, quam chlorureti solutionem forma potulenti, enematis, lotionis adhibitam atque testatur, cum alio medicinae genere uteretur, tertiam partem aegrotantium periisse; hac vero curandi ratione sextum tantummodo aegrum morbo interemptum esse. Se pariter in febre typhoïdea gravi eodem hoc remedio usum esse indeque manifestam vidisse omnium symptomatum emendationem morbique sanationem, confitetur Andral. Quibus auctorum Francicorum testimoniis Hufelandi etiam Germani testimonium adjungere oportet, cum in typho ab-

dominali, tum in febre nervosa simplici acid. muriat. oxygen. ante alia celebrantis et commendantis.

Reliqua remedia, quae vocantur, nervosa tironibus commendare non audeo, siquidem a veteranis etiam adhibita mihi universe nocuisse magis, quam juvasse visa sint, neque ipse eorum parem laudibus virtutem deprehenderim.

Multi distinguunt inter curationem nervosae versatilis et nervosae lentae. In illa, cui subest nervorum erethismus, sedandum esse, primo lenioribus, tum opiatis, quibus alii sunt, qui rectius *acetat. morphii* substituunt: in hac, quam nervorum narcosis comitatur, esse excitandum idque auctis semper stimulorum numero et gradu. Quae distinctio et perspicua certe et facilis: minus perspicua tamen in nervosa erethica quis a stimuli defectu sit atque inanitione erethismus, quis contra a stimuli excessu et irritatione: minusque facilis in nervosa torpida narcoseos a virium oppressione ab ea a virium vera infirmitate distinctio. Nam status erethicus interdum alimento, status narcoticus interdum depletione feliciter tolli poterit, ut in versatili decocto albo, in lenta ac torpida sanguinis detractione, derivatione, revulsione medicus turbatum in corpore aequilibrium restituat memoresque esse oporteat artis professores praecepti Hippocratici: ὡς χρὴ διαγινώσκειν τὰς ἀσθενείας ἐν τῇσι νούσοισιν. Quamobrem praestaret in casu dubio aut nihil agere, aut seniorem aliquem prudentemque medicum in con-

silium vocare, quam temere agendo nocere. An igitur nunquam nervinis remediis neque sedantibus in erethica, neque excitantibus in narcotica, aut torpida morbi specie uti licebit? An nullius pretii habenda est tot virorum doctorum nervinam hanc methodum laudantium experientia? Arduum est, ad has quaestiones respondere. Verum illud universe monendum est, et in hac febre naturam saepius turbis illis motibusque aequilibrium virium restituisse sibique suffecisse, sine artis, aut medici auxilio, saepius revellentibus derivantibusque tempestive adhibitis rem absolvi, eoque minus a remediis nervinis expectari posse, quo magis cor et genus vasorum in mali societatem venerint i. e. quo magis morbus febrilis fuerit: tunc tantum cum spe successus admoveri ea remedia posse, cum summa vis morbi nervorum genere contineatur i. e. cum ad neurosin simplicem, puram inclinet, ita ut eandem legem in his rite curandis statuamus, quam in curandis intermittentibus per corticem mox statuemus: unde et cur initio minus recte nervina praebeantur et cur deficiente cordis vasorumque renisu tantopere prosint, perspicitur. Huic stadio nervoso, quod Hildenbrandtio quintum dicitur, adcommodata esse nervina, ipse monet (l. l. pag. 201 sqq.) ex quibus praeter vesicantia suris admota, palmaria nuncupat camphoram et arnicae flores. Hoc igitur tempore hanc febrem, prius exanthematicam eamque subinflammatoriam in neuro-

sium castra se recipere harumque curationem admittere existimate, ita tamen, ut ex hujus viri praecepto ea seligantur nervina, quae characteri febris inflammatorio exanthematico, qualis prius fuit, nec prorsus repugnent, neque eundem resuscitare valeant; quo quidem praecepto, si aliquem sensum habiturum sit, summam in his nervinis adhibendis cautionem atque prudentiam medicis commendasse eum censemus.

Haec sunt, quae recentiorum observatio de hoc febrium genere docuerit, parum apta illa fateor ad earum naturam, quam quaerimus bene indagandam, verum ea tamen, unde aliquid profecisse nos putaverim. Primo enim, quaecunque demum sit harum febrium respectu formarum discrepantia, charactere anatomico tamen quadantenus consentire videntur, quandoquidem nulla alia laesio crebrior in mortuorum corporibus deprehensa dicitur, quam exanthema illud intestinale, quod morbi caussam minus, quam ejusdem in corpore vestigium habuerim.

Reputantibus autem, in aliis febribus exanthematicis, ex sanguinis affectione morbum provenire inque cutis affectionem desinere, videbitur vobis idem, quod mihi, ea ante alias probabilis conjectura, sanguinem esse harum febrium fontem, cujus mutata crasi cor primo, deinde genus nervorum irritatur: unde facilius longe, quam ex abdominis inflammatione, quae Gallorum, aut nervorum consentien-

tium aegritudine, quae Germanorum sententia est, varia isthaec ac mutabilis morbi facies simulque et certus decursus, nullis auxiliis abrumpendus et fortunata magis per acida curatio intelliguntur. Quidquid igitur sanguinem corrigere ac emendare valeat: potus aquae frigidae, aquae Selteranae, acidula, acida, praesertim acetum vini et acid. muriat. dilut., crebra aëris, lectuli, vestium renovatio, diaetae ac munditiei praecipue cura, enemata, cutis lotiones, balnea, illud omne ad salutem conferre plurimum, tenebitis.

Quae cum ita sint, ad eum in primis finem artem derigere oportebit, ut naturae sanguinis crasin emendare conanti feratis opem cunctaque amoveatis horum moliminum naturalium impedimenta: quod quicunque faciant, eos non multum a vero aberrare arbitror.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Cogitanti mihi resque veteres memoria repetenti, nihil videtur magis pyretologiae conditionem mutasse, quam corticis Peruviani ad febres impugnandas cognita vis atque efficacitas. Quod ut intelligatis, sinite me in ea vos traducere tempora, quibus hoc remedium in Europam advectum ac pervulgatum est.

Haec qualia fuerint, vel ex hujus aetatis comico immortali MOLIERIO discite:

Qui quid sit, pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

GALENUS scilicet in scholis et mentibus medicorum regnabat; hujus in verba jurare, huic obsequi, hunc colere hujusque ad placita omnem artem regere solebant medici. Erat autem GALENUS iste rerum medicarum tunc temporis dominus, non magnus ille magni HIPPOCRATIS interpres, non Romanorum ille medicus, arte prognostica et diagnostica clarus omniumque aequalium facile princeps; sed perpusillus aliquis et ridiculus ludimagister, qualem fecerant Arabes medici et Arabistae mediique aevi infantia. Ad hujus pyretologiam humoralem cum humoralis pariter praxis esset composita, quae omnis in corpore a pravo sanguine, bile, pituita, atra bile purgando sollicita versabatur, ecce remedium ex America adfertur, quod miraculi adinstar corpus a febre liberat, nulla crisi, nullaque humorum facta evacuatione. Tum alii medicorum rem mirari, haesitare alii dubitareque, alii stomachari, ut cujusque mens ferebat. Indignum facinus, remedium esse, quod neque humores purgans, neque qualitatibus primis secundisve excellens, febrim tollere sustineat ratione anti-Galenica. Tum ut fit, remedium calumniari, febrium crebras recidivas, immo quidquid mali postea ac-

ciderct aegro, chinae imputare veteris praxeos patroni coeperunt eoque nonnulli devenerunt dementiae, ut corticem potantibus intra septem annos moriendum esse, indixerint. Nec medicorum vulgus duntaxat tanto in corticem hunc odio ferebatur, verum etiam principes in arte viri inque iis Bernardinus ille Ramazzini Constitutionum Epidemicarum Mutinensium eximius scriptor, qui quem vir juvenis magno in pretio habuerat corticem, eundem senex octogenarius damnavit. Atque is forsitan ex aetate ad veterem orthodoxiam relapsus. Haud immerito tamen de abusu chinae chinae mota a medicis querela est. Quandoquidem alii, qui mos est hominum, ipsam laudibus extollere, novam febrium fingere theoriam cunctisque fere unum esse venenum hujusque commune in cortice haberi antidotum, probare conati sunt. Nempe protheiformem esse febrium indolem hasque crebro sub aliarum valetudinum larva delitescere istasque larvatas non alio atque veraces et candidas modo tractandas esse. Hujus duplicis haereseos praecipuus auctor fuit Richardus Morton, magnus magni Sydenhami aequalis et aemulus, cujus quidem auctoritate factum est, ut corticis et febrium corticem ferentium dominium longe latiusque, quam par est, pateret omnisque hic locus pyretologiae obscuraretur plurimum ac neque intermittentis notio, nec corticis potestas suis jam finibus circumscriberetur. Utrumque emendare remque restituere tenta-

vit Franciscus Torti, medicorum Italiae practicorum sui temporis decus, cujus *Therapeutice Specialis ad febres periodicas perniciosas* non tantum has ipsas, verum omnem febrium intermittentium doctrinam corticisque virtutem febrifugam complectitur: quocirca hunc vobis auctorem de his febribus legendum vehementer commendo idque eo magis, quoniam non Galeni, sed alterius auctoritas viri harum febrium curationem legitimam incertiorem longe reddidit, quam Torti aetate erat; neque hercle optandum est, ut medicinae, cujus in aliis partibus miramur et laetamur progressus, in hac parte motus retrogrados doleamus. Quare mecum o Amici! rem ab initio repetite: sic enim operae pretium facturi sumus, quandoquidem hae febres inter endemios patriae morbos principem locum tenent ac potiorem partem efficiunt morborum febrilium homines nostros adficientium.

Hippocrates, ab hoc enim auctore ordiendum est, quoties nobis adcuratam optamus morborum acutorum doctrinam, Hippocrates observando didicerat, febres typi ratione distinguere, sive ordinis, quem decursus et accessionum lege servant: alias scil. esse, quae continuo corpus prehendant, alias quae aliquamdiu intermittant, hasque intermittentes sive διαλειποντες vocavit. Uti omnis medicina Hippocratica prognostica fuit, sic hac distinctione potissimum usus est, ut ad προνοῖαν proficeret. Hoc consilio animadvertit sedulo intermissio-

nis atque quietis tempora. Nempe in aliis brevior est intermissio, in aliis longior. Sunt qui quotidie prehendant, sunt qui tertio demum, aut quarto die. Haec, quartanam dicunt, omnium longissima quidem, sed simul placidissima ei ac securissima habetur, siquidem non tantum per se talem existere, verum etiam a magnis malis corpus liberare didicerat. Contra ubi confunderentur paroxysmi ac quasi confluerent, maxime lethales expertus erat: nisi denuo intermitterent: tunc enim periculo vacare.

Praeterea quandam observaverat febrem hujus census tertio quoque die revertentem, et brevem illam et expertem discriminis; observaverant pridem Asclepiadae, illius avi et proavi ac tertianam exquisitam nuncupaverant, sponte sua, 5°, 7°, aut 9°, paroxysmo desinentem: quam traditionem avitam ita interpretatus est HIPPOCRATES, ut septimum paroxysmum tanquam judicationis tempus legitimum definiret, a quo vel ultra vel citra deflectens, aut 5°, aut 9°. paroxysmo terminatur.

Atque hisce tanquam principia prima posuit doctrinae febrium intermittentium, a posteris perficiendae. Qui tamen ab HIPPOCRATIS simplicitate nativa remotiores, neque ejus mentem capere, neque observationes rite interpretari cum noverant, ipsa, quam ultimo loco memoravi observatione ita abusi sunt, ut quod ille de uno tantum casu adfirmaverat, hi ad omnes omnino casus traducerent

crederentque Hippocratem decrevisse, intermissionem in febribus esse signum securitatis inque hoc ejus decreto acquiescerent.

Ex intermittentibus unam esse vidimus, quae ab Hippocrate τριταῖος ἀκριβὴς, *tertiana exquisita*, adpellatur, quamque septem periodis judicari, animadverterat. Haec quum in sua specie tanquam perfectissima proponitur et reliquis mitior et omnis compositionis expers ideoque simplicior habetur, quidni hujus primo nobis imaginem informemus.

Descripsit eam eleganti et compto sermone Jodoc. Lommius, his quidem verbis. » Protinus ab initio perque omnem febris decursum cum ipsa accessione rigor tertio quoque die invadit pungens et corpus quasi vulnerans, tametsi sola interdum sit refrigeratio, ubi levior scilicet morbus est. Sub rigoris finem biliosus sequitur vomitus, vel certe soluta alvus. Tum calor toto corpore accendi incipit, aeger prae vehementi aestu corpus nudat varieque dejicit. Idem difficulter spirat et capite dolet, nec raro etiam delirat. Pulsus ut primum incepit accessio, contractus parvusque est: mox vehemens et validus et celer nec inaequalis, nisi id forte parum fit. Urina subtenuis, flava, aut flammea est malique odoris. Accessio copiosis ortis sudoribus finitur, septem fere horis absoluta. Sed discrimina quaedam ponere operae pretium est, quibus discriminibus dissidere haec febris a caeteris intermittentibus solet. Ergo ubi ardens fe-

bris orta est, aut continuarum demum aliqua, sentit utique injecta corpori manus magis magisque calorem increscere: at in tertiana non sentit, hic enim aequalis calor subest, qui interdum sub ipsa mitescit manu. Quin etiam tertiana intermittens singulis accessionibus primo rigorem, dein sudorem exhibet, continua vero utroque hoc (nisi cum judicatione solvitur) caret. Adhaec in tertiana intermittente rigor et vehemens esse incipit et cito cessat, primis accessionibus maximus, sequentibus autem magis ac magis mitescens: contrarium autem quartanae accidit. Circuitus etiam accessionum maxime ad constituendum febris genus valet. Ubi tertiana exquisita est, diebus quatuordecim absolvitur. Esse autem exquisita solet in juvene, cujus natura calida et sicca est quique media forte aestate sub fervido coelo vigiliis, vel laboribus, vel curis aliisque aerumnis exercitus multum fuit (*). Ubi haec desunt, ibi notha confit tertiana, quae longior est, neque aeque vehementes habet ardores, neque sudores aeque copiosos, ut exquisita fundit. In notha etiam nullus est anticipantium, aut cunctantium accessionum certus ordo, rigor item minus quidem vehemens, at diuturnior est, non aequabiliter totum occupans corpus: quaeli-

(*) Haec cohaerere videntur cum Galenica febris tertianae theoria, de qua deinceps sermo erit.

bet accessio multo longius horis quatuordecim aegros tenet. Ipse morbus nunquam septimo circuitu, raro quarto decimo, saepe longiore spatio solvitur." Hisce signis addidit BURSERIUS, horis matutinis potius, quam vespertinis exacerbari noctemque futurae accessioni praeviam insomnem reddere atque irrequietam. Caeterum eam duntaxat exquisitam tertianam vocavit GALENUS cujus paroxysmus intra duodecim horarum spatium contineretur.

Sub nomine tertianae exquisitae a PETRO FORESTO nostrate describitur sequens morbi, ex quo ipse decubuit, casus. » Anno 1550. in principio mensis Junii cum tempus valde calidum esset ac impense circa aegros curandos ipse laborassem, vigiliis, curis et sollicitudine plus aequo occupatus in tertianam veram et intermittentem lapsus sum. Solet enim tertiana in biliosioribus natura corporibus evenire, vigenti aetate. Sic ego satis macilentus et biliosus, rarae texturae, annorum 33, in hanc febrim incidebam. Adjuvabat et tempus aestivum et similis aëris constitutio, vita etiam laboribus, vigiliis, curis, intentis cogitationibus dedita. Talia enim corpora ad hanc febrim magis exposita sunt, quemadmodum et illa, quae siccis regionibus et calidis inhabitant, solisque fervoribus, cibis potionibusque calidis siccisque subjecta sunt. Statim itaque ab ipso principio rigorem sentiebam, postea etiam in singulis accessibus, ac si rigor ille carnem punxisset et vulnerasset: pulsuum exactus erat or-

do et aequalitas; qui tamen pulsus ad vehementiam et magnitudinem excitabatur. In vigore haec febris sitim invehebat, calorem adeo vehementem, ut exuri me existimarem vestesque abjicere conatus fuerim et frequentem spirationem exsufflationemque veluti flammam sentiens frigidam potandam flagitabam: a potu tamen et ptisana eaque frigida abstinui, donec vapor erumperet. Tam gravis haec febris erat, ut in unoquoque paroxysmo, statu accedente, delirarem. Ex prima accessione percepi tertianam esse ex signis supradictis. Ideo in paroxysmi principio et augmento a somno et potu abstinebam. Die vero sequenti intermissionis post primum paroxysmum ter indie ex julebo sequenti sumpsi: ℞ Acetos. end. cichoreae, vio, lactucae, scariolae ā̄ā̄ m. j. prun. damas. nu. xv. coquantur in sero lactis pro ℥ ix. colaturae addendo syr. viol. ex multiplici infus. ros. de end. ā̄ā̄ ℥ j. m. f. Juleb. Ex quo etiam alvus nonnihil solvebatur. Cibus erat panata vel pomum acidum coctum. Potus cerevisia tenuis tempore intermissionis; tempore febris ptisana ex hordeo mundato et liquiritia parata. Post secundum paroxysmum die quietis hac leniente medicina usus sum: ℞ Flor. Nymphaeae, viol. borag. ā̄ā̄ p. 1. prun. damasc. num. iii. tamarind ℥ β coq. in sero lactis et in ℥ iii β colat. dissolv. diaprun. simpl. cassiae recens tractae. syr. viol. ā̄ā̄ ℥ β misce. Et inde habui sex sedes et valde copiosas ac biliosas. Postea tertius rediit paro-

xysmus et adeo violentus, ut in statu delirarem. Die vero subsequente, nempe quieto, cum urina aliquo modo tincta spectaretur et crassior, ex vena basilica brachii dextri ut unciae quatuor sanguinis mihi extraherentur a chirurgo accito mandavi, cum venas paulo ampliores haberem et sanguine repletas; sed adeo inde debilitabar, ut ex pauca illa sanguinis detractione quasi syncopen praesentirem, nisi chirurgo imperassem, ut venam ilico constringeret. At modico vino rhenano sumpto deliquium animi intercipiebam, ut non fuerim collapsus et syncopen passus. Alteratio tamen illa adeo profuit, ut postea non amplius paroxysmum habuerim, ita ut probe observata victus ratione, eligendo cibos frigidos et non facile alterabiles: ut ptisanam et lactucas coctas, abstinendo a jusculis, in quibus beta cocta esset, quae pravi est succi et flatulenta: ita ut sic tertio paroxysmo uti vera et exacte legitima tertiana intermittens soluta fuerit."

An huic febri a Foresto nomen tertianae exquisitae sive legitimae recte tributum est? An symptomata cum iis supra traditis conveniunt? An solutio talis, qualis tertianae exquisitae esse solet, quae quidem Foresti sententia fuit? Ad has quaestiones vos ipsi, re perpensa, respondebitis. Interim notetis, tertianam exquisitam a Foresto Lommioque haberi morbum aestatis et hominum biliosorum, ex Galeni hypothesi, tertianam a bile re-

petentis; cui hypothesi repugnant tertianae vernales crebro a medicis visae.

A tertiana exquisita differunt, quemadmodum antea Lommii verbis monuimus, reliquae, cum caeteris symptomatibus, tum paroxysmorum productione, tum solutione spontanea deficiente. Ad exquisitam illam proxime accedunt intermit[illegible] vernales, quae Sydenhamo teste saepenumero depuratoriae sunt et salutares, atque hoc etiam nomine ab autumnalibus distare solent. Is scilicet rei epidemicae ab anno 1661. ad annum 1676. Londini observator hanc nobis morborum vernalium et autumnalium diversitatem accuratius cognitam fecit. Nimirum epidemicos quoscunque in duos hos ordines distingui monuit. Vernalium nonnullos mature admodum nasci, exinde increscere, circa aequinoctium vernum ἀκμὴν adepti ab eoque tempore sensim decrescentes circa solstitium aestivum evanescere. In horum numero esse tertianas vernales, quae Februario mense orientes, adpropinquante solstitio aestivo occidunt. Hoc tempore parvum notari numerum aegrotantium, quia intermedium est inter morbos vernales et autumnales, iis jam depulsis, his nondum invadentibus, quod igitur tempus *ferias medicas* complectitur. Autumnalium Augusto mense initium facere choleram, ex eadem cum intermittentibus familia, quae intra hujus unius mensis spatium subsistit. Esse tamen alios eadem tempestate ortos, qui usque ad hyemem ex-

currunt interque ipsos febres quartanas et tertianas autumnales: hosque intra duorum mensium spatium et nomen et naturam epidemicorum deponere prorsusque hyberno frigori mense Decembri aut Januario cedere. Caeterum eo magis epidemicae futurae sunt hae febres, quo citius fuerint natae. Ita, quae anno 1661. maxime grassabantur, autumnales, mense Junio exeunte jam adparebant, quo anno memini, inquit, feminam quandam aedibus meis vicinam primo quartanae suae paroxysmo, ipso scilicet *Johanni festo* correptam fuisse.

Tanti autem faciebat ille utriusque generis distinctionem ut non dubitare se scripserit, quin febres istae tota sua natura differrent: quod tam prognoseos, quam curationis respectu maxime ab eo scriptum putamus. Nam quemadmodum vernales saepenumero salutares et depuratorias esse, sic autumnales crebro in perniciem tendere didicerat: quemadmodum illas benignas cognoverat sponte et brevi non raro abeuntes, ita has refractarias nec nisi artis opere abigendas. Quod utriusque anni temporis characterem peculiarem, ipsis morbis vulgaribus impressum cogitantes, facilius intelligetis.

Typorum ratione vel tertianae sunt, vel quartanae: has genuinam autumni sobolem Sydenhamus nuncupat. Utraeque tum tertianae, tum quartanae autumnales sibi adeo affines ei habentur, ut crebro vices permutare, saltem ad tempus, deprehendantur, mox fortasse ad pristinum genus redituræ.

Sed tertianae vernales quartanarium typum nunquam induunt. » Autumnalium quod attinet curationem, nemo est, sic ille hoc loco subjecit, in hac arte vel mediocriter versatus, qui nesciat, quam parum votis respondeant methodi istae omnes, quae huic medicorum opprobrio eluendo hactenus destinantur, si solum corticem Peruvianum excipiamus. Usque adeo necessaria est haec distinctio, ut nisi eandem in praxi sedulo contemplemur, neque de earum duratione, prognostico aliquo rite facto, rite pronuntiare, neque commodo regimine aegrorum corpora curare poterimus, habita tum tempestatum, tum naturae febrium diversae ratione."

Utilem profecto praestitit operam SYDENHAMUS, hanc nobis intermittentium vernalium et autumnalium discrepantiam perquirendo. Nos autem hac distinctione ne abutamur memoria recolentes, quae jam pridem praeceperat COUS senex: tales expectandos esse morbos, qualis tempestas aërisque constitutio fuerint, ita ut non solum anni tempus spectandum sit, verum etiam tempestas aëris, prouti vel minus, vel magis naturae suae respondeat. Nihilominus praestabit, prius regulas perceptas habere, quam regularum exceptiones, ne confusam acquiramus atque inconditam rerum notitiam. Id autem ante omnia spectavit SYDENHAMUS, ut qua lege epidemiarum fieret ortus et occasus quaeque sit constitutionum quotannis recurrentium vicissi-

tudo indagaret. Ad quod quidem praeclarum Sydenhami consilium omnis ipsius legitima interpretatio traducenda est.

Hunc, quem maximi faciebat, in tradenda intermittentium historia, ut in aliis quam plurimis, Boerhaavius noster secutus est *Aphor.* 746—769, cujus descriptio in autumnales maxime convenire videtur. Est autem hujusmodi.

» Incipiunt cum oscitatione, pandiculatione, lassitudine, debilitate frigore, horrore, rigore tremore, pallore (livore) extremorum, respiratione difficillima, anxietate, nausea, vomitu, pulsu citato, debili, parvo, siti maxima. Haec prout majora pluraque simul, eo febris pejor atque in subsequente tempore calor et caetera symptomata pejora; urina tum utplurimum est cruda et tenuis.

Incisa cadavera mortuorum in primo hoc stadio post anhelitus, suspiria, ignaviam, monstrarunt sanguinem crassum impactum pulmonibus; semper tum fuerant pulsus parvi, frequentes, inordinati Harv. Exercit. Anat. cap. 16."

Tria sunt, ut videbimus, accessionis, sive paroxysmi febris intermittentis stadia: quorum primum, hoc loco descriptum, ab eo quod praevalet symptomate, stadium *frigoris* adpellatur. Summus videlicet frigoris sensus est ac si gelida perfunderentur artus, pallet vultus, cutis anserina est, livent ungues, nec semper citatus, immo subinde, principio praesertim, tardior pulsus est, ex

Stollii monito (quem conferatis, *Aphor.* 417.) tantoque tremore omne concutitur corpus, ut dentes ad se allisi, notante Swietenio, in quartana gravi ex alveolis excuterentur, tantumque frigus est in senibus potissimum quartana prehensis, ut membra rigeant flecti nescia. Hoc autem stadium est ipsius morbi invadentis, uti quod sequitur vitae renitentis est: quocirca qui ex hac febre pereunt seniores, hoc tempore perire solent, praecipientibus Sydenhamo, Swietenio, Hoffmanno (*), Harvaeo: quorum hic quaenam in corporibus mortuorum ex hac febre deprehenderit, supra indicatum est.

Adtendite quaeso, quae, Boerhaavio duce, contemplati sumus hujus morbi stadii symptomata, eorum dissimilia prorsus esse, quae febri purae legitimae, qualis ephemera est, aut synochus, adjudicavimus, neque auctam esse circulationem, verum tardiorem contra, immo potius impeditam plurimum cohibitamque. Numquid aliud et frigus isthoc et extremorum pallor et livor unguium et spirandi molestiae et pulsus debilis, parvus et deficiens turgor et memorata Harvaei extispicia testantur, quam stagnantem in venis sanguinem torpentesque cordis motus? Quid igitur? An febrem esse hanc dicamus, quae nulla habeat febris prius traditae indicia, an vero febris notionem antea indagatam

(*) Casum vid. ap. Hoffmannum Opp. Tom. II.

mittemus aliamque nobis informabimus? An licebit communi febris nomine valetudines tam diversas, et continuam illam et hanc intermittentem nuncupare? Sane res est in deliberationem vocanda. Verum deliberabimus mox. Ante vero, quam ea de re statuatur, omnem morbum cognoscere cupimus: quamobrem persequamur et pergamus, eodem duce, tradere morbi historiam.

» Frigoris stadium sequitur alterum, in quo calor, rubor, respiratio magna, fortis, liberior, anxietas minor, pulsus major, validior, sitis magna, dolor artuum, capitis gravis; urina plerumque rubra."

Incidimus in ea, quae paullo ante desiderabamus, febris symptomata: calorem, ruborem, pulsum auctum; urinam rubram caet. Manifestum cernimus renisum vitalem: unde calor, rubor, spiratio valida, pulsus magnus fortisque, urina rubra, quae conditionem phlogisticam aut subinflammatoriam denotant generisque vasorum irritationem. Etiam, quae molestat aegrum cephalalgia, plethorica est, ex sanguine in cerebrum congesto, quapropter junioribus, sanguineis, irritabilibus saepenumero delirium oboritur.

» Tum ultimo, sic pergit Boerhaavius *Aph.* 751, ingens plerumque sudor, remissio omnium symptomatum, urina crassa, sedimento lateritio, somnus, apyrexia, lassitudo, debilitas."

Hoc quidem sudoris stadium dicitur estque ac-

cessionis tempus criticum. Scilicet intermittentis paroxysmus, si parva febris dici haberique debeat, crisi terminabitur, quae crisis cadit in tempus sudoris. Tunc enim cuncta et singula praesto sunt criseos verae indicia: sudor universalis, cum symptomatum remissione morbique levamine, urina simul critica, hypostasi sive sedimento, lateri contuso simili, parva denique pellicula, vasis, quo continetur, lateribus adhaerente. Urinam illam lateritiam signum habuit SYDENHAMUS intermittentium pathognomonicum, quo etiam latentes se detexisse fatetur (*Epist. resp. I.* pag. 387.) Circa quod viri summi placitum animadvertere oportet, non in omni intermittente talem urinam cerni. Nam in vernali, aut tertiana exquisita urinam subruffam cum nubecula emitti, docuit SWIETENIUS (*Comment. II.* pag. 517.) Aliquando etiam sedimentum laeve esse, aequale, album, omine fausto, breves fore febres indicante, notavit GALENUS. Neque ab initio intermittentium semper observatur, sed post graviores demum ipsarum paroxysmos.

A sudore superest languor, debilitas, lassitudo, indicio crisi non penitus devictum esse morbum, contra quam in ephemera fieri, antea notabamus, ubi crisin continuo sequitur sanitas.

Talis jam paroxysmus, qualem BOERHAAVII verbis descripsimus, sive quotidie revertitur, quae quotidianae febris ratio est, sive unius diei spatio interposito, qualis tertianae, sive post bidui quie-

tem, qualis quartanae typus est. Nec raro multiplicantur paroxysmi, ita quidem ut v. c. tertiana quovis die redeat, paroxysmis alternis sibi respondentibus, tam symptomatum, quam temporis respectu. Quae distinctio utilis fieri et necessaria potest, quia quotidiana febris v. c. a tertiana solet differre, priorque magis ad chronicam accedere indolem, quae quartanarum est. Praeterea duplicium, triplicium et duplicatarum febrium auctores meminerunt atque *duplices* a *duplicatis* ita discernunt, ut in his uno die duae notentur accessiones. Tertianas, quartanas duplices saepius vidi et quotidianam per accidens duplicatam, dum aeger, ipso incipiente sudore, imprudens lecto exiisset. Caeterum, quo major paroxysmorum compositio est, eo difficilior morbi curatio eoque facilior in typum continuum transitus. Solent autem tunc, paroxysmo leviori discusso, priusquam solvantur illae febres, ex duplicibus, aut duplicatis simplices fieri.

Reliquae typi varietates, etiamsi rarissimae, aliquando tamen sunt visae et notatae, de quibus Cff. Swietenius *Comment. ad Aphor.* 746. et Burserius *Instit. Med. Pract.* Tom. I. pag. 141 sqq. menstruae, quae in puellis observantur plethoricis, mobilibus, a febrili catamenia pellendi molimine eique non dispar haemorrhoidalis, saepius ephemerae ac synochi, quam intermittentium erunt similiores: qualis etiam annua est, scilicet ephemera quotannis reversa, quam ex testimonio Caji

Plinii Secundi quotannis perpessus est Antipater Sidonius poëta, qui omnibus annis, uno tantum die natali corripiebatur febre et eo consumptus est satis longa senecta. (*Nat. Hist.* Lib. VIII. cap. 52.)

Eas cunctas varietates typorum, quas verbo attigimus, ita subnasci veteres Galenici opinabantur, ut singulos humores singulas creare putarent: bilem tertianam, pituitam vero quotidianam, bilem atram denique quartanam; quae hypothesis, ut veterem humorum pathologiam redolet, ita siquidem opus esset, vel hac animadversione refutaretur, quod sub diversa et veris et autumni constitutione tertianas militantes observamus, quodque eodem autumni tempore tam tertianae, quam quartanae regnant, nec raro quotidianae ex quartanis fiunt, uno typo in alterum sat brevi tempore transeunte. An igitur nihili putandus est typus? An febres omnis typi sine ullo discrimine omni tempore observantur? Rem aliter se habere didicerat Sydenhamus, qui febrem quartanam vocat autumni sobolem. Immo non tantum caussas, verum signa quoque adeo differre docet Galenus, ut vel in primo ingruentis febris paroxysmo discerni posset, ad quam intermittentium febrium classem pertineret. *Tertianam quidem a quartana, qui primo statim die nescit distinguere, neque omnino medicus est:* inquit. Interim cautos in his medicos esse Swietenius cupit, ne aliquando nimis temerario praesagio una cum arte et artifex ludibrio exponatur.

Nihil enim nociturum, si diagnosis eo usque differatur, donec sequens paroxysmus illam indubitatam fecerit.

Certe non omnes possunt esse Galeni, ut morborum eventum e longinquo praevidere, ut crisium tempora praedicere, ut diagnoses edere ac prognoses valeant, quae divinationes magis, quam medicinae esse rem admirantibus videantur.

Universe interim typus quartanarius febrium longarum esse, ut tertianarius breviorum solet; nec tamen quotidianus brevem febrem praenotat, immo longe magis quartanario, quam tertianario typo adfinis est.

Quodsi autem reduplicentur paroxysmi, ne confundantur ac confluant, timendum est. Quae paroxysmorum reduplicatio, ex Sydenhami conjectura, nonnunquam a morbi magnitudine, ac gravitate, nonnunquam ab aegri provenit imbecillitate: inque hoc casu paroxysmus adventitius primarium sequitur ac simul mitior ac brevior est altero: quin immo ex duabus his caussis sibi invicem adversantibus, forte etiam pendere tam paroxysmorum anticipationem in febre intermittente regulari, quam eorundem postpositionem opinatur. Videlicet interdum citior semper febris accessio, interdum tardior semper ingreditur: illud *anticipare*, hoc *postponere* dixerunt. De qua hypothesi Sydenhamiana postea forsitan melius judicabitis.

Illud hoc loco notetis, reduplicatione et compo-

sitione accessionum ex intermittente fieri posse et fieri crebro continuam. Talem metamorphosin febris epidemicae A. 1661. animadvertit notavitque Sydenhamus. Ipsum audite rem narrantem.

» Anno 1661. febres autumnales intermittentes, quae jam ab aliquot retro annis obtinuerant, de novo vires redintegrabant, tertianae praesertim mali moris initio Julii. Eae quotidie increbrescentes, mense Augusto quam immanissime debacchabantur inque multis locis, correptis fere integris familiis, maximam hominum stragem edebant: dein vero sensim decrescentes, superveniente hyemis frigore, extinctae sunt, perpaucos Octobris mense aggressae. Quae dictae tertianae famulabantur symptomata, illa ab intermittentium tertianarum aliorum annorum symptomatibus his praesertim discriminabantur. Aegri paroxysmus atrocior, lingua magis nigra siccaque, extra paroxysmum apyrexia obscurior, virium et adpetitus prostratio major, major item ad paroxysmum geminandum proclivitas; omnia summatim accedentia immaniora ipseque morbus, quam pro more febrium intermittentium, funestior. Quartanae, rariores licet, febres jam descriptas comitabantur, utrisque vero, primum brumae impetum non sustinentibus, subsecuta est febris continua, ab intermittentium autumnalium genio in hoc tantum abhorrens, quod hic statis temporibus, illa continenter urgebat. Etenim eodem ferme modo

aegrotos adoriebantur, qui utrisque pariter vehementer laborabant. Vomituriebant cum partium externarum siccitate, siti, linguae nigredine et sudoribus sub morbi finem materia morbifica in utrisque promptissime exterminabatur. Quinimmo vel hinc liquebat febrem hanc ad autumnalium intermittentium classem pertinere, quod raro admodum surgente anno compareret. Dicta itaque febris continua intermittentium quasi compendium quoddam et e contra singuli earum paroxysmi compendium hujus mihi videbantur: atque adeo discrimen in hoc maxime versari, quod continuae conceptam simul effervescentiam συνεχως eodemque semper tenore perficerent: intermittentes autem partitis vicibus ac diversis temporibus eadem defungerentur."

Erat igitur haec continua febris ex intermittentium familia, quae propter inflammatoriam sanguinis diathesin ex frigore hyberno in continuitatem abierat. Quocirca hanc ipsius cum intermittentibus adfinitatem animadvertens Sydenhamus utramque comparavit et febrem illam continuam intermittentium quasi compendium quoddam et contra singulos earum paroxysmos compendium hujusce continuae dixit. Ex qua comparatione, deinceps a Boerhaavio, Burserio multisque aliis ad omnes omnino continuas traducta, ea opinio nata vulgataque est, praecipuam, nisi unicam utriusque generis febrium discrepantiam in typo esse positam.

Hoc sensu Burserius. » Profecto, si quis attente considerarit seorsum unamquamque intermittentis febris accessionem et multo manifestiora ejus tempora initii, augmenti et remissionis, imaginem brevissimae et simplicissimae febris, omnibus numeris absolutae, sibi comparabit (*Inst. Med. Pract. I.* Vol. I. §. LXIII.) Eademque mente Boerhaavius antea, primum stadium, frigoris illud, incremento respondere continuarum: alterum, caloris scilicet, ipsorum ἀκμῇ scripserat. Quo loco tamen Swietenius: differre in eo docet, quod in vigore febrium acutarum aequo marte pugnetur et incerto ancipitique eventu: in febribus vero intermittentibus certum esse, quod in hoc paroxysmo natura morbum superabit, cum illi, qui perituri sunt, primo febris stadio extinguantur.

Hoc igitur problema solvendum est, quomodo spectari debeat febris intermittens quaeque hujus sit et continuae febris sive similitudo, sive discrepantia. Hoc sibi problema solvendum proposuit eximius inter Mutinenses medicus Franciscus Torti, ut hoc soluto, quae febres corticem Peruvianum cum admitterent, tum postularent, quae contra prohiberent ac repudiarent, efficeret. Quocirca hunc quoque auctorem vobis notum reddere ac familiarem oportet. Is quidem ad talem tantumque laborem ante alios natus factusque videbatur. Erat nimirum Tortus ex eorum medicorum numero, qui liberalium artium studio ingenium excole-

re amant. Nam et musices et poëseos et medicinae cultu pariter excellens, tam veri, quam pulcri amore ardens alterum altero ita temperavit, ut ille existeret concentus gratissimus, qui certum est sanitatis et corporis et animi testimonium. Virum cognoscite vere liberalem ex ea, quam de arte ipse sua susceperat opinione. » Fateri non pudet (sic de Torto amico scripsit Ludov. Anton. Muratori in illius vitae narratione) Torto in more fuisse (quod et aliis eximiis medicis familiare est) artis suae incertitudinem atque impotentiam praecipue in gravibus plerisque morbis arguere et nonnunquam etiam ridere. Agnoscebat et ille, circulatorii quid inesse cuivis medici munere fungenti, dum ad morbos curandos accitur, quorum vim et pericula fortasse novit, remedia non novit, et fingere interea cogitur, se naturae periclitanti succurrere, quum tamen ab ipsa una natura, si vires adsint, non a suis medicamentis medicus vitae necisque incertus, aegrotantis levamen expectet. Neque hoc obstitit, quo minus in praxi excellentissimus haberetur. Nam quamvis, quid sua ars possit et non possit, probe teneret ejusque imbecillitatem rotundis verbis non raro fateretur, attamen ad aegros accitus tam accurata consideratione pulsum et symptomata, habitum corporis, oculorum, vocis et vel minutissimas praesentis rei circumstantias metiebatur, ut fere semper indolem morbi detegeret et in praesagiendo vix falleretur, et si qua erat ratio sanandi, eam

impigre adhiberet. Qua in re praesto ei semper fuit admiranda ingenii et memoriae velocitas. Nam ubi perspexerat, quali morbo decumbens premeretur et quaeque ad propositum casum animadverterat, singulari agilitate mentis illico recolebat, quid in paribus aegrotorum casibus aut secundi, aut sinistri legisset, aut sibi vel ante annos plures successisset, ut quid in praesentia agendum videretur, decerneret." Verum quod ei famam deinde comparavit eamque magnam et perennem, fuit illius *Therapeutice Specialis ad febres periodicas perniciosas* A. 1712. edita, in qua non tantum has multum illustravit, verumetiam de omni febrium cognitione optime meruit hancque, de qua nunc sermo est, febrium continuarum ab intermittentibus distinctionem, magno ingenii acumine perscrutatus est.

Tortus igitur febres distinxit in continuas, quae typum continuum et intermittentes, quae interposita quietis, sive intermissionis tempora habent. Continuas illas rursus divisit in continuas continentes et continuas quocunque modo remittentes: intermittentes vero in discretas et subintrantes: deinde ex continuis remittentibus atque intermittentibus subintrantibus continuas proportionatas, seu periodicas componi dixit; has partim a continua remittente, partim ab intermittente repetens. » Cum enim, inquit, febris continua proportionata, seu periodica sit revera mediae inter continuam et in-

termittentem naturae habeatque communem cum febre continua continuitatem et cum intermittente rationem periodi, non est extra rem, illam ponere velut tertium quid ex intermittentis et continuae concursu de utriusque natura participans. Ita ex duobus animalibus diversae speciei unum tertium progignitur, haud aliter in febrium genesi febris continua proportionata ex continua simul et intermittente conflata visitur in praxi."

Ex hac a Torto proposita distinctione febris intermittens est vel discreta adeoque legitima, vel est subintrans et notha. Haec dicitur, quando priusquam deficiat unus paroxysmus suapte natura finiendus, subintrat alter, priore nondum soluto, necdum solvendo, sed a solutione magis remoto: quo facto incipit a natura verae intermittentis nonnihil deflectere et lenta quadam metamorphosi in continuam proportionatam mutari idque eo magis continget, quo major est paroxysmorum sese mutuo excipientium commixtio, accedente simul sanguinis diathesi inflammatoria. Hae proportionatae typo certo remissionum constantique insignes, ex subintrantibus et remittentibus natae, in principio suo intermittentibus in progressu continuis et acutis propinquiores, febrium intermittentium adinstar exacerbationibus suis quotidianae, tertianae, quartanae sive simplices, sive duplices existunt. Hisce explicatis ponit tanquam praeceptum, sive regulam universalem, illas febres duntaxat cortice curari

posse, quarum caussa non in sanguine ipso nata est, sed aliunde per intervalla sanguini affunditur, nullasque alias in serie hac occurrere, nisi quae per accidens continuae sunt, ab eadem qua intermittentes origine natae, quorsum etiam referuntur, quae ab intermittentibus vel subintrantibus ortae prius in proportionatas, mox in continentes degenerant. Istae enim, sicuti in puncto suae metamorphoseos solent saepiuscule curari cortice, ita fortasse nonnunquam eodem curari poterunt, postquam in continentes recenter penitus transmutatae fuerint, vigente scilicet in illis aliqua primaevae originis conditione, corrigenda per corticem. De his tantummodo febribus recenter continentibus factis fortasse locutus est SYDENHAMUS, dum post amissam intermissionem vocat nomine maxime continuarum hujus speciei, in quibus cum fructu corticem adhiberi testatur, nisi cardiaca intempestive data continuitatem febri conciliaverint, quo in casu cort. Peruv. nihil quicquam profuisse, plus semel observavit. Ergo minus recte MORTONUS omnes febres non synochos et periodicas vires corticis experiri aeque efficaces atque intermittentes ipsae, contendit.

Universe quo magis ad intermittentium naturam accedant, eo facilius cortice curabiles erunt censendae, dummodo a nullo gravi solidarum partium vitio proveniant: quo vero magis accedant ad naturam continuarum continentium, eo difficilius; cui

ratiocinio ipsa respondet experientia. Mortonus igitur cum omnibus periodicis febribus corticem utilem judicet, Tortus illud de nonnullis duntaxat concedit, nec nisi accurata facta singulorum casuum distinctione: ideoque falso accusatur a pyretologiae physiologicae auctore Boisseau, ac si hoc remedium in omnibus prorsus casibus sine ulla exceptione commendasset (pag. 536): quod quia liber Torti, ut antiquiorum omnium auctorum hac nostra aetate, paucorum in manibus esse coepit, in honorem viri de febrium cognatione optime meriti animadvertendum esse existimavimus.

Itaque febris continua periodica seu proportionata Torto hermaphrodita est, ex continua et intermittente nata atque ex hoc febrium discrimine intelligitur aureum, quod exstat, Sylvii nostri placitum: *aliud quid esse continue febricitare, aliud febre continua laborare.* Scilicet potest quisquam febrire assidue ex febre subintrante per febres intermittentes sibi invicem supervenientes: quae febris ex natura sua intermittens et per accidens tantum continua erit. Ab his distant gradu proportionatae, quae fixam quandam habent continuitatem ex Torti verbis, quam non habent regulariter subintrantes et claram quandam periodi rationem, quam non habent simpliciter continuae remittentes. »Proportionatae, sic pergit, hoc habent perpetuum, ut cum continuitate non levi distincta habeant periodi indicia eaque ordine certo, sive quotidie, sive

alternis diebus, sive per majora intervalla et sive cum anticipatione, sive cum postpositione utplurimum regulari recurrentia, ut periodicarum intermittentium mos est. Immo cum saepissime referant typum tertianae duplicis, manifestus in illis est ejusdem character ad alternam similitudinem exacerbationum, quae fiunt diebus imparibus, ut proinde dubitandum minime, quin ad proportionatam gignendam concurrat tum prava dispositio sanguinis ad aestuandum assidue ex principio seu fermento intrinseco, tum novus adventus alterius fermenti aliunde influentis. Quia vero uni fermento extinguendo par est cortex, alteri vero non item, ea proportionata cortice curabilis est, cui est essentialis periodus et accidentalis continuitas."

Ex subtili hac, nec tamen minus vera et adaequata distinctione TORTUS cum discrimina harum febrium, tum curandi rationem singulis idoneam perspicue admodum et fructuose tradidit.

Nuper hanc, quam tanti fecerat ille, febrium continuarum et intermittentium distinctionem nullam esse contenderunt. Et princeps quidem hujus placiti auctor PINELLIUS in Nosographia philosophica ne locum quidem peculiarem intermittentibus dedit, sed tanquam aliarum spectavit varietatem. Secuti sunt plurimi in Gallia medici, ante alios novae doctrinae professores, hoc nomine PINELLIUM de pathologia optime meritum esse, existimantes

(Cf. Boisseau *Pyretol. Physiol.* cap. XI. pag. 504. Ed. IV.

Itaque investigemus, quaenam sit, experientia teste, intermittentium continuarumque cognatio: an una in alteram transeat, aut altera cum altera in eodem corpore jungatur.

Plures sunt observationes, quae his quaestionibus lucem aliquam adfundunt.

Ex continuis intermittentes fieri Sydenhamus nobis testis est. » Cum praemature, Julio mense v. gr. intermittentes autumnales ingrediuntur atque increbrescunt, inquit, non statim genuinum typum induunt (quod intermittentibus vernalibus quidem solenne est) sed continuas febres ita per omnia imitantur, ut nisi castigatissimo utrasque examine trutinaveris, ab invicem discriminari non possint: at retuso paulisper constitutionis impetu et fraenata vi, jam in typum regularem migrant, atque exeunte autumno, larva abjecta, intermittentes se esse, quales ab initio reapse fuerunt, se palam fatentur, sive quartanae illae fuerint, sive tertianae, quod si non diligenter animadverterimus, cum magno aegrorum nostrorum malo medicantes hallucinabimur, dum hujusmodi febres, quae ex intermittentium numero sunt, pro continuis veris et genuinis habeantur." Huc quoque spectant Aphorismi Hippocr. 43. S. IV. et 62 S. VII, probantes febrium continuarum tertianarum transitum in intermittentes. Etiam intermittentes perfectas

discretas, calore nimio aut incitatione quacunque exacerbatas in acutas transire plenas discriminis, observatio est. Id fieri monuerat SYDENHAMUS, si aegri lecto incarcerentur, vel calidis remediis harum febrium cura tentaretur; sicque plures, cerebro affecto, ex his febribus in continuas vergentibus periisse; simulque cavere jusserat, ne sudores pellentibus remediis exacerbarentur, praecipue quamdiu certum typum nondum induissent, in continuitatis vicinia adhuc haerentes. Alio autem loco notaverat, si sudor ille, qui intermittentium paroxysmum claudere solet, ultra modum promoveatur, dum aeger lectulo jugiter affigitur, continuam febrem accendi. » Ex dictis autem satis adparet, ita in haec SYDENHAMI loca commentatur SWIETENIUS, calori nimio et motui nimis excitato illam mutationem intermittentium in continuas tribuendam esse. Sic virgini tertiana laboranti consilium dabatur, ut magnam satis copiam spiritus vini et piper contritum cum calida cerevisia sumeret, unde tertiana febris in continuam violentissimam mutabatur, in qua per plures dies delirabat, redeunte denuo tertiana, dum acuta continua cessaverat, sed admodum inordinata cum pessimis symptomatibus et pertinacissima. Quartanam verno tempore calidissimis remediis tractatam in pleuritidem saevam transiisse vidi: non autem quartana manebat, dum pleuritis simul aderat, uti in illo casu, in Comment. ad §. 738. memorato fiebat, sed quar-

tanae paroxysmus post assumpta calidissima remedia, non desinebat in apyrexiam, sed in pleuritidem mutabatur." Casus autem cujus hoc loco SWIETENIUS recordatur, perquam notabilis ille, dignus est, quem vobiscum communicem. Is igitur, postquam circa febris intermittentis cum tertiana connubium a veteribus commemoratum scripserat, illud nec sibi prorsus iucognitum esse, » mira forte videbitur, sic pergit, multis et vix credibilis complicatio, qua distinctae adeo febris species simul unitae decurrerent, neque se mutuo turbarent: sed vidi hominem quartana laborantem, pleuritide valida correptum fuisse, quam febris acuta inflammatoria comitabatur; interim toto hujus pleuritidis decursu, quartana febris typum suum servans stato tempore adoriebatur, nec novo morbo hoc adveniente, nec venaesectionibus aliisve remediis ad pleuritidem adhibitis turbata."

Agite jam videamus, utrum ex his casibus aliquid circa harum febrium analogiam aut discrepantiam possimus efficere. Continuae mutantur in intermittentes, intermittentes in continuas ipsasque phlogoses, quidni utrumque sibi analogum genus solo typo dispar proclamemus! At lente festinate amabo, ne in errorem incidatis.

Primo quaeritur, an continuae illae, ex quibus intermittentes nascuntur, verae sint continuae. Qua de re dubium moveri eo majori jure posset, quoniam diserte monet SYDENHAMUS, circa tempus fe-

brium autumnalium extitisse Julio mense, non vernali tempore cerni, aut alio, quod magis continuarum febrium est et morborum phlogisticorum. Accedit HIPPOCRATIS observatio, una et febres periodicas sive proportionatas TORTI spectans: denique momentum addit curatio per febrifugum intermittentium, cujus prae reliquis continuis capaces sunt, quam primum remissiones paullo manifestiores et longiores fiunt.

Secundo loco quaestio proponitur, utrum continuae sive calore, sive motu, sive calidiori medicina, seu alio quocunque modo ex intermittentibus ortae, omnibus nominibus cum reliquis continuis conveniant. Ad quam quaestionem ita respondendum est, ut discernantur tempora; quae quo remotiora sint ab origine, eo universe continuis erunt similiores, quo minus vero ab origine absint, eo intermittentium erunt propinquiores: immo exempla prostant, quale illud virginis est, apud SWIETENIUM, continuas hasce postea rediisse in castra intermittentium et alia, quo alter SWIETENII casus attinet, in quibus una cum intermittente eodem in corpore inflammatio contubernia habuit, altero morbo alterum non turbante, verum utroque suum constanter cursum servante suaque stadia describente, a quo ne ipsis quidem remediis adhibitis deflecti potuit, aut abduci. Quae igitur observationes minus eorum opinioni, recentiorum maxime favent, qui adfines esse soloque typo dissimiles statuunt.

Sed nova suboritur difficultas, quo tandem modo quibusque signis continuae illae intermittentibus cognatae indicentur. Hanc nobis difficultatem tollet Torti mira in observando sagacitas. Eo igitur praeceptore, quo clarior et manifestior et in suo typo magis regularis observatur periodus, eo magis naturam intermittentis subintrantis ostendet: adeoque si exacerbationes sibi invicem respondeant, typo periodicarum vero et proprio ipsaque exacerbatio non per calorem se prodat, aut somnolentiam capitisque dolorem, aut gravitatem, vel per quandam pulsus elevationem atque plenitudinem sensim obrepentem et potius *in facto esse, quam in fieri* conspicuam, sed per motum aliquem adstantibus ipsis manifestum, nempe vel per frigus aliquod, utut breve ac leve extremorum, aut nasi, vel per horrorem aut horripilationem aliquam, per unguium livorem, per oscitationem, aut pandiculationem, per internam quandam sensationem aurae alicujus aemulam, uno verbo per motionem aliquam motibus intermittentium analogam, in tali casu cortex audacter, caeteris illum coïndicantibus, poterit adhiberi; secus, vel nonnisi cunctanter, si notae febriles sint potius in linea caloris, quam frigoris et eo minus, si irregulariter valde contingant, fere in modum simplicis remittentis. Sed et alia signa nobis praebet ipsa remissio, quae typum periodicum in his saepe exprimit clarius, ac ipsa invasio. Nam si ponamus febrim habere ty-

pum tertianae duplicis, etiamsi una die v. gr. post graviorem exacerbationem remissio sit obscurior, tamen altera clarior adparebit, quae vicissitudo alterna remissionis majoris et minoris est index circuitus subintrantium proprii inque remissione majore conspicua erit pulsuum tranquillitas, calor ad tactum blandus et aliqua utut imperfecta sudoris aut urinae copiosioris excretio. Praeterea et anni tempus notandum est: nam aestate quae oriuntur, ad intermittentes, quae hyeme, ad continuas pertinere solent. Etiam distinguendum est inter eam, quae talis orta est, et eam, quae orta est ab intermittente: in priori casu ad continuam febrem referenda videtur ejusdemque esse originis, in altero contra unam habere communemque cum intermittentibus caussam, diutius nativum servans characterem, cui eadem, quae hisce, respondet medicina. Atque exinde Sydenhami verba intelliguntur: »cum febres quaedam apud nos grassentur, quae etsi post secundum tertiumve paroxysmum reponere se in classem continuarum nitantur, tamen ad intermittentes debeant referri, nulla mihi religio est, corticem in continuis his sumendum proponere, qui dicto modo iteratus ad apyrexiam certo aegrum perducet. Quam primum vero, quamvis inceperit intermittens, omnem jam periodi morem amiserit atque in continentis omnino naturam transierit, inutilis esse solet cortex: dubii etiam usus, ubi febris fuit ab ortu continua, etiamsi

postea manifestior, nonnihil habeat periodi." (Cf. TORTI l. l. pag. 396.)

Intelligitur, in hac diagnosi adumbranda TORTUM adumbrasse speciem intermittentis, quae quamvis obscurata, per continuitatem tamen subapparet, ita ut veste aliena indutus morbus transluceat. Sunt autem ejus lineamenta ducta partim a stadio frigoris, quod in hisce in parvitate cernitur, partim a tempore natali, eodem illo atque intermittentium, quibus ultimo accedit propria curandi methodus. Erunt procul dubio, quibus taediosa videbitur, tanta diagnoseos harum febrium subtilitas. Sciant hi, subtilitatem illam diagnosticam uberrimo compensari fructuum salubrium proventu, neque perniciem ab aegri capitibus averti posse, nisi medicum hi nacti sint, haec subtilis observationis taedia ferentem. In eo id maxime genere harum febrium eminet, quod ut est, ita dicitur perniciosum. Cujus generis cognationem etiam nobis patefaciet TORTUS tot tantorumque bonorum auctor, a quo perniciosae istae nomen traxerunt. Primus, qui de harum perniciosarum diagnosi bene meritus est, fuit LUDOVICUS MERCATUS, duorum Hispaniae Regum Philippi II et III. Archiater. En earum ab ipso traditam historiam generalem! » In febrium genere, quod febres complectitur, tertio die exacerbationem efficientes, perniciosa haec, neque satis vulgata aut cognita febris species, non sine magno laborantium exitio et medi-

corum admiratione, reperitur. Quae sane, ut rarius accidit, ita difficulter noscitur graviusque ob id ipsum invadit et ob ignorationem majorem infert terrorem et admirationem et quod perniciosius est, negligenter curatur. Est itaque perniciosa tertiana febris quaedam, quae simulata tertiani circuitus effigie, lethalis existit, quo vocabulo et simplicem et duplicem intelligimus.

Monstrant quidem tertianam fore perniciosam, gravia quaedam et perniciosa accidentia, quae statim primo accessu necessum est, haesitabundum reddant medicum. Hujus naturae est: laborantis vultus prima accessione cadaverosus, aut nimis tumidus, cum pulsus inaequalitate, parvitate, debilitate, aut interruptione, vel asphyxia. Urina nimis crassa et pravi coloris, inquietudo insolita, anxietas, animi deliquium, exsolutio et frigidi sudores, vel toto accessionis tempore inordinati rigores, difficiles respirationes, deliria, aut somni profunditas, vomitus etiam aeruginosus, paucus, cum gravi nausea et qui non confert, alvi fluxus pinguis, dysentericus, variegatus, aut synceri humoris, ingens totius corporis gravitas, aut inquietudo et sitis, quae nullo potu sedatur: praecipue si haec signa aliaque die quietis aegrum non demittant: sic malum portendit delirium, aut somnus in diem intercalarem protractus, aut hac die languidos esse, inquietos, anxios et siticulosos aegrotantes, aut alio quovis symptomate oppressos,

etsi febris vel levissima, vel nulla appareat et rigorem vigente febre superesse, perniciosum censemus; aut rigoris tempore corpus sudare, vel sudando frigere, animo linqui et plurimum vexari. Quae sane omnia diligenti animo expendat medicus oportet, ut discat primo accessu, quantum mali affectio minari possit."

Atque haec generalis est harum febrium tradita a MERCATO historia, quam deinceps singularum specierum descriptione complevit, qua quum ipsum longe superavit FRANCISCUS TORTI, palmarius de his febribus auctor, jam sequitur, ut hujus etiam auctoris de iisdem observata commemoremus.

Duas earum species fecit TORTUS: alteram *subcontinuam*, alteram *comitatam*. Prior hoc auctore existit, quando febris intermittens, nullo licet praecipite stipata symptomate, pluribus tamen aliis sibique impropriis paulatim afficitur accidentibus, qualibus febres auctae malignaeque solent utplurimum, insigniri, ac propterea ipsa de intermittente in continuam acutam migrat. Altera, si perseveranter quidem intermittat efferamque suam naturam tantum prodat immani quopiam et peculiari symptomate febrilem paroxysmum comitante, cujus ferociam exitialem minime tollit intermedia quies. Prior igitur subcontinua illa intermissione paulatim deperdita ad continuam et acutam, saepius quidem lente, nonnunquam et festinanter tendit, cum extensione gravium quorundam variorum-

que symptomatum, ad tempus ipsum turbulentae quietis. Posterior, comitata febris est, ubi periodum etiamnum suam cum intermedia apyrexia regulariter quidem servat, sed funesto quodam ac peculiari symptomate, caeteris ferociae palmam praeripiente, interimit. Priorem speciem potissimum spectat, quam mox citabamus MERCATI descriptio. Propensionem istam in continuitatem subindicat saepenumero apyrexia et brevior semper et imperfectior et post paroxysmos pulsuum quaedam superstes celeritas et frequentia et peculiaris anomalia, facilius digito percipienda, quam comprehendenda verbis: unde crebro latentem timùi hostem, praecipue si sitis supererat et lingua sicca et arida cutis, paroxysmi imperfecte soluti indicia.

Praeter eas, de quibus diximus, subcontinuas, aliae sunt perniciosae, comitatae TORTO dictae, de quibus nunc dicendum.

Accidit nimirum, ut sub cholerae, apoplexiae, cardialgiae aliusve symptomatis personae in scenam prodeat intermittens gravissima: ac nisi febrifugo praepediatur, altero, aut tertio paroxysmo interimat. Haec, TORTO numerante, septem numero sunt: vomitus et alvi fluxus vehemens, cholerico utplurimum et dysenterico similis; ventris fluxus, suppar fluxui hepatico; cardialgia; sudor frigidus; syncope; algor indesinens, quem neque calor ullus, nec sudor excipit; soporosus affectus gravis et ab apoplexia parum distans. Sunt igitur: cholerica, he-

patica, cardialgica, diaphoretica, syncopalis, algida, apoplectica: in quibus speciebus tradendis ipsius TORTI verbis utemur (*).

Necat hominem perniciosa intermittens, potissimum tertiana (hujus enim typi esse solent) quando circa paroxysmi initium vehemens contingit cholera, cui nonnunquam singultus adjungitur, vox clangosa, aut rauca, oculorum cavitas, pulsus exilis, extremorum frigus, verbo omnia cholerae accidentia, a quo tamen distinguenda est haec cholera in quantum est merum symptoma febris, cujus periodum ac motum sequitur, ut umbra corpus atque intermedia apyrexia revertitur, altero jam paroxysmo mortem minitans.

Secundum symptoma est alvi fluxus hepaticus. Solet nonnunquam vel invadente, vel etiam declinante paroxysmo, suboriri placida quaedam frequens ac copiosa dejectio intraque paucas horas increscere: quae dejectio cruenta, summam inferens virium imbecillitatem, evanescente febre sedatur, recurrente recurrit et intra duos vel tres ab invasione paroxysmos aegrum tollit.

Tertium symptoma est cardialgia. Contingit videlicet sive sub frigoris, sive sub caloris stadio

(*) De hac perniciosae forma nuper doctam dissertationem conscripsit defenditque in hac Academia noster quondam WERN. JOH. IMMINK, qui quales a vobis dissertationes optemus, exemplo ostendit, quod imitemini, dignissimo.

acerrimus morsus oris ventriculi, tam ferox, ut prae expiratione reddantur clangores et ululatus, cum frequenti animi defectione, quod si eveniat, metuendum est, ne uno adhuc vel altero ingruente paroxysmo de vita sit actum.

Quarto fraudulentior ea febris est, quae more solito invadit a frigore, cui succedit calor et statim sudor aliquantulum praecox, sub quo non remittit, sed intenditur febris, eo fortior facta, quo copiosior sudor. Hic sensim fit frigidus, quo diffluit aeger, cum summo virium languore: pulsu celeri, minuto, debili, respiratione anhelosa, frequenti. Mens sola lucidissima est et sentit homo, se paulatim mori, quod nisi hac ipsa accessione succedat, in proxime futuram tantum protrahitur.

Quintum symptoma syncope est primaria; absque ullo dolore aliave caussa manifesta perpetuo animo linquitur aeger, sive de latere in latus se velit convertere, sive solummodo brachium, aut manum tentet loco movere.

Sexto modo tertiana perniciosa hominem jugulat, cum frigus quoddam mortiferum incipienti paroxysmo jungatur, quod non paulatim ut fieri solet evanescit et calore excipitur, sed protrahitur et protrahitur maximamque paroxysmi partem occupat, ita ut nec pulsus resurgat, nec calor ad tactum conspicuus erumpat, quamobrem post horas et horas aegrotantem adhuc in principio accessionis dixeris.

Septima perniciosae species a Torto descripta est soporosa, lethargica, apoplectica, quod symptoma cuilibet intermittenti non uni tertianae familiare est (aliae enim solent habere typum tertianarium). Aeger primo in soporem pronus est, a quo excitatus statim in somnum relabitur: paulo post fit immemor rerum, immediate ante gestarum, unde non raro matulam poscit, deinde mingere obliviscitur atque interim dormitat; nonnunquam obloquitur, nec suos conceptus valet exprimere et licet sui erroris sit compos, se tamen corrigere aut continere nequit: immo quandoque balbutiens vel verba mutilat, vel unum pro alio profert, non secus ac si levi apoplexia, in linguae paralysin degenerante, foret detentus. Ingravescente tandem sopore, omnino jacet ac stertit naribus, neque ulla voce, ulla vi: frictione, ligatura, cucurbitularum, aut vesicantium appositione, immo nec igne quandoque actuali valet excuti et siquidem excutiatur aliquantisper, statim in eundem soporem, immo in profundiorem recedit, nec nisi declinante accessione incipit expergisci. Quod si una vel altera vice resipiscat quidem, sed semper paulo difficilius, aut si soporosae affectioni adjungatur singultus, tertia ad summum, vel quarta accessione inevitabili fato succumbit. Contingit lethargus iste quandoque in principio accessionis, quandoque in augmento, nec primo semper, sed tertio fere fe-

bris paroxysmo, ut mecum alii medici animadverterunt.

Harum febrium a. 1726 sq. epidemiam vidit descripsitque medicus eruditissimus WERLHOFF, Cff. ejus *Opera* pag. 58 sqq. *Ed. Wichm.* Hae ex tertianarum genere fuerunt omnes, simplices aliae, aliae duplices. Tempus, quo id contigit, in tertium primariae accessionis paroxysmum, sive diem morbi quintum, aut ubi accessiones valde anticiparent, in quartum suevit incidere: nonnullos serius afflixit. Nonnullis prima statim vel altera talis accessio exitio fuit. Aliqui evigilarunt quidem finiendi paroxysmi tempore, sed durius longe, quam ante tunc laborantes, dextro latere interdum tanquam ab hemiplegia immoto. Hi vero sub ingressum novi paroxysmi sopore iterum, immo saepe apoplexia insanabili correpti, sub eo ipso, vel quod paucis evenit, post aliquot demum dies, sensim exspirarunt. Complures mature satis advocato medico, medicamentis, a mortis periculo vindicati sunt; pauci sine ejusmodi remediis, sub longo languore vel convaluere sensim, vel consumpti, aut relapsi, atque extincti sunt. In omnibus in praecedentium accessionum aliqua profundiorem naturali somnum observatum esse cognovit. Grata semper res fuit amicis, sensim febrem blando sopore falli persuasis. Inde vero multorum, etiam per apyrexiam sensus veluti quodam stupore occupatos, ut ali-

quam capitis stupiditatem insolitam conquererentur, expertus est.

Exempli loco proferam duos, harum perniciosarum casus: alterum diaphoreticae, alterum apoplecticae. Prior Torti est l. l. pag. 264 sqq. alter Cardinalis Barbadici, apud Morgagnum, *Epist.* 49. art. 30.

» A. 1696. d. 7. Julii, sic casum ipse suum refert Tortus, correptus sum febre levi et brevi cum pauco horrore invadente et cum modico sudore penitus soluta, ut ideo de correspondente typo probabiliter tertianario non esset dubitandum. Itaque post unam intermissionis diem rediit accessio similis, quae tamen hoc unum habuit peculiare symptoma, ut durante toto tempore augmenti et principio status, plane obsurduerim, quod nihilominus symptoma cum febre facile evanescente, facile pariter evanuit. Sequenti die, amicorum curantium suasu (erant hi Cervius tunc vivens, Davinius et Ramazzinus: adstabat vero praxin tunc mecum observans Clericus) amicorum inquam curantium suasu, quoniam non magna videbatur mittendi statim sanguinis, jam antea pluries educti, indicatio, serum vaccinum depuratum ad libras tres et ultra potavi, a quo serosa pariter celeris et copiosa est subsecuta dejectio. Caeterum immunis a febre, hilaris amicos libentissime excipiens et vix decubitum in lecto patiens, totam diem alacriter transegi. Altera autem die tertius de more rediit ac-

cessus, in cujus principio potius, quam in augmento, quandam pariter, sed leviorem atque breviorem passus sum surditatem. Paulo post, dum quietus et sine ulla jactatione consisterem, aliquam ad sudandum propensionem persensi; et licet haec praecox nonnihil videretur, attamen blandiebar ipse mihi breviorem fortassis inde ominatus accessionem. Apparuit itaque statim sudor circa pectus, brachia, collum et frontem, qui cum perseverasset, nec febris inde imminueretur, coegit me mutare prognosin et longam saltem, ni gravem mihi praesagire aegritudinem. Sudorem illum ad aliquod breve tempus bene tuli; sed, dum quartum mutarem indusium mihique adjutricem manum praestaret chirurgus, forte ibidem praesens, visus sum mihi derepente hanc sensationem pati, ut scilicet crura transversim uno ictu mihi obtruncarentur et veluti semisectus exsolverer: adeoque symptoma, quo premerer, paululum meditatus exclamavi: sentio aliquid in me, vi cujus vel quam cito morior, vel sensationum mearum compos non sum! Duravit haec sensatio per aliquod spatium temporis: cum interim motum haberem et sensum in illis iisdem partibus liberum ac exquisitum, mentem alacrem, pulsum validum faciemque ac oculos (quod in opposito speculo intuebar) a naturali statu parum ac fere nihil distantes, ajebam, me vix mei compotem esse posse, cui, dempta febre, robusto mors tamen proxima videretur: forte igitur

hypochondriaca quapiam illusione tentatum me censui.

Post haec paulatim remittitur sensatio illa molestissima: sed sudor notabiliter augetur et cum sudore ipsa febris, quae caeteroquin minui debuerat. Pulsus fit parvus et celer viresque non parum labefactantur. Superveniunt interea mihi faventes amici medici et stupent novitatem rei, nondum tamen praecipitem exsolutionem, quam ego mei conscius me patenter experiri iisdem inculco, plane approbant. Non dissimulata tamen rei valde gravis veritate, judicium suspendunt ad duas horas, post eas scilicet elapsas me iterum inspecturi, remanente tantummodo apud me praeter Clericum adstantem Cervio collega quondam meo. Redeunt itaque hora statuta Davinius et Ramazzinus et cum me undequaque sudore frigidiusculo diffluentem inveniant audiantque ab aliis et ex pulsu ipso dignoscant, quantum de hora in horam deterior fiat conditio mea, statim praescribunt ea omnia, seu ea pauca, quae in hisce arduis casibus suppeditare potest curta medicinae supellex. Perseverat nihilominus pari passu sudor intenditurque eo magis febris: minutus exilisque fit pulsus, crescit exsolutio virium, maximaque fit mihi angustia, compressio et flammea sensatio circa praecordia, nihilque mihi magis laboriosum, ac noxium, quam somnus, a quo, statim ac illum cogebar admittere, lassitudine victus, illico expergiscebar cum

repentino tremore, anxietate et inexplicabili molestia, ut ideo quietem illam omni cura studerem evitare. Jamque nox erat admodum protracta, nec plus quam per unam, aut alteram horam distabat dies. Cumque mihi celeri passu viderer deficere, sciscitatus sum Cervium (qui cum Clerico insomnem noctem ibidem transegit) ut explorato pulsu et pensitato mature statu meo, aperte diceret, quemadmodum nostra ferebat amicitia, an crederet, posse me expectare diurnam lucem pro assumendo sanctissimo viatico, ut jam vespere communi consensu sancitum fuerat, an potius periculum esset, ne diem praeveniret mors, uti videbar ex sensationibus meis suspicari: quo casu omni celeritate mihi ministrari, prout catholicum decet, sacramenta omnia enixe precabar. Nequivit tunc lacrymas cohibere tener amicus (quem in interitu suo paribus lacrymis perlui) prae manibus pulsum meum detinens diuque contrectans: tandemque post brevem haesitantiam, inquit: tam parum distat dies, ut probabiliter credi possit, adhuc tempestiva unius aut alterius horae dilatio: interim admonebimus post pauxillum adhuc temporis parochum, ut cuncta disponat satis prompte, ut sollicitudini etiam tuae morem geramus. Atque ita valde diluculo ex largitate infinita Dei absoluta sunt cuncta completoque praecipuo animae negotio et condito successive testamento, animum etiam adverti ad sanitatis curam. Et cum jam a 24 ho-

ris febricitarem ex novissima accessione essetque nihilominus ea vel tunc longe intensior, ac fuissent antecedentes tempore summi vigoris, sudorque etiamnum protraheretur, non tanto quidem profluvio, sed cum difficillima semper tolerantia clareque cognoscerem, quod et si illa die sperare possem leviusculam febris et colliquativi sudoris remissionem, vitaeque ipsius protractionem, adhuc tamen sequenti die mors mihi inevitabilis imminebat, statim sex drachm. C. Peruv. in tenuissimum pollinem redacti mihi afferri jussi, quem manibus ipse meis tremulis licet in vino infundere volui et asservari in pyxide, usque ad adventum reliquorum medicorum mihi faventium, re prius cum Cervio et Clerico communicata.

Accedentibus itaque Davinio et Ramazzino, postquam diversa illorum audivi ratiocinia et proposita hic inde remedia (circa quae omnia non paucae utrinque ambages fuere) consueta inter nos libertate loquendi eosdem obstrinxi, ne gravarentur fateri, quod ego jam optime conscius periculi mei evidenter noscebam, nempe primo remedia vulgaria, circa quae plurimas audieram dubitationes et noveram difficultates, id certi prae se ferre, ut essent imparia huic morbo sanando: secundo, futuram saltem accessionem per 24 horas tantum distantem, ab hujusmodi remediis inhiberi non posse: tertio, eam periodum absolute crastina die futuram esse ultimam vitae meae. Judicium hoc ab-

solute prolatum, dum cauta tergiversatione modificare tantillum studebat Davinius artis nostrae et praesagiorum ejus incertitudinem recolens, periculum tamen maximum nequaquam dissimulans, Ramazzinus in eum conversus: cum Professore, inquit, sanae adhuc mentis suumque statum perspicue dignoscente, ulli officiosae dissimulationi locus non est. Dein conversus ad me: ingenue, inquit, vera fateor quae dicta sunt de nostrorum remediorum incertitudine atque imbecillitate, fateor pariter ab illis crastinam accessionem inhiberi non posse: fateorque in super eandem, si non absolute inferat mortem, talem saltem illaturam esse perniciem, ut quod cras non contingit, postridie tamen sit eventurum. Sed, subjunxit, quid aliud ex hoc inferri potest, vir prudens, nisi quod tentanda sint omnia artis conamina eaque, qualiacunque sint, manui Dei adjutrici committenda, cum indifferentia ad exitum quemcunque? Suspicabatur quidem ille, quod cognito pro irreparabili exitio meo, nulli remediorum incommodo me vellem subjicere. Ad haec itaque respondi: non alia de causa me exquisivisse judicium illud de statu meo, et ingenuam confessionem de inefficacia praesidiorum mihi propositorum, nisi ut remedium majoris spei in casu ferme deplorato ipse quoque proponerem. Corticem idcirco in pyxide asservatum ambobus inspiciendum exhibui: casum Comitis Nogarolae anno ante acto sanati Davinio commemoravi et ca-

sum Levizzani pag. 140. descriptum RAMAZZINO aliosque casus non absimiles: aliquid simile de me ipso nequaquam desperans. Atque ita implorata prius, si iisdem placuisset, dein impetrata permissione, quam illico consequi fuit facillimum, sex integras corticis drachmas in vino paulo ante infusas uno haustu potavi. Quid plura? Tota quidem die febris perseveravit in eodem fere statu, sed sudores (semper circa frontem, collum et pectus) satis moderate fluxerunt noctuque, cum placide nonnihil quievissem, fere omnino fuere suppressi. Mane sequenti remissa notabiliter est febris, neque hora suspecta quicquam suscepit incrementi; immo conspicua magis declinatione, etsi esset dies afflictioni destinata, semper decrevit; adeo ut tertia die post assumptum pharmacum ab omni febre immunis omnino remanserim, atque ab omni symptomate."

Alter Cardinalis Barbadici casus a MORGAGNO, ad vim corticis probandam prolatus, dignissimus est, qui hoc loco narretur. MORGAGNUS igitur, postquam monuerat, justi, quo remedium hoc exhibendum est, temporis notitiam medentes fugere nonnunquam posse, nec tam eorum incuria, quam casu, idque accidisse in Cardinali Eminentissimo Joanne Francisco Barbadico, quem exitialis febris accessio propemodum sustulit, priusquam febre teneri ipsum periodica, sciri posset; cum enim, sic pergit, statim sub meridiem se in cubiculum in-

clusisset, neque ostium hora, qua solebat, recluderet, famuli nihil primum, nisi sacris precibus, aut lectione diutius detineri, postea autem, cum jam advesperasceret, mali aliquid suspicati, ostium leniter, deinde cum responderet nemo, validius, sed frustra pulsantes, inclamantesque, denique per fenestram ingressi, herum sine voce, sensu, motu jacentem invenerunt. Accersitus confestim medicus praeter haec mala, quae tamen magis magisque jam remittebant, convulsivos tendinum subsultus febrimque deprehendit. Quae, caeteris illis omnibus intra horulam per se abeuntibus, una restitit. Postridie mane Valisnerius et ego advocamur. Quaeritur, quis et unde fuerit hesternus ille repentinus et gravissimus morbus, quem febris solverit, ut videbatur. Narrat medicus, erysipelas non multis ante diebus in facie apparuisse. Verum aëris fortasse injuriis; erat enim autumnus a. 1729; aeger autem magis de suis episcopalibus muniis, quam de se solicitus, nunquam decumbere voluerat, neque intra cubiculum se continere; introrsum repulsum evanuisse. Hesterni morbi se nihil nisi finem vidisse: quem autem ad modum ingruisset, ne aegrum quidem scire, cum quid sibi tot illis horis accidisset, neque tum sensisset, nec modo illud reminisceretur, nisi se quasi a tempestate frigidulum lectum petiisse. Haec eadem aeger confirmabat, quem alacri ut solebat erectoque animo invenimus, jam levius leviusque

febricitantem, nullo eorum, quae pridem fuerant, vestigio superstite. Quae tametsi quem proprie ad morbum referemus, non una de caussa dubitabamus, aliquid tamen monstri intus ali cum Hippocratis Aphorismus (25, VI.) tum ratio quoque ipsa dubitare non sinebant. Hanc igitur illumque secuti interea dum clarius aliquod lumen existeret, materiam erysipelatis quae introrsum regressa, magnum ut jam coepisset, posse rursus afferre periculum videbatur, extrorsum iterum pellere oportere, facile agnovimus et medico seni utique experienti et spectato assensi sumus, qui jam prima illa nocte iis datis, quae sine turba ad cutem ferrent, obsequentem naturam habuerat, ut et noctu sudor et hinc aliquis adhuc mador sequeretur. Et toto quidem illo die novi, quod animadverteremus, nihil fuit. Sed nocte proxima, ecce febrilis accessio, quae tamen praeter quosdam convulsivos tendinum subsultus, nihil quicquam grave ostendit usque ad meridiem. Quo demum tempore aut eadem, aut altera potius accessio tot simul tamque horrifica mala protulit, ut continuo omnes accerseremur. Aegrum invenimus, qui nec loqui, nec percipere quicquam posset, cum difficillima respiratione stertentem, apoplectici similem, nisi assiduis tendinum subsultibus agitaretur, pulsibus autem perobscuris et nihil prementi digito resistentibus. Tunc enim vero manifestum fuit, quo nudius tertius morbo correptus esset, hancque es-

se alteram perniciosissimae tertianae febris accessionem, quae primae illi ut hora, ita etiam gravitate et numero symptomatum responderet, vel potius antecelleret. Nec spes erat per ea, quae exterius duntaxat tunc facere liceret, imminens exitium retardandi, cum mala omnia, quae modo diximus, magis magisque sub oculis manibusque nostris ingravescerent; ut ex iis qui viderunt; complures autem viderunt; fuerit nemo, quin pro certo haberet, ac per urbem totam inexpectato optimi pastoris casu perculsam, pronuntiaret, mox esse moriturum. Quo etsi in metu ego quoque eram; speculae tamen aliquid superesse dicebam, si forte haec pariter accessio, ut prior, remitteret, si non eadem hora, quippe gravior, at una aut altera tardius. Itaque ab sociis medicis, sub vesperam, tanquam a conclamato, discedentibus quaesivi, num quidquam, si accessio remitteret, obstare crederent, quo minus Peruvianum corticem darem: illi vero, si modo fieri posset, ut interea neque in cerebro, neque in pulmonibus sanguis pertinacius haerere coepisset, assentiri se, responderunt. Intra primas noctis horas paulatim pulsus minus malos fieri et apparere sudorem, animadverti: deinde sensim pariter sensimque aegrum ad se redire et intra eam noctem, qua ipse domum reverti nolui, exitialia omnia symptomata evanescere, ut summo mane, restituta deglutiendi facultate et febre ad justam remissionem perducta, jam esset remedio

locus. Quod, sicuti in ejusmodi gravissimis periculis cum eximiis medicis solitus sum, tum ex iisdem corticibus apparari antea jusseram, non quorum species sensum dumtaxat fallaci interdum indicio se magis commendaret, sed quorum ope intermittentes febres pro certo abactas esse, constaret, tum ad semunciam in primo haustu sumendum dedi; reliquum autem, quod triplum erat, in multo minores partes per justa intervalla distribui. Eaque ratione consecuti sumus, ne ingrueret accessio tertia, procul dubio aegrum, quem secunda prope confecerat, sublatura. Sed ne secunda quidem ingruisset, si in primae remissione idem facere venisset in mentem. Non venit autem, introrsum versi erysipelatis, quod certum erat, materiam spectantibus, non febris: quam, non consecutam, ut saepius solet, mala illa gravissima, sed attulisse et periodicam esse, quis divinaret? Quando neque initium ipsius viderat quisquam, neque Patavii ea tempestate febris ulla ejus generis erat animadversa; etsi per illos dies, ut postea novimus, in civitate non ita dissita eadem fuerat, aegrumque illustrem, dum corticis oblatio ab una ad alteram intermissionem differretur, proxima accessione jugulaverat. Quamobrem tu, cujus gratia haec scripsi, siquando casus ejusdemmodi incidat, cujus initium ignotum sit, tametsi caussa esse manifesta videatur, noli omittere de natura febrium, quae tunc vagentur percunctationes; ne-

que enim semper, quod nobis, accidet, ut quae prima perniciosi generis existat, ea tibi curanda obveniat." Moniti Morgagniani salubritatem docet suppar casus feminae sexagenariae ap. ANDRALLIUM l. l. V. pag. 285 sqq., quae tertium superavit paroxysmum, ANDRALLIO prius solam congestionem cerebralem accusante, nec nisi post ter repetitas accessiones tertianarias de febre cogitante perniciosa.

Praeter septem illas a TORTO exaratas species comitatarum, alias enumeraverat MORTONUS: hemicraniam periodicam, rheumatismum, spasmum universalem, pleuritidem, peripneumoniam atque inter innumera symptomata has febres comitari solita, nullum esse docuerat, quod non aliquando adeo vehementer fuerat, ut vita aegri inde in praesens discrimen adducatur, et typus febris in variis suis stadiis, algoris, caloris, sudoris abscondatur penitus et opprimatur, ita ut neque ex urina, temperie, pulsu, vel alio quocunque solito modo distingui possit, verum sub larva alterius morbi secure delitescens medicum a scopo suo non raro abducat. Ex hac MORTONI rei definitione atque interpretatione accidit, ut febrium larvatarum nomen et inventum sit et ad comitatas TORTI aliasque multas periodicas valetudines translatum, quanquam pridem ejus denominationis definitionisque caussa MORTONUM redarguerat TORTUS: ipsum eam febrem adeo absconditam statuisse et om-

ni verae febris charactere destitutam, ut nullo indicio distingui posset; se tamen nunquam observasse talem obscuritatem, nisi cum jam tertia, vel quarta accessio aegrum ad extrema fere deduxerat: etsi forte serius vocatus esset, postquam res in praeceps ruisset; facillime pariter ex adstantium vel aegrotantium relatione de praecedentibus paroxysmis atque periodis conscium factum perniciosam febrem (utut algidus ac sine pulsu adpareret aeger) semper dignovisse, ut quislibet medicus ad hujusmodi dignotionem teneatur. Pariter omnes dignovisse et distinxisse MERCATUM, neque ut morbos, sed ut symptomata febris periodicae manifestae, non vero absconditae considerasse.

Videtis inter se dissentientes magni nominis viros, quos tamen, horum observationes pervolventes, de re ipsa minus, quam quidem de verbis certare cognoscetis atque in historiis triginta MORTONI (tot enim numero sunt) nullam fuisse, in qua abscondita adeo lateret febris, ut a medico perattento non posset detegi.

De larvatis illis febribus earumque charactere genuino ac indole peculiari, anno hujus seculi sexto dissertationem inauguralem publice in hac Academia defendit DANIEL CRAANEN, in qua febres eas his dignosci signis contendit. I°. nexu symptomatis illius gravioris cum omni symptomatum syndrome omnique aegrotantis conditione deficiente, II°. regulari ipsius symptomatis recursione, post

tempus ab eo liberum, III. urina utplurimum lateritia. Videlicet non omne symptoma gravius periodice recurrens et in febre intermittente observandum, ideo febris larvatae nomine insigniri debet. Accedunt saepenumero in intermittentibus cholera, ventriculi dolor, animi deliquia, frigus, sopor, quae minime tamen ideo pro symptomatibus perniciosis sunt habenda. Nam in febribus intermittentibus gastricis v. c. et biliosis quandoque sursum deorsumque dejicitur bilis, in hystericis frigoris tempore dolores, spasmos, cardialgias observant medici, nec tamen has larvatas jure vocabunt. Tales ut vocari possint, debet symptoma illud gravius minime cum tota sive morbi, sive aegri conditione esse conjunctum, debet nullam habere caussam manifestam, quae in ipso adpareat tempore remissionis, aut ex febris sequatur ratione. Tempore intermittentis cholericae intermedio nulla apparere debet ventriculi labes: tempore intermissionis nihil adesse debet, unde hoc symptoma possit intelligi, in apoplectica, lethargica, nulla congestionis, plethorae in capite nota sit; sed certa periodo nasci, increscere, decrescere debet, nullo sui vestigio relicto, praeter summam virium imbecillitatem. In hystericis, hypochondriacis, propter crebros morbos periodicos res dubia esse posset. In his tamen post periodos illas superest semper intemperies nervorum. In corpore debili haud raro ingens frigus; quae tamen debilitas cum prae-

cesserit, nexum ostendit inter frigus illud atque aegri conditionem antecedentem. Praeterea symptoma illud semper certa ratione ingreditur sive postponat, sive anticipet, sive eodem tempore revertatur, ita ut typum referat latentis morbi et aliquamdiu dispareat lateatque, denuo rediturum. Tandem urina plerumque cernitur lateritia post paroxysmum, qualis intermittentium est, sedimentum deponens peculiare: quibus quidem indiciis si accedant alia ab anni tempore, regnante intermittentium epidemia aërisque conditione ducta, facilior erit harum larvatarum diagnosis.

Haec signa acute proposita ut praeclaram agnoscas Paradjsii doctrinam, nimia forsitan subtilitate peccant, neque omnes harum febrium species complectuntur. Nam neque omnes larvatae sunt perniciosae, neque ipsa haec pernicies tam a caussa, quae provocaverit, quam a sede, quam tenuerit haec affectio, provenire videtur ac praeterea exinde minime intelligitur, quo pacto posset quis febrem apoplecticam si in aegrum inciderit apoplectici habitus, aut syncopalem cardialgicam, si prehenderit hystericas, discernere: neque ipsi algidae, aut diaphoreticae congruit signum illud primo propositum.

Quaesitum est, utrum larvatae illae possent febres topicae adpellari: in cujus theoriae subsidium tum aliae aliorum, tum Swietenii citatur observatio: ophthalmiae scilicet periodicae statutis ho-

ris reversae. » Viro sano robusto mediae aetatis quotidie eadem hora oriebatur molesti doloris sensus in eodem illo loco supra orbitam oculi sinistri, ubi nervus per foramen ossis frontis egreditur: post aliquod tempus incipiebat oculus sinister rubere et lacrymis diffluere; deinde sentiebat ac si oculus sensim extra orbitam protruderetur cum tanto dolore, ut fere fureret. Post aliquot horas omnia haec mala cessabant et nihil in oculo mutatum omnino apparebat. Venam secari curavi, purgantia antiphlogistica dedi, cucurbitas nuchae applicui saepius, vesicatoria adhibui, sed incassum omnia. Ut autem mirum hunc morbum cognoscerem, adfui illo tempore aegro, dum noverat rediturum dolorem, atque omnia memorata symptomata vidi: in pulsu tamen ad carpum explorato nihil mutatum inveni. Monebat aeger, dum ipsi adsidebam, quod in cantho oculi majore pulsationem sentiret validam: adplicui apicem minimi digiti arteriae, quae circa canthum majorem oculi satis insignis decurrit, dum altera manu carpum in pulsu explorabam, sicque manifeste percepi, arteriam illam in cantho oculi celerius pulsare et simul longe fortius, quam naturaliter solet. Febrem ergo adesse, sed topicam credidi: atque cortice Peruviano exhibito curavi feliciter et ex illo casu didici postea in aliis similibus eadem medela uti."

Alteram huic supparem observationem, in quo brachium simili modo affectum erat ex Act. Nat.

Curios a. 1673. citat SAUVAGESIUS in *Nos. Method.* Tom. I. pag. 349. febris quotidianae topicae, in qua aeger frigebat toto brachio, hora 7ª. vespertina; hora 8ª. huic frigori addebatur tremor manus et digitorum. Post trihorium calor succedebat et brachium calore urente flagrabat, reliquo corpore bene se habente, nisi quod praeludebat vomitio et dolores ad hypochondrium et mammae ejusdem lateris.

An hae febres topicae, quae antiquiorum, an inflammationes intermittentes, quae recentiorum medicorum opinio est?

Febris topicae notio, strictiori sensu, nulla est, latiori vero vel congestionem, vel inflammationem significabit.

Ex quo nullas esse febres essentiales, cunctis vero subesse inflammationes contenderat nova BROUSSAISSII Schola, ejusdem etiam naturae intermittentes esse censuerunt. Scholae auctor gastro-enteritidem accusavit. In Historia Phlegmasiarum Chronicarum octo citantur observationes ad rem probandam. Prima febris quotidianae est cum alvi fluxu et tussi. In cadavere ventriculus contractus, crassior mucosa et ruboris nigrescentis, in colo color minus nigrescens, nullum neque in hoc neque in ventriculo ulcus, hepar et pulmones manifesta habentes congestionis indicia, cor eurysmaticum. Nonne tum ex febre, tum ex cordis vitio congestionis interaneorum satis prompta explicatio

est. Altera febris tertianae, quae saepius suppressa, saepius revertebatur morbumque monstrabat compositum ex febre et phlogosi tum pectoris maxime, tum abdominis. In tertia febris intermittens in continuam transiit, cum phlogosi pectoris atque abdominis. In quarta (mense Majo, ut tertia mense Julio nata erat) post methodum procul dubio nimis irritantem in cadavere detecta phlogoseos pectoris et abdominis vestigia. Quintus aeger pariter hanc complicationem ostendit et sextus, cui ex febre trimestri superfuit alvi fluxus chronicus, ex pravo regimine insanabilis factus: fuit etiam ex eadem caussa alvus liquida in casu septimo et octavo. Testantur hi casus posse cum intermittente jungi phlogoses tum alias, tum abdominales; praesertim si prava sit diaeta aut medicatio, nec tamen has illarum esse caussas probant: cumque nec cunctas intermittentes esse cum gastricae irritationis symptomatibus, nec omnium ex iis interemptorum corpora ventriculum aut intestina habere inflammata observarunt, omnem inflammationem posse febrem intermittentem provocare illamque, ut hanc ipsam, intermittere nonnulli sunt arbitrati. Hi in rei testimonium observationes protulerunt, de quibus hoc loco videndum.

Historias arachnitidum tum cerebralium, tum spinalium intermittentium relatas legite in ea, quam de hac inflammatione Monographia ediderunt viri

doctissimi Parent-Duchatelet et Martinet: aliae Itardo auctori ab aliis acceptae referuntur, tantopere illis similes, ut easdem esse nullus dubites, etiamsi quem harum observationum auctorem atque parentem habeas, nescias. Verum missa hac de paternitate quaestione, ipsas jam observationes explicemus.

Observationes, quas volumus, sex numero sunt. Prior est viri, cui os parietale dextrum fractum est. Vespere diei quarti cephalalgia, horripilationes, symptomata gastrica, delirium rursusque sopor, faciei rubor et pulsuum frequentia, durities magnusque corporis calor. Per quinque dies accessio vespere rediit, aegro per totum diem tranquillo, mentis compote, bonique adpetitus. Die 9°. mane non rediit tranquillitas: delirium, febris, convulsiones, auctae; aeger ex sopore incidit in coma, ac respiratione facta stertorosa, pulsu parvo, intermittente, cute sicca iisque symptomatibus perpetuo crescentibus, altero mane periit. Dura mater ad faciem internam prope cranii vulnus ab osse sejuncta et pure obducta. Arachnoidea utriusque hemisphaerii in dextera parte potissimum strato puriformi tecta, quae cum cerebri substantia quasi confluebat: inflammata pariter crassiorque pia meninx arcte copulabat cerebri convolutiones; ex adverso vulneris cerebrum fuscum et tanquam liquefactum: tertia vertebra dorsi fracta ibique loci medullae involucrum

leviter inflammatum. In hoc casu remissionem magis, quam veram intermissionem fuisse suspicor, ipsas autem horripilationes tribuo processui suppurationis. Esse autem in hac inflammatione symptomatum remissionem, etiam ab antiquioribus notatam, quae priore hujus libri parte pag. 393 sqq. leguntur, vos docere poterunt: immo intermittere interdum symptomata videri, in capite de encephalitide notavi pag. 516. l. l. quod ex vitae hujus partis functionisque intermissionibus nonnulli repetiverunt. Caeterum dolemus neque aegri temperiem, neque anni tempus aërisque et morborum constitutionem fuisse adnotatas, quae ad casum dijudicandum cognitae requirebantur.

Alter casus est viri adulti robusti bonique corporis habitus, qui in Nosocomium defertur plane impos, supinus decumbens, delirans, omnique cerebri irritati symptomatum syndrome afflictus. Post meridiem mentis compos loquitur, deque capitis dolore queritur, quem paullo ante accessum vix tolerandum fuisse monet. Altero mane horripilationes eademque symptomata redeunt. Post meridiem iterum quies, aegro tamen magis fracto itemque tertio die, quo febrem perniciosam credunt et hunc in modum curant; quarto die accessio gravior aegrum praecipitat. Arachnoidea rubra valdeque crassa, supra hemisphaeria gyris adhaerebat, emollitis paululum: pariter rubra mucosa coli omniumque tenuium. Notetis typum quotidianum,

matutinum, nec tamen perfectam apyrexiam. Propter anamnesin deficientem, de hoc etiam casu adaequatum judicium ferri nequit.

In tertio casu typus fuit quotidianus duplex, symptomata medullae spinalis irritatae inque cadavere vertigia arachnitidis atque enteritidis mucosae. In quarto typus fuit tertianarius et mors evenit accessione quinta, reliquis graviori. In quinto post affusiones aquae gelidae nunc remissio, nunc exacerbatio, nec tamen perfecta, aut regularis apyrexia. Sextus typi quartanarii dicitur, nec fuit tamen: nam vespere diei 17 Januarii totoque die sequenti accessio; nec plena tamen d. 19, 20 et 21 apyrexia, diebusque 22 et 28 nova eaque lethalis exacerbatio.

Exstat etiam exemplum arachnitidis spinalis, typo tertianario duplici, deinde a die morbi vigesimo primo continuo facto; mors secuta est die trigesimo; cadaver monstravit arachnitidem cerebralem et spinalem purulentam.

An hi casus demonstrant intermittentes perniciosas easdem esse cum arachnitidibus, aut potius sub illis has latere? Non facile credam.

Apud Bailly quoque plures occurrunt casus arachnitidis, sed in his plena intermissio, aut apyrexia minus fuit, quam remissio: adeoque eorum opinio, qui ut febres continuas ab inflammationibus continuis, ita intermittentes ab intermittentibus repetiverunt, nondum legitima inductione ni-

titur. Eapropter febres intermittentes medicinae organicae desperationem facere, nuper celebris ejusdem professor questus est: vocatur autem medicina organica eadem, quae prius mechanica dicebatur, quae omni vitae notione spreta, ex mechanismi legibus corporum viventium organicorum phaenomena interpretari laborat; qua quidem querela, nisi hae febres praesto essent, se de suae ipsius doctrinae victoria magnam spem concepturum esse, significasse videtur. Nos, qui nullam doctrinam defendere tenemur, minus solliciti erimus de medicinae organicae sorte, quam, quatenus veritati congruat, felicem fore auguramur, quam quidem de recta harum febrium cognitione et curatione eidemque viro celeberrimo magnas habemus gratias, quod eo, qui veritatis cultores decet, candore fassus sit, febribus intermittentibus aliud quid subesse, quam inflammationem: hoc autem aliud quaerendum esse; neque expectari posse ab anatome pathologica hujus rei obscurae ipsiusque intermissionis symptomatum interpretationem probabilem. Obstat etiam curatio per Corticem Peruvianum, quem nemo remedium antiphlogisticum dixerit, quominus hanc sententiam amplectamur, quo etiam argumento usus est vir doct. Nepple, in egregia de febribus remittentibus et intermittentibus commentatione, pag. 256.

Nuper vir clariss. Schoenlein sub nomine *Intermittentium* peculiarem comprehendit familiam neu-

rosium periodicarum, constantem sequentium typum, quotidianum, tertianarium, quartanarium, ita ut post interposita tempora quietis saepenumero exacte statutis horis revertantur. » Medici veteres, inquit Schoenlein, intermittentes febrium numero accensebant, quia irritationem vasculosam earum habebant praecipuam partem, sive essentiam. Jam vero docet experientia, esse species, in quibus solo nervo laeso, hic renisus vasorum nullus est. Fuisset rei naturae adaequatum, communia cuique speciei symptomata quaerere; verum tanta erat vis opinionis praejudicatae de febrium et aliarum et intermittentium essentia, ut se ita ex hac difficultate expedirent, ut eas, quae sine febre sunt, intermittentes larvatas nuncuparent." Haec veterum accusatio nemini horum in scriptis paulo accuratius versato justa videbitur: siquidem nullus fuerit principum in arte virorum, qui non primum illud frigoris stadium praecipuam morbi partem habuerit, neque ipsum febris larvatae nomen omnibus acceptum fuisse noverit. Caeterum eo nomine probari potest ab hoc auctore proposita *Intermittentium* familia, quod in larvatis quamplurimis, sublato renisu vasorum febrili, sola tantum adsit neurosis eaque periodica intermittens, quae aliam aliamque tenere regni nervorum provinciam potest indeque vel gravior esse, vel levior: cum ubi cordis sympatheia moveatur, sequente stadio caloris ea exoritur, quae febris intermittens voca-

tur. Scilicet duae sunt hujus febris partes, sive potius duae affectiones: altera nervosa, vasculosa altera. Ex duabus his conjunctis existit febris intermittens: ex priori sola existit neurosis intermittens, quae quia renisus ille vasorum, qui ad febrim pertinet, desideratur, minus accurate febris larvata dicitur.

Hactenus in his febribus explicandis temporum secutus sum rationem, ut intelligeretis, quomodo quibusque auctoribus subtilis illa nobis nata sit febrium intermittentium cognitio, quo laetamur. Nam rem repetentes a simplici Senis Coi observatione ad nostraque traducentes tempora, videtis sensim sensimque accrevisse hanc nobis cognitionem, ut ingeniosa illa de communi omnium intermittentium charactere nervoso theoria, utrum temporis filia sit, an humani partus ingenii adfirmare dubitemus. Intermittentium et reliquarum febrium discrimen, jam sagax animadverterat antiquitas. Frigus praecipuam esse intermittentium partem censuerant Sydenhamus, Tortus, Boerhaavius, Swietenius, alii. Hi a nervis repetiverant. Accesserat increscens in dies larvatarum observatarum numerus et detectus Peruviani Corticis ad utrasque debellandas potestas, ut spontaneo tanquam motu ad indagandam veritatem medici ducerentur: quam e longinquo nobis ostensam prius, nunc vero datam esse gaudemus.

Hanc si theoriam ad explicandas febrium inter-

mittentium phases adhibeamus, videbimus, ab una parte cum morbis generis nervorum, a parte altera cum morbis generis vasorum adfinitatem. Etenim dempto stadio vasculoso, neurosis exoritur periodica, quam incongruo nomine larvatam dixerunt, vasorumque renisu aucto atque protracto in febrem remittentem ipsamque continuam ac phlogoses denique, cernitur metamorphosis, anni tempore, aegri temperie, victu, regimine, medicina incitante provocata: ex quibus quamplurima tam veterum, quam recentiorum observata sat commodam habent intelligentiam; quemadmodum ipsi prius tradita relegentes reique periculum facere cupientes, non sine animi voluptate mecum procul dubio experiemini.

Verum ut tam longi de his febribus sermonis exitum inveniamus, quae supersunt caussae, praesagia, remedia explicanda sunt.

Itaque primo loco perquiramus, quibus tandem caussis intermittentes illae, de quibus diximus, debeantur. Quae quidem perquisitio requirit, ut cognoscere studeamus, an ubivis terrarum hae intermittentes inveniantur, an sub omni constitutione aëris et quavis anni tempestate, verbo an omnium temporum sint et locorum.

Intermittentes regionum palustrium incolae sunt, tum temperatarum aut frigidiorum, tum calidarum tropicarum. In patria nostra pariter atque in patriae colonia Java endemicae sunt. Epidemiarum

more grassantur post inundationes terrarumque aqua submersarum exsiccationes, praecipue sicubi praecesserat aestas fervida effluviis paludum noxiis favens, quemadmodum scriptorum rei medicae testantur annales et recentiorum etiam temporum nostraeque aetatis testatur historia medica. Ex antiquioribus hac de re legere non pigebit Jo. Mar. Lancisium *de Noxiis Paludum Effluviis*, nec non inter nostrates medicum eruditissimum F. W. Büchner et virum clar. Thyssen atque Epidemiae Groninganae anni 1826 scriptores, quibus addere oportet *Historiam Epidemiae* Anno 1826 *Jeverae observatae, conscriptam a viro doctissimo* F. A. L. Popken.

Horum effluviorum atque miasmatis naturam nondum satis esse cognitam, docent virorum doctorum de ea hypotheses contrariae: neque cuncta paludum effluvia semper paria fore, pridem jam opinatus est Lancisius. Utrum vero duo summa genera ponenda sint, alterum natum ex aquis, alterum vulcanicae originis, uti nonnullis placuit, definire tum poterimus, cum res erit non ex hypothesi, verum ex inductione explicata. Interim cavere oportet, ne verba nobis dare pro factis patiamur. Ex illis quaedam sunt nunc in usu, quae ut grandisona sunt, ita quibusdam magicam habere vim creduntur ad quaevis naturae mysteria interpretanda. Nos contenti simus, ut scientiarum physiologicarum cultores non minus, quam physicarum decet, na-

turae modesta observatione quae interpretationem naturae praecedat oportet, non sequatur. Miasmati vulcanico repugnat observatio, non omnem insulam Javam, quamvis regionem vulcanicam, verum eam praecipue illius partem intermittentium feracem esse, quae maxime paludosa est: in ipsaque Italia regionem Romanam paludosam intermittentium esse longe feracissimam. Sed haec mittentes ad patriam revertamur, in qua certe de miasmate vulcanico nulla moveri quaestio potest.

Sive paludum exsiccatione, sive terrae argillaceae fermentatione, sive reliquiarum organicarum putrescentia, sive aquarum variarum miscela, sive plurimis harum caussarum conjunctis excitari miasma, observarunt medici: quarum caussarum cum plures conjungerentur in Epidemia gravi, quae anno 1826 tum urbem Groningam, tum alias etiam patriae regiones vexavit, hunc de caussis intermittentium locum non melius interpretari posse censeo, quam si hujus epidemiae origines vobiscum perquiram.

Postquam in permultis patriae locis mare ex littoribus suis egressum agros inundaverat et aestas fuerat perquam calida diuturnaque, mense Julio ex fermentatione terrae argillaceae effluvia exorta sunt perque aërem diffusa, quae gravissimam crearunt epidemiam intermittentium.

Audite virum doctissimum Popken haec epide-

miae natalia tradentem, qualem ipse in patriae huic nostrae finitima regione observavit!

» Regionem nostram Jeverensem, inquit, a duobus lateribus mari circumdatam solum arenosum siccum, altius positum et solum pingue, humidum, profundius positum, argillaceum ita dividunt, ut prior antiquos terrae fines priscaque maris littora retulisse videatur, antequam tractu temporis et longaevo satis labore posterior terrae nostrae pars, quae fundum maris antea constituerat, alluvione sensim nata et aggeribus circumdata fuerit. Hae partes ita salubritate differunt, ut dum in parte elevatiori, aëre salubriore perflata aquisque purioribus fruente minor in genere observetur morborum numerus, paludosa e contra et profundius posita fertilissimum omni tempore exhibuerit aegritudinum fomitem, intra quas febrium intermittentium agmen ita prae caeteris emicare observatur, ut vel nulla totius anni tempore ibidem non occurrat eoque magis grassetur, quo propinquius et rapidius diurni calores frigoribus vespertinis excipiantur et sic cutanea perspiratio, quo promtius supprimatur: indicio febrem istam iisdem sub conditionibus potissimum florere, quae evolvendo miasmati paludoso quam maxime favent.

Oppidulum vero ipsum Jeveram quod attinet, in quo prae caeteris furores suos morbus edidit, monendum, illud in ipsis soli arenosi et paludosi finibus positum fossisque caeterum vetustis, calore

solis exustis instructum, miasmati paludoso expositum quam maxime fuisse. Fertilissimam omni tempore intermittentium regionem nostram vernales solito frequentiores anno 1826 visitare coeperunt. Auctisque in dies caloribus eaedem hae febres, quod caeterum fieri consueverat, mitescere non coeperunt, sed pertinaciores redditae, solitae hucusque et feliciori tractationi non amplius auscultare observabantur. Initio tandem mensis Julii, cum exusta fere ubique a solis radiis regio nostra, canalibus referta vastam praeberet superficiem paludum plenam, prima adparuere morbi dirissimi vestigia. Continuatae nimirum et seram in aestatem porrectae quasi intermittentium vernalium cohorti gravia hinc illinc accedebant symptomata, primum phrenitica (aestate scilicet) sub tertianae phreniticae forma nonnullos vel primo insultu obruentia, neglectis, quae praecedere solebant, duabus tertianae legitimae accessionibus: tum mense Augusto, consueta febre autumnali orta, quo tempore cholera nasci solet, epidemia et hoc sibi symptoma adsciscere inque cholericis perniciosis maligna morbi natura palam fieri medicis primum coepit. Deposita tandem medio Augusto larva, vera nunc spectabatur et miranda perniciosarum intermittentium familia, quae nisi statim symptomate aliquo lethifero necem inferret, in typhum singularem abire et malignissimorum more morborum virium collapsum, omni fide majorem, convalescentibus parare

consuevit." De his, siquidem in pathologicis explicantur, plura scire cupientibus praeter fontes jam indicatos, commendamus ALIBERTI Commentationem de febribus perniciosis intermittentibus, quinta vice anno 1820 Lutetiae Parisiorum editam.

Harum febrium prognosis in singulis plurimum differt. Vernales multis medicis antiquioribus habebantur depuratoriae. Tertiana exquisita, cujus meminit HIPPOCRATES, 5°, 7°, 9° paroxysmo sponte solvitur et BOERHAAVIUS noster *Aph.* 754. nisi malignae, inquit, corpus ad longaevitatem disponunt et depurant ab inveteratis malis. In quem praeceptoris aphorismum haec notavit SWIETENIUS: » BOERHAAVIUS testabatur, quod longaevi homines plurimi, quos de hac re interrogaverat, in flore aetatis quartana febre, quae omnium intermittentium maxime diuturna esse solet, laboraverint." Itaque non tam tertianarum vernalium salubritatem praedicavit hoc loco BOERHAAVIUS, quam quidem quartanarum autumnalium, atque SWIETENIUS aegros se vidisse testatur idque saepius, qui tertianis autumnalibus epidemice grassantibus et pertinacissimis aegrotabant et imprudenti consilio febrim Cortice Peruviano suppresserant, antequam per febrim materia febrilis, plerumque in his casibus circa praecordia haerens, expedita fuerat: omnia incassum tentata fuisse miserosque levi ictero defoedatos languisse tota hyeme, donec mense Februario tertiana verna corriperentur, quae paucis paroxys-

mis solvebat haerentem in visceribus saburram et per alvum specie liquaminis nigri, tenacis et olidissimi expellebat; felici plerumque eventu. Conferatis cum hac SWIETENII observatione, quae retulit ad *Aph.* 747. circa epidemiam intermittentium Europaeam a. 1719, cujus etiam meminit FRED. HOFFMANNUS, nec non observationes Celeb. PORTAL de natura et curatione febrium autumnalium in Gallia (*Memoires* Tom. II. pag. 88 sqq.) in quibus venae portarum hepatisque aegritudinem et vitiatam bilis secretionem ex congestione venosa abdominali accusabat, sententiam probante cadaverum inspectione, ut adeo attinere videatur haec observatio SWIETENII ad tertianarum vernalium efficacitatem in systematis venae portarum infarctus solvendos et quidem facta derivatione ad intestina et concitato alvi fluxu vere critico salutari. » Quartanam, sic pergit SWIETENIUS, non tantum securissimam esse, verum etiam ab aliis magnis morbis vindicare, monuerat HIPPOCRATES (Epid. I.) a convulsionibus liberari illos, qui quartana corripiuntur, pariter dixit, *Aph.* 70. Sect. V. Cephalaeam, quae per annos afflixerat, per periodos recurrentem cessasse toto illo tempore, quo quartana tenebatur aeger, observavi. Dolorem inveteratum humeri dextri in homine vidi evanuisse, dum quartana febris illum corripiebat; cujus per sex menses jam durantis pertaesus corticem Peruvianum sumsit, tali cum effectu, ut quartana abesset quidem, sed re-

diret humeri dolor. Post mensem rediit quartana, quam ferens patienter, donec sensim sponte discederet, a molesto illo dolore postea immunis vixit. Palpitationes cordis violentissimas, incognitum toties quoad suas caussas malum, nec minus ad quaevis saepe remedia rebelle, sanavit quartana in celeberrimo Mathematico DE LA HIRE, qui postea sanus ad septuagesimum octavum annum vixit, confirmans suo exemplo, quartanam et ab inveteratis malis liberare et ad longaevitatem disponere." Hactenus SWIETENIUS: cujus, siquidem opus esset, harum febrium encomia multis possem testimoniis probare. Haec enim tam numerosa sunt tantaque medicorum antiquiorum in iis celebrandis facundia, ut WERLHOFFIUS e re fore arbitratus sit, peculiarem scriptionem de limitanda febris laude in publicum edere.

In exemplis ultimo loco prolatis notate, alias neuroses neurosi periodica intermittente quartana fuisse sublatas ideoque fuisse neurosium vicissitudines alteriusque in alteram commutationem. Hanc salubritatem intermittentium ludibrio habens pyretologiae physiologicae auctor, quaerit, cur maniaci, epileptici, podagrici, paralytici non mittantur habitare aut paludes Pontinicas, aut urbem Bataviae. Gravis profecto quaestio est, quam medicis aegrisque dirimendam relinquimus: qui quaeso reputent, non tantum inter duo mala optionem faciendam esse, quorum licet alterum alteri sup-

par videri posset, ut in exemplo febris quartanae et podagrae ab auctore proposito, in aliis tamen discrimen est, ut febris et maniae; ego saltem febricitare mallem, quam insanire; non tantum, inquam, inter duo mala optionem esse faciendam, verum saepe spem esse fore, ut altero malo annuo ab altero perenni liberemus, quandoquidem naturae medicatricis non minus, quam artis medicorum longae esse curationis taedia, nec impune semper perturbanda illa, deprehenduntur.

Sed quamquam interdum profuerunt, longe crebrius nocuere.

Vos igitur audite et alteram partem, ut quibus nominibus culpandae sint intermittentes, intelligatis.

Est eventus harum febrium praecipue longiorum perquam vulgaris, physconia, sive ventris intumescentia, de cujus significatione prognostica aliis aliter visum est. » Observatu non indignum est, ita Sydenhamus, quod cum febres autumnales teneram aetatem diu cruciaverint, nulla spes sit eas abigendi, donec abdominis regio, circa lienem praecipue, indurari atque tumefieri inceperit; iisdem enim gradibus, quibus hoc symptoma supervenit, febris etiam fugam meditatur, neque ex meliori alio prognostico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam si sedula animadversione oboriri hoc symptoma perspexeris." Hanc crisin, quam salutarem praedicat Sydenhamus, perquam imper-

fectam atque infidam vocat Heusingerus, in ea quam de lienis inflammatione atque tumore scripsit commentatione remque hoc exemplo probat. „Vir temperiei cholericae et irritabilis per biennium ex pertinaci febre intermittente aegrotavit, in ea, quam incolebat urbe, endemica: ex hac febre intumuit splen in eam molem, ut omnem ventris caveam impleret tumore duro; quo facto febris evanuit, color in meliorem mutatus est satisque bona fuit concoctio ciborum. Interim herbae aperientes cum liquore terr. foliat. tartari, thermae similes pilulaeque ejusdem virtutis inunctionesque mercuriales praescriptae sunt, ac post annum parumper emolliri, nec tamen decrescere videbatur: ex qua levi mutatione magnam spem concepit aeger, minus tamen bene sperante medico, qui melaenam timebat. Nec vanus timor. Nam hic non ita diu post ad aegrotum accersitur eumque adiens vidit, evomuisse ingentem sanguinis copiam inque eo plura coagula: repetiti clysteres postea plurimum sanguinem nigrum per inferiorem alvum eduxerunt, quibus cunctis evacuationibus mense exacto detumuit adeo, ut ad naturalem molem videretur reversus, nullo hypochondrii sinistri dolore superstite. Ipse autem aeger ab eo inde tempore convaluit ac viginti quinque annos continuos optima valetudine gavisus est."

Iti lienis tumores (magni lienes antiquitus dicebatur) ex maxime vulgaribus sunt febrium in-

termittentium tum quartanarum, tum tertianarum etiam sequelis. De his testatur medicus Anglus CLEGHORNIUS, se in Minorca insula centum fere corpora eorum, qui ex febribus tertianis obierant, investigasse semperque reperisse lienem insigniter tumentem adeoque liquefactum, ut speciem sanguinis membrana reconditi coagulatique magis, quam partis organicae obferret.

Hoc lienis vitium ut in febribus intermittentibus longis, praesertim quartanis vulgo observatur, agite videamus, quali tandem vinculo cum ipsa febre nectatur. Antiquiorum opinio ferebat, esse febris effectum, in cujus primo stadio, frigoris scilicet, ab externis partibus repulsus sanguis in partes internas: abdomen, portarum venam, lienem inprimis congeritur. Recentiorum quorundam conjectura est, intermittentium febrium caussam ac sedem esse in liene inflammato ponendam. Saepenumero febres intermittentes symptomata esse splenitidis opinatur HEUSINGERUS aliosque citat observatores commemorantes lienis sub paroxysmis febrilibus intumescentiam: hinc explicari subjungens, harum salubritatem a medicis celebratam quandoquidem symptomatibus hypochondriacis, nervosis, cachecticis, quae vitiorum organicorum lienis symptomata sunt, medebitur febris quartana, sive potius splenitis, quartanae characterem nacta, si felicem habeat eventum. Prius: scil. intumescere lienem sub paroxysmo febrili atque dolere et

ipse animadverti; posterius, inflammationem lienis ejusdem vitiis organicis mederi, fateor, me non satis bene perspicere, neque mihi fingere posse fortunatum inflammationis eventum in viscere vitiato antea. Priorem opinionem profiteri quoque videtur CRUVEILHIERIUS, etsi non diserte definiat rationem, quae, ipso judice, sit inter utrumque morbum. Sed lubet ipsius verba referre: » Affluxus sanguinis in lienem, quae nisi faciat, comitatur saltem febrim intermittentem, magnam habet cum affluxu inflammatorio analogiam, quae analogia eo major est, quo propius a typo quotidiano ac remittente praesertim absit; quodsi tum non festinet medicus, febrim cohibere, largis remedii febrifugi dosibus, non tollet febrem, i. e. ut ego quidem interpretor, proclivitatem ad sanguinis in lienem affluxum: verum contra ipsam hanc in affluxum inflammatorium convertet."

An haec legentes, me monitore egebitis, hanc ratiocinationem claudicare? Est fluxus sanguinis in splenem febris caussa probabilior, auctore CRUVEILHIERIO; hunc autem fluxum praevertere jubet non depletionibus, non revellentibus, nec derivantibus auxiliis, sed febrifugo largis dosibus porrecto. Ipse vir sagacissimus ratiocinationis suae vitium subolfecisse videtur, siquidem vocem fluxus cum altera proclivitatis ad fluxum commutavit: qua verborum commutatione utrum salutarem fecerit vitiosae ratiocinationi medicinam, equidem haud

definiverim. Licet eadem fere sit hypothesis HEUSINGERI, is tamen rem paullo altius repetivit. » Plane convictus sum, inquit, unamquamque febrim esse symptoma mutationum organicarum in corpore ipsamque caussam febrium intermittentium, utplurimum saltem in systemate venae portarum quaerendam esse." Contrariam sententiam amplectitur medicus Italus GROTTANELLI, auctor *Animadversionum ad varias acutae et chronicae Splenitidis Historias*, Florentiae a. 1821. editas. » Frigus febrile, ita ille rem interpretatur, intermittentis febris alia est caussa splenitidis, quae chronica utplurimum evadere solet, vel saltem ansam praebet pathologicae lienis conditioni. Illo enim tempore sanguis in lienem currit majore copia, quam alio. Aegrotos autem, quos simplicis, vel duplicis quartanae accessionibus praeterquam ingenti frigore et vomitibus laborare vidi chronica splenitide inde laborantes et lienosos in sequentem quoque annum reperi. Hoc autem in illis praecipue observatur, quibus infirma inest constitutio et in mulieribus ideo puerisque hanc chronicae splenitidis caussam frequentius deprehendi."

Inspicientes aegrotantium historias ab utroque auctore et HEUSINGERO et GROTTANELLIO perscriptas, in quarta vix parte typum intermittentem notavimus, inque longe plurimis contra typum remittentem: quod si quis vellet ex varia phlogosi repetere: acuta, chronica: arteriosa, capillari, venosa,

quas subtiliter, dummodo vere distinxit Heusingerus, vereor an semper ex symptomatum ratione morbique decursu efficere posset. Et scire ex eo averem, quomodo historiam Seraphinae Focacei ab Heusingero ex Grottanellio sub numero XI. traductam, quam ille capillari de genere fuisse contendit, explicabit, in quo sub typo quartanario jam simplici, jam duplici persistens febris lien minus et dolere et tumere incepit: nisi eo utatur argumento, veris tempore ad vernalium intermittentium indolem adpropinquasse hanc febrim: quo non sine veri specie referre posset catamenia, quae mense Aprili fluere coeperunt, prius per omne morbi tempus suppressa iisque mense Majo succedentem graviditatem, quo tempore a febre quartana primo tandemque a morbo lienis liberata est mulier.

Cernitis, non semper constantem esse cognationem inter febrem intermittentem et morbum lienis, neque hunc ubivis illam, ut umbra corpus sequi, aut alterum alteri respondere: ut ideo minus recte caussae et effectus rationem habere credantur, rectius vero ad febres longas lienis morbus referatur, ad harum febrium prognosin magis, quam ad ipsarum aetiologiam revocandus.

Praeter lienis illos morbos crebro hydropes intermittentes longiores sequuntur, quos multi pravae curationi tribuunt ac praecipue praematuro corticis usui: quod etiamsi aliquando juremerito

huic caussae tribui confiteor, tamen longe crebrius morbo, quam medicinae tribuendum censeo hancque conjecturam ipsa curatione horum hydropum probari autumo per ipsum corticem, eandem scilicet medicinam, quae febri adversa est.

De hepatis ex febre morbis conferatis laudatum antea PORTALLIUM.

Observatur etiam herpes labialis: quod morbi cutanei genus vere magis criticam, autumno contra magis symptomaticam rationem habere creditur.

De perniciosis febribus non opus est ut moneam: has enim, quod nomen indicat, sive subcontinuae fuerint, sive comitatae, ominosas fore praesentitis.

Reliqua intermittentium praesagia exposita legite ab HOVENIO (*Versuch einer Praktischen Fieberlehre*, Cap. XI. §. 278 sqq. quocum Cf. Cl. SURINGAR l. l. pag. 213 sq. §. 712.)

ALIBERTUS a functionum singularum conditione prognosin duxit quodque in therapeutice explicanda idem in hoc etiam loco interpretando fecit, ut scilicet physiologiam ducem sequatur, qua in re certe nobis laudandus videtur. Illud tamen tenere oportet, functiones non tantum singulas, sed vel maxime conjunctas spectandas esse: quo maxime principio veterum artis prognosticae praestantia nititur. Praecipue vero in harum febrium prognosi aequilibrium generis vasorum et generis nervorum animadvertisse juvabit, ex quo turbato hae

febres maxime pendent: unde fit, ut jam ad neurosium, jam ad phlogosium gentem magis inclinent, ut nunc ex morbo nervorum, nunc ex morbo vasorum majus discrimen immineat atque vel in nervorum intemperiem, vel in vasorum renisum oculos inprimis convertere oporteat.

Non deërit, quae ante dicta sunt, recordantibus hujus praecepti explicatio, nec deërit quoque legentibus, quae de therapeia dicenda erunt. Quamobrem ad exitum properantes, hunc de therapeia locum nunc commentabimur; quem veteres ne memorem, ex recentioribus, me quidem judice, optime explicuit medicus praestantissimus Nepple in ea, quam de hoc morbo conscripsit monographia saepius laudata Cff. Cap. III. pag. 150 sqq.

Febrium intermittentium curatio alia sit oportet in ipsa accessione, alia extra eandem. In ipsa accessione symptomatico utendum est medicinae genere. Frigoris stadio juvat potus tepidus, parcus, creber, calor lecti, interdum medicina antispasmodica. Potus tepidus sit oportet, sed parcus simul et creber; nam frigido augeretur spasmus, copioso induceretur anxietas absque ullo emolumento, aut febris levamine. Est enim sitis, quae tunc aegros torquet, sitis spastica, quare nonnulli laudant antispasmodica, quae ubi summum fuerit frigus summaque strictura spastica, interdum proderunt, mitiora tamen illa, quoniam semper secuturi caloris et renisus vitalis habenda ràtio est. Ejusmodi sunt

frictiones, fumigationes aromaticae, aut aromaticae tepidae potiones: lene infusum chamom v. c. cum aliquot guttulis sp. nitr. dulc.: aut laudani, aut sp. c. cerv. perquam diluti, secundum alios, quorum omnium vim adjuvet tepor lecti. Vomitus si urgeat, compescendus est aqua gazosa, quae dicitur, pulvere aërophoro, potione Riverii, laudano, frictionibus aethereis epigastrii. Stadio caloris aquosa, subacida, refrigerantia, regimen frigidiusculum et quies prosunt, omnibus stimulantibus sepositis. Hoc enim stadium tempus est reactionis, quare cavendum ab omni irritatione. Nocet nimius lecti, stragulorum, aëris calor, nocent cardiaca quaevis. Quinimmo in plethoricis, apoplecticis, ubi summus fuerit calor, venam aperire Stollius jubet jubentique suffragatur natura. Utplurimum vero sufficient diluentia acidula: potus frigidi aquosi cum succo limonum, aut succo citri, jam liberius concedendi. Nam sub calore adpropinquat intermittens febris ad febres continuas omniaque, quae hoc tempore observantur symptomata, ex activorum genere sunt.

Qui calorem sequitur, sudor blande promovendus: lecto, potu diaphoretico, vinoso interdum; non vi urgendus. Sudoris scil. stadium criticum est: quae per sudores crisis caute sustentanda est sique a paroxysmo debilitatus fuerit aeger, pauxillum vini potulentis poterit admisceri, aut juscula carnium teneriora praeberi. Nequaquam tamen ar-

te sudor exprimendus est: inde enim continuam fieri observavit SYDENHAMUS, observarunt alii; potissimum si calida adhibeantur remedia et regimen calidum. Nempe magis juvat lenis perspiratio, quam quidem copiosi largique et protracti sudores et difficulter sanantur, qui sudoribus diffluunt. Denique, nisi finito sudore, lectum non deserat aeger, ne turbetur crisis et paroxysmus, quod factum vidi, duplicetur.

Sub apyrexia febris curanda, ita ut primo procatarctica auferatur caussa, deinde proëgumena. Videlicet omnis curationis finis eo spectat, ut ex febre complicata fiat febris simplex atque ad puram legitimam intermittentem redigatur, quo facto, haec vel sponte sanabitur, vel proprio sanabitur remedio febrifugo.

Ad priorem curationis partem pertinet methodus antiphlogistica, diaphoretica, evacuans. Ad alteram pervertens, confundens, nervina: illa ad caussas occasionales adcommodata est; haec ad caussam praedisponentem. Caeterum ubi compositum est morbi genus et complicatum, hae medendi methodi diversimode componendae sunt, aut aliae post alias adhibendae. Methodum antiphlogisticam postulant intermittentes vernales plethoricorum, ad inflammationes, haemoptoën, apoplexiam proclivium, apyrexia imperfecta, cephalalgia ingens, inflammatoria, delirium grave, sub stadio caloris. Nimirum intermittentes vernales solent esse subin-

flammatoriae, quae si eveniant plethoricis, propter congestiones capitis, pectoris, timendae sunt pulmonum, cerebri haemorrhagiae, aut topicae phlogoses. Hujus timoris justa suboritur caussa, ubi paroxysmi protrahuntur et in continuitatem vergunt, ubi graviora sunt caloris stadio symptomata, pulsus validus, fortis, magna anxietas, dyspnoea, atrox capitis dolor, ferox delirium. Quae si fiant, antiphlogistico adparatu, potu multo, nitroso, salino, eccoproticis, ipsa subinde sanguinis depletione vel universali, vel topica utendum est. Rem in constitutione vernali a. 1773. notavit Stollius *Rat. Med.* P. IV, pag. 492. Interdum sub ipso caloris stadio vena secanda est, ubi magnum delirium, aut metus apoplexiae. Nam qui hoc stadio subinde periisse leguntur, ii apoplectici fere perierunt.

Sunt, qui putant, methodum hanc intermittentibus cunctis idoneam esse, quippe ab irritatione, aut inflammatione ventriculi et intestinorum aliorumve organorum oriundis et exempla proferunt felicium sanationum per hanc methodum obtentarum. Celeb. Boisseau, in quamplurimis casibus venaesectionem et hirudinum admotionem sufficere scribit febri intermittenti tollendae. In rei testimonium citatur exemplum unicum viri, qui postquam navi vectus in fluvium incidisset, febre prehensus est, cum vomitu et gravi cardialgia, quae symptomata die intercalari perstiterunt. Epiga-

strio bis admotae sunt hirudines viginti quinque, altera vice casu fortuito ipso accessionis die tribus horis ante hanc ipsam haecque rem mirante etiam medico non rediit." Fuit haec gastritis rheumatica, nec simplex intermittens, sed cum inflammatione conjuncta; uti ostendunt symptomata, quae a paroxysmo supersunt: unde hirudinum usus. Quodsi quaeratis, cur accesserit typus intermittens febrilis, explicationem dabit ipsa historia. Scilicet m. Majo ex febre tertiana aegrotaverat suppressa iterumque reversa m. Junio et suppressa denuo, nec tamen penitus, siquidem neglexerat medicus complicationem. Quid mirum, in hoc aegro, hoc anni tempore, rediisse iterum iterumque intermittentem, cui corpus adsueverat, sive potius sub hac forma renisum vitalem, gastrica irritatione suscitatum, prodiisse atque hac irritatione sublata, siluisse.

An fortunae, an arti salutem acceptam referre debuerit aeger, dubium; quod si sanguine fluente in novum febris paroxysmum incidisset aeger, in grave conjectus esset discrimen vitae, quod pluribus exemplis, siquidem res probatione egeret, probari posset.

Casus Guilielmi Sonneveldii apud Forestum nostratem (est Obs. III.) cui post tertium intermittentis tertianae paroxysmum vena basilica, sanguine ad unc v emanante, in manu dextra secta est, quo facto febris illum reliquit: et alter feminae gra-

vidae apud Fred. Hoffmannum (Obs. I. est) cui idem remedium saluti fuit; quos plurimis aliis augere possem, testantur, hanc curandi methodum antiquioribus medicis non fuisse ignotam. In utroque casu die intercalari sanguis detractus est: Hoffmanni aegra ex quartana decubuit, quae pessima curatione stimulante exacerbata, deinde antiphlogistica curatione mitigata, tandem cortice penitus abacta fuit (II, 28 sq.) Ejusmodi curationis spontaneae, qua per haemorrhoides fluentes a quartana pertinacissima liberatus est aeger, exemplum exstat in *Obs.* 41. Foresti, medicis ad imitandum propositum.

Solebant medici antiquiores apyrexiae maxime tempore venam secare. Doctiss. Nepple alterum febris stadium habet tempus maxime opportunum huic remedio. Mihi suum esse in singulis casibus sanguinis detrahendi tempus videtur: ratione aegri corporis, morbi aut compositi, aut simplicis ejusque symptomatum. Saepenumero vidi (est monitum illius, quem, modo citabamus viri doctissimi) febres quartanas longas in corporibus robustis sanguineis unica tolli venaesectione, post febrifuga quaevis incassum data. Verum facies horum aegrotantium non erat cachectica illa, leucophlegmatica incolarum regionis palustris, sed plethorica, colorata, levi quamvis flavedine tincta, pulsu pleno, ventre tumente ac dolente venisque crurum ex sanguine turgentibus. Venaesectionem cortici

praeponit experientissimus medicus Bailly. Verum notandum est, in climate calido Romano, aestate fervida, creberrimisque capitis inflammationibus, observationes suas collegisse, id quod aegrorum ostenderunt symptomata et extispicia mortuorum, ut de multis dubites, utrum magis phrenitidis et encephalitidis hae fuerint, an intermittentium febrium historiae.

Methodus diaphoretica fit per decocta radd. aperientium: gramin. bardan. inf. samb. chamom. cum tart. emet. refracta dosi, sale ammoniaco, sp. Minder. similibusve, interpositis interdum americantibus, subamaris, amaris, quae resolventia antiquitus dicebantur, qualia sunt: extr. tarax. card. bened. cent. min. trifol. fibr. gentian. absynth.; aut iisdem post priora illa praescriptis: quae quidem remedia, quia stomacho intestinisque grata sunt, quae in hoc morbi genere saepenumero atonica sunt, potissimum prodesse videntur. Nocet methodus veterum resolvens corporibus debilibus, laxis, sudoribus largis, nocturnis, diffluentibus. Caeterum in febrium intermittentium principio praesertim quam latissime patet eorum usus. Febris tertianae sudore solutae hoc profert exemplum Forestus. » Juvenis quidam Alcmarianus ann. 26. ex itineris longitudine defatigatus principio aestatis in tertianam febrem incidit. Adhibitis minorativis, parca venaesectione ac leniori carthartico, quinto paroxysmo, cum valde sitiret, avidissime bibit pti-

sanam gelidam, quam concesseram; e cujus potu vehementer sudavit, ita ut sequenti paroxysmi die immunis a febre evaserit et haec ipsa per sudorem soluta fuerit."

Methodus evacuans: sive emetica, sive cathartica, ubicunque status gastrici notantur indicia indicatur. Si vertigo sit scil. et nausea et oris amaror ructusque et dolor ventriculi et linguà sordida, emetico excutienda haec colluvies est, sive ex ipecacuanh. rad., sive, si simul purgandum sit, ex tart. emetico. Disputatum fuit, utrum emesis ante, an vero post paroxysmum febrilem sit concitanda. Qua in re naturae vocibus obtemperandum est. Nam si ante paroxysmùm adpareant signa status gastrici, ante paroxysmum praebendum est vomitorium, si post paroxysmum, hoc tempore vomitus ciendus est. Animadvertite tamen, quae sub ipsa accessione febrili adsunt nauseam et vomitum, ex febre esse et ventriculi sympatheia, neque emetica propinanda ore sicco, lingua arida, faucibus calentibus magnaque siti, sed diluentia: inque iis persistendum non esse, donec dispareant linguae sordes et status gastrici signa: haec enim crebro ab ipsa nasci ventriculi atonia. Sin dolor lumborum, borborygmi, flatùs, tensio hypochondriorum, sensus ponderis in colo transverso purgationem alvinam indicet, haec fiat tum per purgantia leniora, tum per clysmata, quibus solis vernales quandoque sanasse sese refert SYDENHAMUS.

In his remediis deorsum purgantibus major etiam, quam in emeticis adhibendis requiritur cautio, nam a catharticis diu nimis imprudenterque adhibitis hae febres ingravescunt adeo, ut vel in continuas mutentur, vel in quartanas maxime rebelles. Quocirca damnandus illorum medicorum mos est, qui drasticis tentare solent haec febrium genera, unde et altiores radices agere et hydropes, diabetem, cachexiam nasci, cum Swietenius, tum Sydenhamus animadverterunt.

Observationem febris tertianae vomitu alvoque solutae refert Forestus sequentem: » Josephus Monachus a. 1556. in fine aestatis, vir annorum sexaginta, in tertianam febrem intermittentem quoque incidit, cum vomitu bilioso et dejectionibus utcunque biliosis. Huic cum alvus satis fluxerit per se et urina ignea esset, neque crassa, aut valde rubra, a venaesectione abstinuimus sed epoto syrupo solvente et victu convenienti usus, cum per se biliosa evomeret et alvum lubricam satis haberet, quinto paroxysmo febris desiit."

Qui methodi antigastricae salubritatem recentioris etiam auctoris testimonio cupiant confirmatam, consulant testem locupletissimum Nepple, qui et crebro usu harum febrium historiam didicit et mentem liberam servavit a praejudicatis sui seculi opinionibus, quarum dominio medicorum plurimorum ex aequalibus et popularibus suis mentes subjiciuntur.

Alia methodus harum febrium curandarum est

confundens, perturbans, qua scil. imminens paroxysmus praevertitur. Omnis haec methodus eo tendit, ut perturbetur paroxysmus febrilis ejusque typus confundatur, moto videlicet per diaphoretica (inf. l. sassafr. chamom., addita parca opii dosi) paullo ante paroxysmum sudore, aut per emeticum omni corpore concusso, aut animi pathemate graviori concitato. Nimirum contingit saepenumero, ut character ille febrilis tam alte generi nervorum imprimatur, ut propter consuetudinem perpetuo revertatur intermittens. Ab hac autem prava consuetudine abducendum est corpus et abducendum quidem valido remedio alterante. Quod ut tuto fieri possit, febris sit oportet pura, mere nervosa, ex consuetudine protracta. Et sub his quidem conditionibus praevertens illa methodus tuto poterit adhiberi.

Emetica quod spectat, testatur Galenus, multos se nosse statim post vomitiones spontaneas a febre prorsus liberatos, ita ut haec etiam methodus naturae nitatur observatione.

Sudorifera methodo uti solebat Sydenhamus, qui in tertianis autumnalibus quatuor horis ante paroxysmum aegro in lecto collocato et stragulis undequaque cooperto dabat serum lactis cerevisiatum, cui salviae folia incocta fuerant, ut provocaret sudores, quibus obortis dabat pilul cochiar. major. scrup. duos, solutos in unc. una mixt. spirituosae et duas drachm. theriacae Andromachi (quae opium

habet) adeoque purgantium enervabat potestatem. Cujus remedii illud fuit consilium, ut binis illis contrariis purgandi et sudandi motibus, eodem tempore concitatis, ordinatum paroxysmi processum confunderet atque interturbaret. Eodem consilio sola diaphoretica sub regimine calido lectique tepore ante paroxysmum ingerenda praescribuntur et balnea calida, CELSO auctore, adhibentur et opium, quod duplici ratione prodest, tum sudores movendo, tum obtundendo acutum nimis nervorum sensum.

Obs. IX. febris tertianae ap. FRED. HOFFMANNUM Tom. II. pag. 21. legitur historia ejusdem curatae et in continuam conversae eodem remedio, quae cum ad hanc perturbantem methodum pertineat, eam referre hoc loco peropportunum censeo. » Miles quidam robustus, postquam in coena ad satietatem usque ingessisset et noctu aëre nebuloso excubias egisset, praecedente horrore, nausea et conatu ad vomitum corripitur, subsequente aestu et anxietate. Redeunt haec pathemata tertio die acerbiora ideoque ad chirurgum properat, qui die vacuo primum dat emeticum, septem ante paroxysmum horis, quo strenue pituitam cum bile evomuit. Febrili die, tribus ante paroxysmum horis, idem morbi artifex piperis albi grana xv. stercoris muris gr. x. et lapidum cancrorum drachmam dimidiam in aliquot cochlearibus sp. vini porrigit et jubet, ut desuper biberetur cerevisia probe cale-

facta. Miles lecto inclusus sudat inde fortiter, paroxysmus fugatur et repetito aliquoties hoc remedio, cura feliciter absolvitur. Accidit vero haud ita multo post, ut juvenis cholericus in iram pronus et liberaliter vino indulgens, tertianae implicaretur. In consilio vocatur idem chirurgus et idem remedium exhibet, sed tam sinistro effectu, ut continua inde fere fieret febris, aestus augeretur, aeger deliraret et de exquisito ardoris, quasi carbonis igniti sensu, in scrobiculo cordis quereretur. Parata igitur emulsio aliaque remedia ac demum adjunctus usus electuarii e cort. Peruv., quem excepit liberalis alvi fluxus tam salubri eventu ut febris discederet, symptomata quiescerent et aeger sanitatem reciperet."

Quae celebrantur intermittentium pertinacium curationes per amuleta, incantationes, preces, ab ea quam aegrotantes his remediis tribuunt fide atque auctoritate repetatis. Nam magna est animi hos morbos curandi potestas, quam etiam testantur, quae subito animi affectu animique diversione sanatae leguntur. Hoc modo juvenem sanavit medicus excellens Fred. Guil. v. Hoven, qui postquam tres menses continuos incassum china china aliisque remediis numerosis usus erat ac complures medicos consuluerat, ipsum accersivit, magnam ei fidem tribuens. » Cum ab eo acceperam, (inquit) quae adhibuerat, neque alia praescribenda noveram, alio prorsus remedii genere, nempe animi me-

dicina opus esse intellexi. Diu igitur pulsum ejus exploravi oculisque in eum defixis praedixi, tanquam de rei veritate certus, febrim non redituram esse: et febris non rediit."

Ne rem miremini A. A.! perpendendum est, intermittentis frigus, circa quod praevertendum omnis illa methodus versatur, esse affectionem generis nervorum.

Haec autem methodus non tantum ad paroxysmum brevi futurum praevertendum, sed ad eundem natum jam confundendum adhibetur tuncque methodus confundens dicitur, priori illa et efficacitate et discrimine major.

Methodus nervina ad caussam proëgumenam praecipue adcommodata nervinis utitur, cardiacis, narcoticis, inprimis vero Cort. Peruviano, quod princeps et proprium harum febrium remedium est. De qua methodo mox.

Interea alimentum praebeatur eupeptum, euchymum, eo copiosius, quo longior apyrexia, febris diuturnior, protractior, tempore intercalari, a futuro paroxysmo maxime remoto. Est enim in his febribus, potissimum pertinacioribus major alimenti ejusque solidioris necessitas, quam in reliquo acutorum genere. Itaque cibus dandus est tempore apyrexiae, quodsi diuturnum sit, quam integerrimo corpore dandum est, si breve, satius est (sunt verba Celsi) principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi. Hinc cibandi tem-

pus sit a futuro paroxysmo maxime remotum, ne quae incidat febris peractam nondum digestionem turbet, aut alimentum novo stimulo febrim augeat. Abstinendum praeterea ab omnibus debilitantibus: victu crudo vappido, aquoso, potionibus tepidis, cibo duro lardaceo, aut etiam piscino. Juvant quoque moderata corporis exercitia, nisi aeger debilior et quidem in quartana postero die sive corporis motu, seu gestatione. Quo die vero febrem expectabit, ante surgere et exerceri dareque operam oportet, ut in ipsum exercitationum tempus febris incurrat; sic enim saepe illa discutitur. Somnus autem longior sit, ut corpus febrili motu defatigatum quiescat.

Atque his quidem diaeteticis remediis multae vernales facile cedunt: quare Sydenhamus eas suo semper arbitrio permittendas existimavit nihilque movendum, cum ab evacuantibus praesertim remediis morbum viderit pertinaciorem factum magisque exacerbatum (*Opp.* Sect. I. cap. V.) Sublata febre, victu analeptico medicamentisque cardiacis aeger reficiundus est.

Praemissis reliquis medendi methodis sequitur, ut de celeberrima illa videamus, quae cortice Peruviano perficitur. Indicatur, si febris autumnalis vehemens, corpus ex aegritudine debile, sudor colliquativus, symptoma periculosum, metus gravioris mali a febre perstante, obstructiones solventibus auctae, morbus diuturnior, per consuetudinem recurrens, neque signa adsint internae inflammatio-

nis, neque collecti alicubi puris, neque obstructi admodum hujus illiusve visceris. Habetis conditiones a BOERHAAVIO nostro ejusque ad exemplar a STOLLIO propositas, ex quibus hoc remedio febrim et posse et debere tolli, efficitur. Singulas interpretabor paucis. Itaque indicatur: primo *si febris autumnalis vehemens*, vel etiam vernalis, propter aëris constitutionem aliamve caussam ad autumnalem accedens. Tum, *si corpus ex aegritudine debile*, ita ut metus sit, ne sufficiat febri tolerandae, aut ne hydrops oriatur, icterus aliave cachexia, quod praecipue ab autumnalibus quartanis protractis timendum est. Vernales enim magis esse solent salutares depuratoriae. *Si sudor colliquativus*, qui et summam debilitatem et febrem denotat in corporis perniciem tendentem, corruptivam, quales etiam fieri possunt protractae diuturnaeque, etiamsi initio fuerant benignae. *Si metus gravioris mali*: chronici videlicet. Si debilitas intestinorum, unde *obstructiones solventibus auctae. Si morbus diuturnior.* Pessimus nempe eorum mos est, qui omnem intermittentem mox cortice supprimunt. Nam sive vernalis sit, ea sponte curari et salutaris esse et ad phlogisticam naturam inclinare deprehenditur. Sive autumnalis, haec initio biliosa esse et gastrica solet, quamobrem nocebit plerumque valdopere haec praxis. Duplex autem malorum genus a praematura febris suppressione nascitur: alterum viscera spectat, abdominalia po-

tissimum, alterum genus nervorum: hinc icteri, hydropes, convulsiones, aphoniae, nervorum ataxiae, anomaliae, caet.

Eo praecipue nomine veterum praxin commendat Nepple, quod prius organorum irritatio apyrexiae tempore debellanda est quodque temporis profectu et reactio fortior et sudor largior et intermissio plenior fit quodque interdum sponte, aut 4°. aut 5°. paroxysmo, febris desinit.

Excipiendi tamen illi casus sunt, ubi in typum continuum vergat intermittens, aut sub typo continuo prodeat, quod fieri solet in intermittentibus illis aestivis, quae ut maxime sunt corruptivae, ita promptam requirunt a cortice medelam, subinde jam post tertium paroxysmum. Debet autem tunc cortex dari tempore remissionis. Excipi quoque debet illud intermittentium genus, quod *symptoma* habeat *periculosum*, sive cum paroxysmo cohaereat, sive ad omnem pertineat aegrotantis conditionem.

Si per consuetudinem recurrat: a charactere vid. febrili, nervorum generi impresso, quae quidem febres maxime corticis sunt capaces.

Si neque signa adsint internae inflammationis v. c. hepatitidis, quae crebra utut levior in febribus autumnalibus epidemicis, in quibus valdopere nocet cortex.

Neque collecti alicubi puris et quidem abscessuum internorum; etenim phthisicis, hecticis obest cortex;

contra prodest saepe in abscessibus externis, magnam puris copiam secernentibus.

Aut obstructi admodum hujus illiusve visceris. Quae viscerum obstructiones potissimum post fervidas aestates observantur; qualem Epidemiam sese a. 1719. vidisse testatur Swietenius (*Comm. II.* pag. 564.) quae per totam Europam grassata est: colore oculorum icterico, hypochondrio dextro tenso, urina biliosa. Nec tamen omnis obstructio viscerum corticem prohibet. Est enim obstructio quaedam levior, atonica, quam una cum febre tollit cortex, utpote hujus sequelam nihilque aliud nisi viscerum a morbo inductam debilitatem atque atoniam.

Atque haec quidem sunt corticem Peruvianum contraindicantia, quibus illud universale est adjungendum, quod ab intermittentium in corpus vi atque effectu ducitur. Nimirum quamdiu cum euphoria atque levamine quodam tolerant aegrotantes hos morbos, sibi sunt permittendi et tunc inprimis sistendi non sunt, ubi a gravioribus malis corpus liberant.

Cum hujus loci non sit de historia corticis litteraria verba facere (a. 1649. innotuit) illud tantum animadversione dignum videtur: primo, ex Torti testimonio l. l. pag. 3. adhibitum fuisse ad curandas quartanas, deinde ad alias etiam intermittentes quaeque ex intermittentium genere sunt translatum fuisse. Huic remedio adnexa erat schedula

quaedam, sive admonitio de administrandi ratione, quales schedulae remediis arcanis adjungi solent. Haec autem Schedula Romana dicta est, quia patres ex societate Jesu, qui in America degebant meridionali, medicamen illud Romam miserunt ad socios sui ordinis, qui illud distribuebant, adjecta schedula.

Dabantur adultis drachmae duae C. Peruviani in subtilissimum pulverem redacti, ex vino simul et semel in ipso paroxysmi initio, paroxysmo jam incipiente, eo quidem eventu, ut paroxysmus supprimeretur subsequens: ille vero, qui jam inceperat, intensior esset plerumque. Jam si cogitetis, tunc datum fuisse corticem in substantia, plena dosi, corpore maxime integro, valde efficacem fuisse hanc methodum non mirabimini, quam per 50 annos adhibuisse sese testatur TORTUS, ad FRASSONI praeceptoris sui, exemplum.

Postea vero relicta fuit haec methodus a SYDENHAMO etiam et MORTONO, quoniam in Anglia fertur lethales inde accidisse casus et saepe aegros anxios reddidisse (SYDENH. *Ep. Resp. I.* pag. 301). Inde apyrexiae tempore datus fuit, ita ut unciam unam sumerent aegri inter utrumque paroxysmum, quam ad rebelles etiam quartanas tollendas sufficere, auctor est SYDENHAMUS.

Pulvis est efficacissima maximeque certa corticem adhibendi formula. Debilior tamen stomachus melius aut decoctum fert, aut infusum, aut chininum deni-

que sulphuricum, nuper celebratum, quod remedium, etsi febrifuga virtute cortici non cedat, cedit tamen virtute roborante, cardiaca, adstringente. Infantibus puerisque morosioribus clysmata e cortice injici possunt, alvo tamen prius alio enemate evacuata. Tunc autem tripla opus est dosi et parca sint clysmata illa oportet unc. IV—V. adultis: junioribus vero unc. I—II. cujus methodi HELVETIUS, medicus Parisiensis se jactat inventorem, Cf. SWIETEN *Comment.* Tom. II. pag. 567. Caeterum in casu gravi efficacissimum semper expertus sum Cort. Peruv. rubrum, quo pertinacissimas etiam quartanas fugere mihi contigit.

In febribus continuis illis, quae ex intermittentium gente sunt, remissionis tempore tantum corticis ingerendum est, quantum sufficit febri tollendae, ita ut mox ubi sudor aliave remissionis indicia notentur, curationis fiat initium; quodsi febris fuerit remittens tertianaria duplex, dies exacerbationis levioris tempus est huic remedio maxime opportunum, quo tunc supprimetur simul et gravior respondens exacerbatio et hanc secutura levior.

Ut autem cognoscatis, quanta sit corticis ad domandas febres exitiales in continuitatem proclives potestas, lubet hic inserere casum, quem scripto mandavit TORTUS, qui hujus praeceptori FRASSONO debetur quoque TORTI praxis, referente ipso, circa usum meliorem corticis nitebatur.

» Patricius quondam vir Octavius Masellus quinquagenarius habitusque corporis summopere obesi, corripitur febre quartana simplici intermittente, circa annum 1678. Post aliquot paroxysmos incipiunt accessiones aliquantulum fortiores et in sua duratione protrahi. Observantur tractu temporis in vigore febrilis effervescentiae aliqui motus tremuli et subsultus tendinum, lingua fit scabra, urinae imminutae ac crassae mensque non omnino constans; soluta tamen accessione, solvuntur omnia. Quia vero quolibet paroxysmo gradatim intenduntur eadem symptomata et paroxysmi iidem majorem extensionem aequirunt, de propinando celeriter cortice, priusquam febris reddatur continua, decernit experient. Frassonus curans. Et quoniam eundem aegrotantem amicitiae ergo invisere solebat alter medicus, majoris auctoritatis et gradus, licet nec majoris eruditionis, nec aequalis experientiae, huic quoque communicari Frassoni consilium, congruum visum est assidentibus. Horruit hic, iis auditis, mala innumera aegro ominatus, si china china oblata fuisset, cui potius remedia cardiaca et bezoardica substituenda esse clamabat, repetita insimul, quae paulo ante luculenter celebrata fuerat, venaesectione, hirudinum quoque et cucurbitularum appositione instituta et aliis hujusmodi. Haec Frassono relata impedimento fuere, ne corticem offerret; protestabatur tamen, quod cuncta mala cessura erant amico aegrotanti,

neglecto usu corticis opportuno. Differri tamen in alteram accessionem hujusmodi remedium instabant consanguinei aegrotantis. Periculum esse in mora respondebat Frassonus: se tamen nolle, altero medico non approbante, imo palam improbante, corticem exhibere. Interim, non obstantibus, quotquot praescriberentur, cardiacis aliisque praesidiis, novus de more paroxysmus accessit, iisdem sed longe intensioribus stipatus symptomatibus, quibus insuper singultus frequens atque importunus addebatur. Neque evanuere brevi, ut antea, eadem symptomata, sed tantum imminuta fuere cum proportione aliqua ad decrementum febris, quae tamen protrahi coepit, usque ad alterum paroxysmum, remissionem tantummodo modicam passa loco consuetae intermissionis. Intra duas vel tres accessiones mortem futuram non sine lacrymis ominabatur Frassonus, omissionem culpans ex una parte et ex alia gratias Deo reddens, eo quod sors veluti quaedam obstiterit oblationi corticis, quem fortassis inaniter et cum calumniae periculo tentatum ex iis, quae subsecutura erant suspicabatur. Clamabat contra alter medicus, optimum consilium fuisse, abstinuisse a cortice, quippe remedio semper quidem suspecto, maxime vero in hac febre occultam prius, mox remediorum methodicorum develatam malignitatem prae se ferente. Clar. interim Jo. Bapt. Beccabadatus, amicus aegrotantis amantissimus, Frassonum privatim interpellavit sua-

sitque, ut corticem vellet exhibere, post habitis alterius medici in curam nequaquam vocati sophismatis, quotiescunque eo remedio aegrum sanari posse haud improbabiliter crederet: subdens insuper, aequum non esse, ut propter medicas cavillationes, vel politicas cautelas, vel vana officia periret homo, intentato remedio probabiliter profuturo. Ad haec respondebat FRASSONUS, occasionem suapte natura praecipitem jam lapsum esse, febrem jam nedum continuam (etsi remittentem) sed et malignam esse redditam et consequenter cortice inexpugnabilem. Interroganti vero, num saltem sine damno posset remedium tentari, ultro respondebat, se credere corticem in hoc casu aeque insontem ac invalidum: nolle tamen proinde dubio tentamine illum aegrotanti praescribere, *nec subire speciem ejus ut occisi, quem brevi sors ipsius erat peremptura.* Si res sic se habet, subjunxit alter: offeram ipse, nec refert, si virum mihi amicissimum, caeteroquin moriturum jugulasse dicar, quem interea servare per remedium tutum in periculo certo et in occasione ancipiti, extra spem non est. Hoc dicto abiit statim, drachm. II pulv. chinae chinae a monialibus emptas secum detulit easque ex vino, ut mos erat, aegro potandas dedit ingruente paroxysmo: quo non sine magno discrimine transacto, novus non rediit. Inscius rei gestae alter medicus triumphum canebat, reportatam de morbo victoriam cardiacis adscribens. FRASSO-

nus vero totius successus conscius jam factus, dolo laudabili, eundem corticem adhuc praescribebat ad semidrachmam singulo mane in forma boli, sub nomine confectionis alchermes et de hyacintho. Hac pia fraude citra aliud pharmacum aeger a reliquiis febrilibus, a motibus convulsivis, singultu etc. intra paucos dies feliciter evasit, nullam omnino dein recidivam passus." Hunc eo lubentius excerpsi casum, quoniam non tantum corticis vim eximiam docet, sed simul exemplum praebet perquam rarum, quartanae febris transeuntis in continuam.

Quo simplicior corticis adhibendi sit formula, eo praestantiorem esse, omnes testantur artis magistri. Itaque vel pulvis tantum, vel decoctum, vel infusum praescribitur, nec nisi alia adfuerant symptomata, propriam sibi medelam postulantia, quicquam praeterea opus est. Aliquando tamen cathartici vice cortex fungitur, sive propter summam intestinorum mobilitatem, sive propter aegri idiosyncrasiam, ubi laudanum addere jubet Sydenhamus: alii ante corticem praebent. Summam corporis laxitatem martialia requirere et ad corticis operationem certa opus esse tensione in practicis scholis adfirmare solebat Paradisius. In chloroticis, leucophlegmaticis saepius hujus connubii expertus sum salubritatem.

In locis denique paludosis, quartanis pertinacibus, ex consuetudine redeuntibus, aegrisve debilibus, major requiritur remedii dosis. An autem

haec tanta esse debeat, quantam Romae vel dedit, vel ab aliis datum vidit, qui refert Doct. Bailly, vix crederem. Ubi febri debellandae tanta opus est remedii dosi, praestat chinin. sulphur. vel solum, vel cort. additum praescribere: quod universe, si prompta sit oportet febris suppressio, reliquis e cortice paratis medicaminibus longe antecellit. De hujus etiam et dosi et porrigendi ratione dissentiunt medici. Sunt qui paucis repetitisque vicibus, gr. I—III. quavis hora aut bihorio, sunt qui largis vicibusque rarioribus gr. IV—X. utuntur. In hac praescriptione et typi habenda ratio est et corporis universi et ventriculi praecipue. Nimis parca repetitaque dosi minus, quam majori et rariori prodesse et hoc remedium et unde paratur corticem, una medicorum principum consentiens vox est; qua de re circa posterius medicamen Tortus, circa prius, ex recentioribus, Nepple consulendi sunt. Nec tamen probo corticem ad uncias complures, aut chininum sulphuricum ad scrupulum propinatum esse, quemadmodum Romae factum esse refert Bailly minimeque miror, a ventriculo rejectum esse hoc remedii pondus.

Regimen aliud sit alio anni tempore, aegro, morbo. Universe nocent ciborum abusus, potiones tepidae, victus vappidus, crudus, infirmioris materiae; juvant cibus parcus, euchymus, eupeptus, animalis vinumque. In corticis usu diu post sublatas etiam febres persistendum, propter facilem

recursum, in primis ubi febris pertinax, ac constitutio epidemica, endemica corporisque temperies intermittentibus faveant. Nimirum per febrim ipsam corpus contrahit febricitandi consuetudinem, quae longo demum corticis usu tolli potest; hinc crebra intermittens recidiva, praesertim in regionibus paludosis depressis, ubi endemicae sunt hae febres, aut post pertinaces quartanas multosque recursus, nec non tempore autumnali et ubicunque epidemicae valde sunt intermittentes. Tum quoque hominibus intemperiei nervorum: infantibus, pueris, feminis, quorum corpora diathesin habent febrilem, in morbos periodicos proclivem.

Observavit WERLHOFIUS *Obss. de Febr.* Sect. IV. §. 4. *Opp.* pag. 171. esse quaedam tempora, quibus recidivae et crebriores esse solent et faciliores. Ante eum jam observaverat CELSUS. » Si febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi a sano etiam aliquamdiu timetur." Hoc autem monitum Celsianum dies spectat. WERLHOFIUS vero praecipit, etiam spectandas esse hebdomades; quippe febres ex tertianarum genere reverti solere aliquo secundae hebdomadis die, sive post quartam mensis lunaris partem; quartanas et quotidianas non altera, sed tertia, sive post lunaris mensis dimidium recidivas fieri. Quare post febrim suppressam cortice eo usque utendum est, donec vel minimum adpareat

paroxysmi hora aegritudinis indicium. In tertianis post unius hebdomadis quietem, hebdomade paroxystica denuo ad corticem revertebatur eaque quantitate dabat, qua opus fuerat ad febrem profligandam. Quae si fuerat unc I. dabatur dr. I. per octo dies, singulis, aut alternis pro typi ratione: si alternis dr. II. In quotidianis et quartanis tertia hebdomade, quae paroxystica, medelam prophylacticam iterabat. Atque hac quidem methodo recidivas optime praecaveri posse adfirmat. Quietem autem illam interponere ideo videtur utile, ne natura nimium medicamento adsuesceret.

Vulgo creditur cortex diathesin febrilem, quae harum febrium seminium est quaeque in genere nervorum ponitur, vel delere penitus, vel pro tempore tollere, ita ut tum etiam ubi expugnari uno ictu febris nequeat, tamen inducias impetret, quibus impetratis corpus interim possit roborari ad novamque accessionem tolerandam muniri. Additur: hanc praestantissimam vim in larvatis praesertim cerni, quae ut maxime virtutem nerveam prosternunt, ita prompte cortice enervantur; atque hinc perspici, cur alia nervina, epithemata, inunctiones dorsi spirituosae, quas laudat BOERHAAVIUS Aph. 768; cur juvent saepe epithemata de cortice Peruv. vino aut vini spiritu irrorato, quo epithemate tenellorum intermittentes et ipse saepenumero sanavi; perspici denique, cur sanet cortex sine ulla sensibili evacuatione. Quae etsi non negamus, tamen

neque corticem reliquis nervinis, neque intermittentes neurosibus aliis prorsus aequiparamus.

Nec febres duntaxat, verum febrium etiam sequelae tolluntur cortice. Nam hydrops, icterus, aliique febrium effectus, si a febre proxime originem traxerint, nec quoddam organicum in corpore vitium lateat, huic auxilio non tantum certe, verum etiam sat cito cedunt.

Autumnalibus potissimum respondet cortex, eo majori porrigendus dosi, quo magis constanter eadem hora revertantur: hae enim altas egerunt in corpore radices: quamobrem majorem postulant febrifugi vim, ut character ille febrilis deleatur.

Quodsi post inducias impetratas tamen iterato redeant, suspicio justa suboritur caussae in corpore latentis, febrem semper denovo excitantis, quae plerumque haerebit in officina prima atque prius erit semovenda, quam in ipsam agi possit caussam praedisponentem, qua demum sanata, optimum habebit cortex adhibitus eventum. Ipse talem observavi casum, ubi a medico experientissimo seniore, propter numerosam tamen praxin, ut fieri solet, observatore parum diligenti, praescriptus fuerat cortex, suo non tempore, aegro icterico, marasmode, lingua arida, flava, hypochondrio tenso, alvo stricta, urina biliosa. Enemata et alvum solventia remedia plurimam subduxere faecem vetustam, scybalosam, duram, qua educta per corticem cum serpentaria junctum, quem nunc opti-

me ferebat aeger, febrem sustuli. Crebro ventriculi aut irritatio subest aut inflammatio, sive morbi, sive medicinae, sive diaetae culpa; quales casus fuere, quos notavit Broussais; notarunt alii, notavi ipse. Autumnales accedente frigore increscunt: quocirca hybernae febres, observante etiam Hippocrate, quam longissimae sunt. Vernales, superveniente calore, sponte solvuntur, unde cur prudentis regiminis, aut medicinae calidioris tam egregius sit usus; cur altera alteram pellat epidemiam: cur tanta utilitas sit itinerum in regiones altiores, sicciores, calidiores susceptorum, ad quartanas maxime diuturnas sanandas, perspicitur; quae itinera, incassum datis febrifugis, id commodi habent, ut e regionibus paludosis in salubres migrent aegrotantes atque paludum effluvia vitent: quaeque praecipue verno tempore facienda sunt.

De complicationibus earumque curatione praecepimus. Supersunt symptomata, quae peculiarem curam postulant. Ex his memorari praecipue debent frigus, sitis, anxietas, vomitus, delirium, sudor.

Frigus inprimis quartanarum protractum intensumque vel a spasmo est, vel a virium infirmitate: illud antispasmodica opiataque, hoc cardiaca requirit et corticem praesertim Peruvianum.

Ad spasmum solvendum laudant potionem tepidam, antispasmodicam, opiatam, parce tamen ac caute praebendam, quandoquidem sub frigoris cu-

ratione semper caloris futuri memorem esse oportet medicum.

Est aliud frigus intensissimum, marmoreum, hystericarum, minus metuendum, a statu nervoso inductum curandumque nervinis antihystericis auxiliis. Est denique frigus ingens, periculosissimum, corporum exhaustorum senilium, in quo indicatio vitalis jubet mox febrem Cortice supprimere, ne morbo succumbat aeger.

Suppar sitis et ratio et medicina est. Sitis nimirum vel frigoris tempore aegrum molestat, quo spastica est, antispasmodicis restinguenda, vel tempore caloris oboritur, potum crebrum, largum, acidulatum imperans.

Anxietas vel sanguinea est eaque sive pulmonalis, sive abdominalis, vel spastica a nervorum genere; vel mixta ex utroque. Prior antiphlogisticis curanda; ubi ingens, venaesectione, quae pulmonali: aut alvi subductione leni, quae abdominali congruit. Spastica, quae frigoris stadio, antispasmodica eaque leniori optime curabitur medicina. Quodsi utrumque genus junctum sit, sive juvenili aetate, qua pulmonalis, sive senili, qua crebrior abdominalis, cavendum ab omni stimulo et utendum antispasmodicis, nitrosis tepidisque potionibus.

Vomitus alius est frigoris stadio, a spasmo, alius stadio caloris, a sanguine, alius a statu gastrico, in autumnalibus febribus. Prior medicinam sedantem, involventem, diacodiatam vel Riverianam;

alter antiphlogisticam; tertius evacuantem postulat, concitata emesi vel ante, vel post accessionem, quo tempore turgeat materies.

Delirium aliud a sanguine est, tempore caloris, plethoricum, cui contrarius est corporis capitisque situs erectus, regimen frigidum, aëris puri renovatio, ex praecepto Sydenhami; aut si haec non sufficiant, sinapismi ad cervicem, fomenta capitis frigida, aut denique admotae hirudines, si metus gravioris mali. Aliud est delirium gastricum, emesi, catharsi fugandum. Est denique adynamicum, species maniae, Sydenhamo animadversa (*Opp.* Sect. I. cap. V. pag. 161 sqq.) intermittentes diuturniores, quartanas potissimum secuta, quae debilitante tractata methodo, in perpetuam transibit stultitiam, sub usu cardiacorum, nutrientium vero, sensim curabitur.

Sudores colliquativi ultimo intermittentium longiorum stadio corruptivam ipsarum indolem denotant promptumque expectant a cortice auxilium. Qui post sublatam febrem supersunt nocturni sudores, quia si non obstes, hecticam inferrent diathesin, cardiacis compescendi sunt. Ad hos cohibendos vespertino tempore antequam cubitum irent aegrotantes, 5 vel 6 cochlearia vini malacensis sumere jussit Sydenhamus eodemque consilio vinosum salviae infusum laudat Swietenius. Iisdem quoque medentur aquae minerales martiales cum vino haustae.

Denique in omni hujus febris therapeia memores sitis quaeso saluberrimi praecepti, quo praeclarae monographiae suae finem imposuit Doct. NEPPLE: » ut perfecte medeamur febri intermittenti, duo, quibus constat, oppugnanda sunt elementa; congestionem sanguineam volo et affectionem nervorum periodice recurrentem. Illud quam primum tentandum est, ut praecidamus recursus irritationis intermittentis, impugnando sive sanguinis impetum et orgasmum, sive complicationes, quae morbo superveniunt: quo facto poterit superari intermittens Peruviani Corticis beneficio, cujus tamen auxilii ad supprimendam febrim efficacitas nemini hactenus intellecta, problema est nondum solutum." Et profecto ita est. Nam utut nervinum vulgo remedium et dicitur et habetur, tamen tantopere ab omnibus nervinis distat, quantopere neurosis intermittens periodica a reliquo distat neurosium genere.

EPICRISIS.

Febrium historiam a simplicissima specie ad compositam maxime traduximus atque antiquiorum pariter ac recentiorum observationem vobis tradere studuimus. Neque sic tamen munere et officio omni prorsus nobis defuncti esse videmur. Restat

major pars operis, quae rem compositam adeo et complicatam, qualis febrium doctrina est, ad suam naturae simplicitatem revocare jubet; quod si fieri possit, discentibus profecto utile parabimus atque fructuosum laboris compendium; si non possit, tentamen ipsum non omni fructu aut laude carebit.

An febres essentiales sint, diu multumque quaesitum est. Solvi autem hoc problema prius non poterit, quam de notione febris inter nos conveniat. Verum hoc opus, hic labor est. Quodsi febris essentialis nomine intelligatur morbus totius oeconomiae, omnibus partibus aequaliter aegrotantibus, esse febres essentiales negamus, quia id verae morbi notioni repugnat eaque conditione praesente, oeconomia nulla cogitari potest. Sed aliud quid volunt, qui febres esse negant, scilicet nullam esse febrem sine topica quadam phlogosi, ex qua proficiscatur. Atque hoc quidem est, quod negamus. Sic autem ratiocinantur: in longe plurimis aegrotantium, quos febris sustulit corporibus, inflammationum cernuntur manifesta vestigia; quocirca has inflammationes febrium illarum caussas habere oportet: quodque in longe plurimis est, id in omnibus esse, inductionis lege, statuimus. Nonne huic conclusioni quid deesse cernitis. Nam primo numerus quamvis parvus exceptionum obstat: secundo tempus investigandum est, quo febris quoque inflammatio inciderit; tertio aequabilis semper sit oportet inter febris et inflammationis,

i. e. inter effectus et caussae magnitudinem ratio. Jam vero singulis hisce quantum desit et in omni hoc capite saepius indicavimus et ipsi hypotheseos auctores norunt. Nos tamen cum minus alios refellere, quam ipsi discere cupiamus, agite videamus, utrum hunc nodum solvere possimus.

Res composita melius cognosci nequit, quam ipsam solvendo in eas, unde constat partes, id quod methodus nos docet analytica.

Hac si utamur methodo, febres illas compositas resolvendo in simplices, tandem incidimus in febrem quandam simplicem, puram, quam ephemeram, sive diariam vocant. Hanc autem febrem nihil esse aliud vidimus, quam auctam ab irritato corde circulationem. Igitur ad cor tamquam primarium circulationis instrumentum revocamur. Verum ita nondum soluta quaestio est. Nam qualis sit haec cordis in febre irritatio indagandum est maxime: undenam oriatur, quam caussam habeat. Utrum in vasis cordis haerere eam, an in nervis credamus? An phlogosin: carditidem, arteritidem, phlebitidem hanc habebimus; num vero cordis neurosin, spasmum, convulsionem, erethismum. Priorem sententiam, a pluribus defensam, ab aliis aliter propositam, nec tamen anatome confirmatam vidimus, neque harum inflammationum symptomata cum febrium symptomatibus collecta probant. Nam carditis alia longe symptomata habet; arteritis, phlebitis febris purae simplicisque signa non proferunt, verum

sive ardentis, seu malignae sub forma in scenam prodire solent. Alteram sententiam refutant hystericae, hypochondriaci, qui multo crebrius palpitationes cordis, quam febres patiuntur: quae intemperiei nervorum symptomata cum febrium symptomatibus nemo peritus confundet.

Aliorsum igitur nos convertamus oportet, ut irritationis febrilis caussam inveniamus. Et quam quidem aliam cogitabimus, nisi sanguinem cogitemus; naturalem cordis stimulum, humorem illum vere vitalem, per vasorum canales circumeuntem omnesque partes alluentem, nutrientem, animantem.

Ex hujus vel copia aucta, vel motu: labore, cursu, vigiliis, concitato, vel evacuatione legitima suppressa, ephemera nascitur, quae si protrahatur et phlogisticum habitum sanguis nactus sit, sponte inclinabit in synochum, sive febrem inflammatoriam, sua decurrentem stadia, suisque terminatam crisibus.

Ea febris, si cum polycholia, aut statu gastrico conjungatur, aut in temperamentum cholericum incidat, morbus biliosus, aut gastricus cum hac ipsa copulabitur fietque febris biliosa, aut biliosa gastrica; si cum morbo mucoso, febris mucosa; si cum diathesi scorbutica, febris putrida; si cum statu nervoso, febris nervosa orietur. Quae febris cum aliis morbis connubia partim ex corporis temperie, in quam incidit: cholerica, unde biliosa, nervosa, unde nervosa febris fit; partim ex

sanguinis per contagium, miasma depravatione, infectione; partim denique ex ejusdem per anni tempora annique tempestates mutatione explicari posse videntur. Atque haec cogitanti veterum de Epidemiarum annuarum cursu in mentem venit observatio, quae hodie perperam negligitur. Nempe alia anni tempora proferunt alios morbos: hyems et ver primum inflammatorios, catarrhales; aestas atque autumnus biliosos, gastricos, nervosos. Videlicet sanguis ad unamquamque mutatam aëris constitutionem et ipse debet adcommodari atque componi: quae metamorphosis si non lente ac pedetentim, sed subito, aut inordinate fiat, aut si hominum tellurisque effluviis contagiosis, miasmaticis aër inquinetur, ecquid mirum, febres inde concitari, sanguinis aegrotantis pathemata! Sic annuas subit vita sanguinis metamorphoses; vernalem maxime et autumnalem: quarum priore arteriosam magis et phlogisticam sanguis diathesin nanciscitur, altera venosam magis, phlogisticae oppositam; qui annuus sanguinis vitae cursus ipsis febribus annuis, epidemicis indicari videtur. Est alia sanguinis metamorphosis, quam non epidemicam, verum endemicam dixerim: quam scilicet ex loci natura mutatoque vitae genere subire videtur, unde febres nascuntur non epidemicae, sed endemicae, miasmaticae. Est denique tertia, quam ex hominum contactu ac contagione repetimus: unde morbi contagiosi, pestilentes, putridi, ner-

vosi, qualis febris nosocomialis, qualis pestis, qualis typhus contagiosus est.

Quaecunque igitur sit febrium diversitas, omnes unum habere fontem unamque ex sanguine originem videntur, ex cujus varia metamorphosi febrium species, varietates, discrimina, tanquam communi ex caussa, proveniunt. Ex hac hypothesi certum explicamus febrium cursum, venaesectionibus non abrumpendum et crises per varia organa secretoria, certis periodis contingentes et exanthemata febrilia, sive externa in cute, sive interna in mucosa et remedia in sanguinem potissimum sanguinisque vitam et crasin mutandam efficacia: in leniori diluentia, in graviori ipsaque facta dyscrasia, acidula, acida, miasmati, contagio, putredini adversa, quorum major profecto, quam nervinorum, antispasmodicorum, aut aliorum quorumvis stimulantium ad febres domandas vis atque potestas est. Verum alia hic novaque suboritur difficultas, quomodo nempe ex hac sanguinis affectione febrium tot tantaeque complicationes intelligi possint, quas a medicis antiquioribus praesertim commemoratas reperimus ac promptus denique ab una diathesi ad alteram diathesin transitus, ab inflammatoria ad putridam v. c., quam illi crebro in scriptis suis notarunt.

Ad hanc difficultatem aut minuendam, aut tollendam meminisse juvabit, primo in illis complicationibus numerandis nimios fuisse antiquiores,

quemadmodum hodie inter omnes constat; secundo, rem repetendam esse cum a partium irritationibus atqué inflammationibus, ex sanguinis mutata crasi provocatis; denique ab ipso etiam miasmate, aut contagio in sanguinem susceptis, unde primo symptomata renisus reactionisque ac species phlogoseos, tum vero, hisce silentibus, manifesta contagii, miasmatis vis sanguinisque mutatio, id quod primum typhi contagiosi stadium, inflammatorium quod dicitur ipsaque pestis docet, ex auctorum testimoniis. Caeterum, mirum non est, ex sanguine mutato variarum partium nasci aegritudines, in aliis alias, tum inflammatorias, tum nervosas, quas complicationum nomine majores dixerunt.

Habetis meam de febribus sententiam, quam ut conjecturam propono probabilem, ex observationum commentatione natam, qua si probabiliorem invenire quis poterit, hanc meam non acriter defendam: verum lubens eam cum altera commutabo idque deputabo in lucro.

INDEX

AUCTORUM ET LIBRORUM LAUDATORUM (*).

Herm. Boerhaave, Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis, in usum doctrinae domesticae digesti. Editio Lugdunensis quinta auctior, Lugd. Bat. 1737.

G. van Swieten, Commentaria in H. Boerhaave Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis, Lugd. Bat. 1742.

Jacobi Gregory, Conspectus medicinae theoreticae, ad usum Academicum, Editio IV, Edinb. 1813.

A. Corn. Celsi, Medicinae libri octo, ex recensione Leon. Targae, Lugd. Bat. 1785.

Joh. Georg. Zimmermann, von der Erfahrung in der Arzneykunst, Zurich 1794.

Henr. Gul. Waardenburg, Diss. de ratione historiae morbi scribendae, Lugd. Bat. 1829.

Hippocratis Opera, Ed. Foës., Genev. 1657.

Chrestomathia Hippocratica. Edidit atque praefatus est C. Pruys van der Hoeven, Hag. Comit. 1824.

(*) In hoc Indice ii libri non citantur, quorum in contextu jam indicatus titulus est.

F. J. Voltelen, Pharmacologia universa, Lugd. Bat. 1797.

Nicolai Paradisii, Opuscula Academica, edita a filio Nicolao Paradisio, Med. Doct., Lugd. Bat. 1813.

Jo. Bapt. Morgagni, de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis, Lovaniae 1766.

Jo. Christ. Reil, Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber, Halle 1820.

Ph. Pinel, Nosographie philosophique, ou la méthode de l'analyse appliquée à la médécine, 5 Edit. Paris 1818.

Andr. Duncan, Casus medicinales. Ex Anglico idiomate in Latinum vertit Dion. Ryan, Lugd. Bat. 1783.

Xav. Bichat, Anatomie générale. Nouv. Edit., Paris 1812.

Joh. Müller, Handbuch der Physiologie des Menschen, Coblenz 1833.

Seb. Just. Brugmans, Diss. de Puogenia, sive mediis, quibus natura utitur in creando pure, Groning. 1785.

F. J. V. Broussais, Histoire des phlegmasies, ou inflammations chroniques. 4e Edit., Bruxell. 1828.

C. Billard, De la membrane muqueuse gastro-intestinale dans l'état sain et dans l'état inflammatoire, Paris 1825.

Joh. Georg. Roederer et Car. Gottl. Wagler, De morbo mucoso, liber singularis, Gottingae 1762.

Aretaei Cappadocis, De causis et signis acutorum et diuturnorum morborum etc. ed. Jo. Wiggan, Oxon. 1723.

Caelii Aureliani, Celerum vel acutarum passionum libr. III. (ex collectione Halleri) Lausann 1774.

Joh. Theod. Eller, Observationes de cognoscendis et curandis morbis praesertim acutis, Regiom. et Lips. 1762.

Rich. Mead, Opera medica, Parisiis 1757.

Chr. Fred. Michaëlis, De angina polyposa, sive membranacea, Gotting. 1778.

G. Vieusseux, Mémoire sur le croup, Paris et Geneve 1812.

Leop. Ant. Goelis, Tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea, Viennae.

Tho. Sydenham, Opera universa, Lugd. Bat. 1726.

John Pringle, Observations on the diseases of the army, Lond. 1761.

Jo. Bapt. Burserii de Kanilfeld, Institutiones medicinae practicae. Recudi curavit J. F. C. Hecker, Lips. 1824.

A complete collection of the medical and philosophical works of John Fothergill, Lond. 1781.

Jo. Huxham, Opera physico-medica, curante G. C. Reichel, Lips. 1773.

Gul. Culleni, Synopsis Nosologiae methodicae, Edinb. 1795.

Fred. Hoffmanni, Opera omnia physico-medica, Genev. 1748.

Valentini Nobilis ab Hildenbrand, Institutiones practico-medicae, pyretologiam complectentes, Ed. alt., Vienn. 1833.

M. Orfila, Traité des poisons, ou toxicologie géné-

rale, 3 Edit., Paris 1826.
Ant. de Haen, Ratio medendi in Nosocomio practico Vindobonensi, Lugd. Bat. 1761.
Ph. Pinel, La médécine clinique, rendue plus précise et plus exacte par l'application de l'analyse, Paris 1804.
J. Cruveilhier, Anatomie pathologique du corps humain, Paris 1829—1835.
Jos. B. de Quarin, Animadversiones practicae in diversos morbos. Ed. L. Kesteloot, Gandavi 1820.
G. Andral, Précis d'Anatomie pathologique, Paris 1829. citatur pag. 115. male tamen indicata pag. 199. loco pag. 198.
Franc. Boissier de Sauvages, Nosologia methodica, Amstelod. 1758.
Theoph. Boneti, Sepulchretum, sive Anatomia practica, Genevae 1700.
C. G. Selle, Rudimenta pyretologiae methodicae, Ed. 3a, Berol. 1789.
Petri Foresti, Alcmariani Observationum et Curationum medicinalium et chirurgicarum Libri XXXIII, Rothomagi 1653.
Alexander Trallianus, De arte medica, ex coll. Halleri, Lausann 1774.
John Abercrombie, Pathological and practical Researches on the diseases of the stomach, the intestinal canal, the liver and other viscera of the abdomen, sec. Edit., Edinb. 1830.
C. R. Pemberton, Verhandeling over de verschillende ziekten der onderbuiks ingewanden, uit het Engelsch, door J. van Houten te Haarlem 1819.
Nicolai Tulpii, Amstelaedamensis exconsulis Obser-

vationes medicae Ed. 5, Lugd. Bat. 1717.

Ant. Scarpa, Traité pratique des Hernies, traduit de l'Italien par M. Cayol, Paris 1823.

Matth. Baillie's, Anatomie des Krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile im menschlichen Körper, aus dem Englischen mit Zusätze von S. T. Soemmerring, Berlin 1820.

J. Fr. Herm. Albers, Die Darmgeschwüre, Leipz. 1831.

Barth Ludov. Tralles usus Opii salubris et noxius in morborum medela, solitis et certis principiis superstructus, Vratislav. 1757.

Maxim. Stoll, Ratio medendi in Nosocomio practico Vindobonensi, Vienn. Austr. 1777.

Maxim Stoll, Praelectiones in diversos morbos chronicos, Vindob. 1788.

Andr. Murray, Commentatio de Hepatitide, maxime Indiae Orientalis, Gotting. 1779.

James Annesley, Researches into the causes, nature and treatment of the most prevalent diseases of India and of warm climates generally, Lond. 1828.

Cl. Galeni, Pergameni Opera. Ed. Kühn, Lips. 1821.

Jo. Bapt. Bianchi, Historia Hepatica, Genev. 1725.

Ambroise Paré, Dix livres de la Chirurgie, Paris 1564.

Desault, Oeuvres Chirurgicales, publiées par Xav. Bichat, Paris 1830.

Voigtel, Handbuch der pathologischen Anatomie, mit Zusätze von J. F. Meckel, Halle 1804.

Stalpaert van der Wiel, Observationum rariorum centuriae II, Lugd. Bat. 1687.

A. G. Richter, die Specielle Therapie, herausgegeben von G. A. Richter, Berlin 1817.

Jo. Petr. Frank, Epitome de cognoscendis et curandis hominum morbis, Mannhemii 1792.

Ant. Portal, Mémoires sur la nature et le traitement de plusieurs maladies, Paris 1800.

Chopart, Traité des maladies des voies urinaires, Paris 1830.

Gul. Fabricii Hildani, Opera, quae exstant, omnia, Francof. ad Moen. 1682.

L. F. B. Lentin, Beyträge zur ausübenden Arzneywissenschaft, Leipz. 1797.

Verhandelingen van het Geneeskundig Genootschap, onder de Zinspreuk: *Servandis Civibus*, Amsterdam 1776—1792. 16 deelen.

R. F. H. Laennec, Traité de l'auscultation mediate et des maladies du poumon et du coeur, Paris 1831.

Hieron. Dav. Gaubii, Institutiones pathologiae medicinalis. Ed. 3a, Lugd. Bat. 1781.

John Harrison Curtis, a treatise on the physiology and pathology of the ear. 5 Ed., Lond. 1831.

John Harrison Curtis, Cases illustrative of the treatment of diseases of the ear, both local and constitutional, Lond. 1822.

Zacuti Lusitani Opera, Lugd. 1657.

J. M. G. Itard, Traité des maladies de l'oreille et de l'audition, Paris 1821.

F. Lallemand, Récherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale et ses dépendances, Paris 1830—1834.

J. van der Hoeven, Diss. de morbis aurium audituque, Lugd. Bat. 1824.

G. Jos. Beer, Lehre von den Augenkrankheiten; Wien 1813.

J. C. Jungken, Die Lehre von den Augenkrankheiten, Berlin 1832.

Caroli Lorry, Tractatus de morbis cutaneis, Paris. 1777.

J. L. Alibert, Déscription des maladies de la peau observées à l'Hopital St. Louis. Altera Editio prodiit Paris. 1832. sub titulo: Clinique de l'Hopital St. Louis.

Rob. Willan, Description and treatment of cutaneous diseases, London 1798—1805.

Tho. Bateman, a practical synopsis of cutaneous diseases VI. Edit., Lond. 1822.

Cazenave et Schedel, Abrègé pratique des maladies de la peau, 2 Ed., Bruvell. 1834.

P. Rayer, Traité theorique et pratique des maladies de la peau. 2 Ed., Paris 1835.

W. Cullen, Practice of Physic, a new Edition, Edinb. 1812.

A. Boyer, Traité des maladies chirurgicales etc. 4 Ed., Paris 1835.

M. C. Billard, Traité des maladies des Enfans nouveau nés et à la mamelle. 2 Ed., Paris 1833.

Gul. Heberden, Opera medica (in collectione scriptorum classicorum de praxi medica Vol. X, Lips. 1831.

M. E. A. Naumann, Handbuch der medicinischen Klinik, Berlin 1829.

S. G. Vogel, Handbuch der praktische Arzneywissenschaft IV. Ausgabe, Stendal 1820.

Nic. Rosen van Rosenstein, Handleiding tot de kennis en genezing van de ziekten der kinderen, vertaald door Ed. Sandifort, 's Hage 1759.

Joh. Wendt, Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt, Breslau 1835.

Lamb. Bicker, In Verhandelingen van het Bataafsch Genootschap van proefondervindelijke wijsbegeerte te Rotterdam. IV. Deel.

M. A. de Plenciz, Tractatus de Scarlatina etc., Vienn. 1780.

J. Currie, Medical reports on the effects of water etc., Liverpool 1798.

J. D. Brandis, Erfahrungen über die Anwendung der Kälte in Krankheiten, Berlin 1833.

Adolph Henke, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, 2 Ausgabe, Frankf. a. M. 1818.

Stanislas Gilibert, Monographie du Pemphigus, Paris 1813.

J. A. F. Ozanam, Histoire des maladies epidémiques contagieuses et epizootiques, 2 Ed., Paris 1835.

A. W. Haase, über die Erkenntniss und Kur der Chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus, Leipz. 1820.

Richard Morton, Opera medica, Amstelod. 1696.

S. T. Tissot, Epistolae Medico-practicae. Denuo edidit Ern. God. Baldinger, Jen. et Lips. 1771.

Isbr. de Diemerbroek, Opera omnia anatomica et medica, Ultraj. 1685.

A. F. Luders, Versuch einer kritischen Geschichte der bei vaccinirten beobachteten Menschenblättern etc., Altona 1824.

C. G. Carus, Lehrbuch der Gynaekologie, Leipz. 1820.

Auenbrugger, Nouvelle méthode pour réconnaitre les maladies internes de la poitrine, traduite par. J. N. Corvisart, Paris 1808.

Dan. Wilh. Triller, Commentatio de pleuritide ejusque curatione, Francof. ad M. 1740.

Georgii Baglivi, Opera omnia Medico-practica et anatomica, Ed. VI, Lugd. 1720.

J. de Senac, Traité de la structure du coeur, de son action et de ses maladies 2. Ed., Paris 1774.

J. N. Corvisart, Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux 3. Edit., Paris 1818.

Tho. Willisii, Opera omnia, studio et opera Ger. Blasii, Amstelaed. 1782.

Parent Duchatelet et Martinet, Récherches sur l'inflammation de l'arachnoide cérébrale et spinale, Paris 1821.

Joh. Ludw. Formey, Vermischte medicinische Schriften, Berlin 1821.

Jo. Abercrombie, Récherches pathologiques et pratiques sur les maladies de l'encéphale et de la moëlle épinière, traduites par A. N. Gendrin, Paris 1832.

C. P. Ollivier d'Angers, Traité des maladies de la moëlle épinière, 3. Ed., Paris 1837.

Jod. Lommii, Observationum medicinalium libri tres, Amstelod. 1761.

Hippocratis, Epidemiorum lib. I et III. Ed. J. Freind, Lond. 1717.

J. Bouillaud, Traité clinique et expérimental des fièvres dites essentielles, Paris 1826.

Tho. Laelii Guidetti, in Bianchi Historia Hepatica sup. laud.

Gul. Ballonii, Medici Parisiensis celeberrimi Opera omnia, studio et opera M. Jacobi Thevart, Genev. 1762.

S. A. D. Tissot, Med. Doct. Diss. de febribus biliosis, seu Historia Epidemiae biliosae Lausannensis A. 1735, Lovaniae 1760.

William Grant, Aart, natuur en oorzaken van onderscheidene Koortsen enz. naar het Engelsch door E. J. Thomassen à Thuessink, 2. Uitgave, Amsterd. 1807.

Max. Stoll, Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus, Lugd. Bat. 1788.

Hieron. Fracastorii, Opera omnia, Venet. 1584.

F. L. Bang, Selecta Diarii Nosocomii Regii Fridericiani Hafniensis, Hafn. 1789.

Mich. Sarcone, Geschichte der Krankheiten in Neapel, Zurich 1778.

Corn. Alb. Kloekhof, Opuscula medica, Traj. ad Rhen. 1747.

J. J. van den Bosch, Historia constitutionis Epidemiae verminosae, quae annis 1760, 1761, 1762. per Insulam Overflacqué et contiguam Goedereede grassata fuit, Lugd. Bat. 1769.

A. F. Chomel, Leçons de clinique médicale, recueillies et publiées sous ses yeux par J. L. Genest, Paris 1834.

Jan Petersen Michell, Geneeskundige Verhandeling over de oorzaken, onderscheiding en genezing der febres catarrhales, welke zich sedert eenige jaren

meer dan voorheen in de Nederlanden vertoond hebben, uitgegeven door het Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen te Vlissingen, Middelb. 1785.

Rob. Whytt, Observations on the nature, causes and cure of those disorders, which have been commonly called nervous, hypochondriac, or hysteric etc. the second Edition, Edinb. 1765.

Jo. Valent. Edler von Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus, Zweyte Auflage, Wien. 1815.

Chr. Wilh. Hufeland, Enchiridion medicum, oder Anleitung zum medicinischen Praxis. Zweite vermehrte Auflage, Berlin 1836.

Bernardini Ramazzini, Opera omnia medica et physica, Lond. 1717.

Franc. Torti, Therapeutice Specialis ad febres periodicas perniciosas, Francof. et Lips. 1756.

Franc. de le Boe Sylvii, Opera medica Ed. nov., Traj. ad Rhen. 1695.

Wern. Joh. Immink, Diss. de febre intermittente perniciosa, praesertim de apoplectica, Lugd. Bat. 1837.

J. G. Werlhoff, Opera Medica. Collegit et auxit. J. E. Wichmann, Hanov. 1775.

Dan. Craanen, Diss. inaug. de genuino febrium larvatarum charactere illarumque peculiari indole, Lugd. Bat. 1806.

E. M. Bailly, Traité Anatomico-pathologique des fièvres intermittentes simples et pernicieuses, Paris 1825.

Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie, nach J. L. Schoenlein's Vorlesungen, niedergeschrieben und herausgegeben von einem seiner Zuhörer, Wurzburg 1832.

Jo. Mar. Lancisii, Opera, quae hactenus prodierunt, omnia, Genev. 1718.

F. W. Buchner, Verhandeling over den invloed der Noord-Hollandsche Droogmakerijen na 1608. op de gezondheid der ingezetenen, uitgegeven door het provinciaal Genootschap te Utrecht 1826.

H. F. Thyssen, Over de Herfstkoortsen te Amsterdam, bijzonder over die van het jaar 1826, Amsterd. 1827.

Verslag van de in het jaar 1826 te Groningen waargenomene Ziekten, gegeven door de plaatselijke Commissie van Geneeskundig Toeverzigt aan de Stad Groningen, 1828.

F. A. L. Popken, Historia Epidemiae malignae, anno 1826. Jeverae observatae, Bremae et Lipsiae 1827.

J. L. Alibert, Traité des fièvres intermittentes pernicieuses. 5 Ed., Paris 1820.

F. Wilh. von Hoven, Versuch über das Wechselfieber und seine Heilung besonders durch die Chinarinde Wintesthur 1789—1790.

F. Wilh. von Hoven, Versuch einer praktischen Fieberlehre, Nürnberg 1810.

Ger. Corn. Bern. Suringar, Institutio de morbis acutis, Amstelod. 1836.

P. F. Nepple, Traité sur les fièvres rémittentes et intermittentes leurs symptomes et leur traitement, Paris 1835.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Praefat. pag. vi. lin. 9 sq. *criticorum vulgarium* lege: *criticorum vulgarium censura*

pag.	27.	*lin.* ultima	ipsam hanc	*lege:*	ipsum hunc
—	49.	— 15 sq.	anteriarumque	—	arteriarumque
—	92.	— ultima	hirudines	—	hirundines
—	101.	— 23	utrasque	—	utrosque
—	120.	— ultima	migravit	—	migravit in urbem
—	151.	— prima	sabemetica	—	subemetica
—	241.	— 20	personae	—	persona
—	269.	— 11	quo	—	qua
—	292.	— 27	indicet	—	indicent
—	303.	— 13	fugere	—	fugare
—	317.	— 27	collecta	—	collata

Ad calcem priorum X. foliorum typothetae posuere Lib. II. Pars II., loco Lib. I. Pars II.